




1
6
536









DE MORBIS NOBILIORIS

Animæ facultates obsidentibus

LIBRI TRES

CVRTIO MARINELLO VENETO Philosopho, & Medico Autore.

Quibus accedit Liber patefaciens GALENVM, & omnes alios, qui post ipsum Medicinam fecerunt, siue fuerint Græci, siue Arabes, siue Latini, omnia, aut maiorem partem eorum, quæ de his Morbis pronunciauerunt, ab Antiquioribus desumpsisse.

Denique Opusculum quoddam continens nonnullas Controuersias, Inconstantias, atque Admirationes in dictis GALENI adinuentas.



VENETIIS.

Apud Iuntas, MDCXV.

COPIA.

GLi Eccellentissimi Signori Capi dell'Eccelso Consiglio di X. hauuta fede dalli Signori Reformatori del Studio di Padoa per relatione a loro fatta dalli due a questo deputati, cioè dal Reuerendo Padre Inquisitor, & dal Circ. Secretario del Senato Gio. Francesco Marchesini con giuramento, che nel libro intitolato de Morbis Nobilioris Animæ facultates inuadentibus Auctore Curtio Marinello Veneto Medico; non si troua cosa contra le leggi, & è degno di Stampa; concedono licentia, che possa essere Stampato in questa Città.

Dat. die 24. Septemb. 1614.

D. Francesco Moresini.
D. Z. Francesco Corer. } Capi dell'Eccelso Cons. di X.
D. Bernardo Thiepolo.

Illustrissimi Consilij X. Secretar.

Barthol. Cominus.

1614. adi 25. Settemb.

Registrato in Libro à carte 184.

Io. Baptista Breatto Offi.
Contra Blasph.



PERILLVSTRI,

ATQ; EXCELLENTISS. VIRO

DOMINO IOANNI COLLE

Bellunensi Serenissimi Ducis Vrbini Archiatro perpetua fide, & obseruantia colendo.





Omnes ad litterarum studia incumbentes Præstantissime Vir, qui suas lucubrationes alicui dicare decernunt, aliquo procul omni dubio semper exoptato impelluntur fine. Multos enim futuri lucri spes allicit, ac fouet, sordidæ auaritiæ indicium: Nonnullos (& laudabilius quidem) trahit alicuius honoris, & dignitatis assequendæ cupiditas: Plures amati partus in lucem editi patrocinium: Non paucos iam accepti beneficij dulcis memoria, & remuneratio: Quosdam beneuolentiæ, & amicitiæ cum aliquo ineundæ desiderium: & denique ad hoc quidam incitantur, vt aliquo signo testentur amicitiam & obseruantiam erga charissimum amicum. Hoc postremo ductus tibi Doctissimo, atque omni virtutum genere ornatissimo Viro meum ego librum dedico, & sacro; Cum mihi iam ab ineunte adolescentia tecum maxima intercedat necessitudo, quam potius, vt verum fatear, obseruantiæ nomine dignam existimo. Idque præterea agendum esse statui, quia mihi satis non erat tibi soli per tot annorum curriculum hanc notissimam esse, sed vt omnes quoquè, qui hæc scripta legent, cognitum, exploratumque habeant me mirum in modum te semper amasse, & obseruasse. Vale, & syncerè, vt soles, in futurùm me dilige, & ama. Venetijs. Idib. Nouembris M.DC.XIV.

Tui amantissimus

Curtius Marinellus.

PRÆFATIO
AD LECTORES
Medicæ Artis, ac Veritatis Studiosos.





CVm Morborum, Noxarumque digniorem, melioremque animam fatigantium narrationem suscipere decreuerim, consonum arbitratus sum esse rationi, nonnulla circa hæc necessaria à me prius perpendenda esse, atque consideranda, quæ extant. Quid sit nobilior Anima: Qua in parte, tanquam in domicilio residcat, atque refulgeat: Quot dotibus eius sedes debeat esse decorata: Quot Facultates ab ipsa anima emanent: Quibus organis propria munera in apertum edat, & denique quomodo hæc morbis afficiatur; His enim peroptimè cognitis, atque perspectis facilè morborum Naturæ, & Causæ nobis innotescent; immo & quibus partibus auxilia commodè adhibere debeamus, cognoscemus. quę omnia, quantùm vtilia Medico ab omnibus censeantur ad morbosos affectus profligandos, atque debellandos, non est, vt nunc verbis vobis patefaciam; quæ si forte fortuna aliquid dignitatis, & doctrinæ in se contineant, à vobis ingenuis viris probentur, atque laudentur; sin minus corrigantur, & emendentur: At non illo modo, quo non pauci inuidia, ac liuore quodam impulsi ex alieni ingenij obtrectatione existimationem aliquam, per breue tamen duraturam tempus, adipisci tentant. quod frequentissimè, teste Galeno libro de Atra Bile, Recentiorum Medicorum multi Veritate omnino neglecta, affectant. Valete.

INDEX CAPITVM VNIVERSI OPERIS.

Libri Primi.

Libri Secundi.

Multa

Libri Tertij.

Quid



Errata Præcipua :

Pag. 9. vnam legi vnâ, conficies conſpicies, 10 ren dere reſidere, 14 aut autem, obſcurius aut obſcurius, 17 ſic ſit, 23 Alchiade Alcibiade, 24 præſidijs præſidij, 31 emittans emittant, 33 aut autem, 44 eorum earum, 45 ſolam ſolùm, multis multi, iecoriam iecorariam, 46 viros vires, æſtruoſum æituoſum, 47 Admoneatur Admoueatur, pertulacæ portulacæ, apti aptè, hac lac, 48 Celius Celſus, 49 ſimilis ſimili, 53 vaporem vaporum, 6. aph. 2. ſic. 6. aph. ſic. 55 bilioſis bilioſus, 57 ipſa ipſo, 58 nolit nolint, ſcitatur ſuſcitatur, 61 fuligmoſos fuliginoſo, 64 2. pblem. xi. Prob. 65 poſſit poſſint, 66 pedes pède, 68 menſtrua menſtruam, maant materia ſit, 69 molire mollire, antimoni antimonij, 70 ò balneis balneis, 73 Tecutij Tectutij, difertur deſertur, caſtij caſti, ſimil ſimili, 74 ſubtiliter ſubtilior, læſo læſa, 75 remoueantur remoueatur, 80 attuactiones attractiones, latio ablatio, 81 ortam ortum, 82 abbreuitati breuitati, interpretationes interceptiones, ablatum ablatarum, 83 eſſe oſſe, indifferentias differentias, 84 ſecunda ſecanda, 85 aducunt educunt, 86 myriſticum myriſticam, Hercuceum Herculeum, illuceſſit illuceſcit, 87 tranſmittat tranſmutat, cum 6. com 6. modi modò, ſit fit, cerebrum cerebri, aliqui aliqua, 88 ſtomacha ſtomacho, 90 ſcapitis capitis, 91 alfectum aſpectum, 92 probabitur prolabitur, 94 ſecundum ſecundam, 95 ij ij. 96 Immoderatio immoderatum, 98 aboriatur oboriatut, 107 mediam medium, 109 ſubeant? integri ſubeant integri? 110 efficiantur afficiantur, At cerebro A cerebro, 111 nonnullis nonnulli, 112. omnē ſenſibile, omne inſenſibile, aut in omnis autem omnis, neruis neruus, neruus neruis, 113 intelligiſſe intellexiſſe, 114 membranam membrana, 115 petentia potentia, 116 dices dicens, vel vt, 120 deſerente deferente, 121 moleſtum moleſtam, 122 viſu viſus, 134 2. de vſu. xi. de vſu, 135 carnalis canalis, 139 cap. cauſ. 143 delictis dictis, 144 in ſomnium in ſomnum, vtilio vtilis, 145 attributa attrita, 149 deferrens deferens, euulſionem emulſionem, 154 ſi Cephalica ſit Cephalica, 155 ouor. ouorum, 157 oculos oculo, 192 ſed tel, 198 Auditorius auditorios, 199 pisa ipſam, 200 vſitor vtitor 204 cæte cæpe, 207 quæpiam quopiā, 210 rationes ratióne, vites mites, 227. 2. de vſus xi. de vſup. 230 exporrigantur exporriguntur, motus motu, animal animali, 248 deciderant deciderent, 248 afflgit, dirigitur tamen affligit, dirigitur. tamen, 249 immobile immobili, 254 inſeruunt inſeruiunt, 258 olora olera, reſoluatur reſoluantur, 259 ſine ſiue, 260 minatur minetur, 261 oppopoſita oppoſita, 264 etanum tetanum, 265 inſequuntur. Hunc inſequuntur hunc, 272 virtitem virtutem, obſtruunt obſtruunt, 273 tremorre tremore, 275 ſummerē ſumere.

In libro de morbis Ad Mentem Antiquorum.

Pap. 1. diuide dilucidè, 3 piſcorum priſcorum, rempore tempore, 5 multo mulſo, 6 exarguia exanguia, 9 ſolatij,, ſolatijs, 14 æſtuoſuo æſtuoſo, 27 vt thure & thure, 38 aſtrictiones, pungentes aſtrictione pungentes, enarrationis enarrationi, acce acci, 54 aliqua aliquæ, 55 phlegmorem phlegmonem, 61 conniuerat conniueret.

Errata in marginibus.

19 Cap 3. Com. 3. 20 Cap. 7. Cap. 2. Cap. 18. Com. 18. Cap. 11. Cap. 11. Art. medicinalis, 31 Cap. 32 Com. 32. 43 Figura ſigna, Saul. Paul. 47 2. Met. xi. Meth. 2. Meth. xi. Meth. 68 gal. ſimp. mod. 74 Conc Cont. 80 Haly Meſu, Tales, debet hæc dictio eſſe intus et coniungi cum dictione muſcus. 88 Paſ. Cauſ. Spaſmi. Cauſa, Com. 7. Cap. 7. 7. de l. aff. 7. 3. de l. affec. 7. 93 Prorud Paulus, 94 Anculeta Amuleta, 105 114. 118. 110 C. 8. C. 5. 119 C. 7. C. 2. 135. 5. Cor. ſcilicet Cor, 141 de ſon de ſomno, 195 D. ct. Diſtin. 206 C. 4. C. 6. 226. t. 7. c. 7. 231 ligamento & caret ligamento caret, 254. 3. de l. aff. c. 1. c. 10. in li. Antiq. 2. 18. Sinap. 8. Sinop. 8 Poſſid. 17. Ruff. Poſſid. & Ruffus. 25 Duplex dictio intus poni debet apud illa duo verba curationis modus vt dicat, Duplex curationis modus. *Cætera errata, quibus totum opus ſcatet ob Impreſſoris incuriam, à vobis patienti, ac libenti animo emendentur.*



QVID SIT ANIMA NOBILIOR,

Quot nomina ei adſcribantur à Galeno, & quantum aberrent à Placitis eius, qui ſtatuunt ipſum affirmaſſe eſſe temperamentum. Cap. Primum.





NIMAM vegetatiuam ſtirpibus propriam cæteris alijs nobiliorem eſſe non pauci decreuerunt; Huius enim ope æternum in indiuiduis ob eorum continuã propagationem relucet: animalia in eſſe conſeruãtur: nec ſine Vegetatiuo in hoc mũdo inferiori Senſitiuũ, vel Intellectiuum adinueniri poſſunt. Adde hanc omnes morbos ſuperare: quod reſpiciens Galenus 11. Meth. affirmauit facultate voluntaria, & vitali vim concoctricem, quæ eſt vna ex ancillis Vegetatiuæ, potiorem eſſe: Alij delectationibus dediti, atque voluptatibus ſenſitricem reliquis antepoſuerunt, affirmantes hac ſola nos aſſequi rerum omnium certam, atq; firmam cognitionẽ. Multi mentis acie veritatẽ ſcrutantes eſſe nobiliorẽ, ac potiorem aĩam rationalem affirmarunt. Hæc enim à rudi materia eſt ſeiuncta: Obiectũ ei correſpondet nobile: & omnibus animalibus, etſi effrænibus imperat, vel domeſtica, & manſueta reddit. Hæc ſcribuntur 4 de Decretis Hipp. & Plat. his verbis. *Homo ſanè equum domuit ſapientia, & manibus, velocius Leone animal, quo vtens & ſubterfugit, & perſequitur Leonem, & ſedens*

Cap. 9.

dens ex alto humilem, inferioremque percutit : immò & hac contempla-
tione impulsus audet ferè eà contemplari, atque vestigare, quæ in sinu
summi Opificis recondita manent. Ideo excellentiores Philosophi litte-
ris prodiderunt, hanc solam animam dici, cæteras verò vmbras, animæ-
que vestigia. quapropter Galenus post Hippocratem inter Medicos pri-
mus sequens Platonem, sicuti lib. 6. & 7. de Plac. Hipp. legitur, posita di-
stinctione inter animas, quas tres esse statuit Rationalem, Irascibilem,
atque Appetitricem, concludit nobiliorem, præcipuam, ac Principem
Rationalem existere: etiamsi pro rationali non simplicem intellectum,
sed vnico verbo sensitiuum, & intellectiuum comprehendat. Quod pate-
C.3. faciet eodem libro dicens: *Principis animæ opera per se Imaginatio, Intel-
lectio, & Memoria, & organis sensum impertiri, & ijs, quæ mouentur, mo-
C.10. tum.* Quæ etiam ad litteram narrantur, lib. 9. Meth. & lib. an Mores ani-
mi sequantur temperamentum. Non immerito igitur hanc nobilissimã
existere satis adapertum est; cum in se, ac sub se omnia opera sensitiuæ, &
C.9. intellectiuæ contineat. Quæ considerans Galenus 9. de Plac. pronuncia-
uit hanc diuinam esse sic. *Item quòd Diuina ex ipsis sit, qua ratiocinamur,
reliquæ autem duæ affectibus obnoxiæ, hæc, qua irascimur, & altera, de-
monstrationes me habere affirmo.* Quod forte desumpsit ab Arist. lib. 2.
C.3. de gener. Animal. qui postquã de alijs pertractauit, hæc dixit. *Restat igi-
tur, vt mens sola forinsecus accedat, eaque sola Diuina sit; nihil enim cum
eius actione communicat actio corporalis. Quorum enim principiorum
actio est corporalis, hæc sine corpore inesse non posse certum est, verbi
gratia ambulare sine pedibus; itaque extrinsecus ea venire impossibile
3. De anima. est.* At huius consideratio ad Medicum non attinet; cum nec in orga-
no sit, nec organo vtatur. Galenus verò non tam angustis terminis Prin-
cipem animam constrinxit: nam sub nomine mentis, & intellectus pri-
scorum Medicorum placita sequens sensitricem potentiam collocauit,
Com. 4. quod posteritati scriptum reliquit lib. 1. Pror. com. 1. ita. *Cum ergo Phre-
nitim mortales omnes eam appellitent affectionem, in qua mentem læsam
esse vident, quam tùm sensum, tùm intelligentiam vocant.* Vnde ego
affirmabo, incidenter tamen impulsore ipso inter sapientes maximo
vnicam animam in homine reperiri sub se continentem omnes sensiti-
uæ operationes, si præstanda venit fides illis, quæ scribuntur libro nono.
C.10. Meth. sic. *Tertia anima Rationatrix in cerebro domicilium habet, ea vo-
luntarijs actionibus vnà cum sensu præsidet: vtitur & hæc particulis qui-
7. de Plac. busdam, ceu canalibus, nempe ipsis neruis sensum, motumque per hos
in totum animal transmittens.* Hanc sententiam sequuti sunt non pau-
ci celebres, eminentissimique Sophiæ amatores. Hi itaque sunt varij mo-
di, quibus dicunt animam vnam esse alijs nobiliorem, atque meliorem,
è quibus omnibus eligere vltimum decreui: non solùm quoniam sub
ipsa Ratiocinatrice anima & Sensitiua continetur: sed quia Doctissimi
Nomina varia. Galeni dogmata sequi iam omnibus viribus sanciui.

Qui hanc varijs nominibus decorauit, atque exornauit: interdum. n.
C.3. eam vocauit Animalem functionem, vt lib. de Symp. Diff. quam in sen-
sitricem, motricem, atque principem distinxit vtens nomine generis lo-

co spe-

eo speciei, sæpe principem, atque præcipuam animam, vt 2. & 7. de Plac. Hip. cum enim antecedat cæteras animas dignitate, non immerito hoc nomen ei conuenire statuit. interdum respiciens eius nobiliorem operationem Rationalem, & Intellectum, veluti 3. de l. aff. immò 2. de Plac. hęc litteris mandauit. *Licet nimirum Principem partem animæ dicere loco nominis Mentem, pari modo Ratiocinantem, & Intelligentem.* Et quoniā ob voluntatem liberā existit Imperantem, & Voluntariam in Meth. & lib. 4. de Plac. Aliquando Cogitatiuam, vt in lib. de ijs, quæ in Medic. fiunt com. 1. quo loco hæc. *Cogitatio, intellectus, & mens communiter dicitur.* Non enim Galenus, vt philosophi quærunt & rectè, subtilissimè eius operationes vario nomine distinxit; cum curatricem manum ad se non trahant. & ideo nunc cogitatiuam, nunc rationem, nunc mentem, & nunc intelligentiam nullo posito discrimine hanc vocauit. C.7. 9. Meth. Com. 4.

Quæ adeò fuit ignota Galeno, vt mille in locis affirmet se penitus animæ rationalis essentiam ignorare, etiamsi pro rationali simplicem intellectum non accipiat, sed vnà cum intellectiuo sensitiuum: attamen non desunt multi Medici, nec contemnendi, & recentiores philosophi, qui inuito eorum præceptore Galeno audaciter affirmant ipsum pro certo, atque rato habuisse animam esse temperamentum; quod quantùm ab ipsius sententia distet, nunc patefaciemus. Sed quæso mentis acie consideretur à legentibus, an aliquo in loco hanc animam temperamentum esse pronunciet? & primò diligenter hæc perpendantur, quæ scribuntur lib. 6. de Mor. Vulg. com. 5. quo in loco habet. *Hip. Anima hominis producitur vsque ad mortem;* Quod de cogitatrice anima dici minimè potest, teste Galeno in com. qui hæc. *Siue autem tota cerebri natura ex quatuor elementorum temperatione ad eam substantiam, vel proprietatem redacta sit, per quam sensus, motusque voluntarij in animali primus autor habetur, & memoriæ, & intelligentię: siue sit alia vis corpore vacans à nostro conditore cerebro indita, & morientibus animalibus recedat, nullam de hac re firmam rationem habeo, quin & eos (hæc memoria seruentur) qui de hac quicquam affirmarunt, audacia magis, quàm sapientia nos antecellunt.* Hæc nonne sunt luce meridiana clariora, atque dilucidiora? attamen multi quadam pertinacia obcæcati hæc non vidēt, aut non videre fingunt: vnde si Galenus illos audaces appellauit, qui audebant aliquid certi de animæ essentia pronunciare, quo nomine appellandi veniunt illi id ipsi attribuentes, quod neque somniauit? At non solùm illo in libro fatetur animæ melioris naturam ignorare, sed etiam lib. de Vtil. Respirat. sic. *Propterea quòd animæ substantiam ignoramus.* Et cap. 5. cum de spiritus animalis generatione sic. *Cum substantiam animæ nos ignorare simus confessi.* Et Cap. vltimo. *Licet autem quamuis animæ substantiam ignoremus; attamen ex diuisione ratiocinari debemus. Vnde necesse est, spiritum qui in ventriculis cerebri continetur, aut animam esse, aut primum eius organum. Sed si primum, cerebrum in seipso animæ substantiam habere necessarium est, & hanc insitam esse caliditatem aut spiritum, aut totam ipsius constitutionis speciem, aut si qua alia præter ipsam incorporea facultas existit.* Et lib. 5. de om. 5. C. 1.

C.8. facul. simp. Med. *Stoici hunc spiritum esse animæ substantiam autu-
mant. Nos sanè de animæ substantia non admodum pronunciare quip-
piam audemus, & ad præsens superuacaneum arbitremur: quanquam
nos iam ante spiritum innatum, etiam si non sit animę essentia, saltem
primum eius esse instrumentum demonstrauimus*, & libro 7. de Plac. Hip.
C.9. *Porrò, quæ huius spiritus animalis sit vtilitas, & cur, cum nos animæ
substantiam ignorare planè fateamur, hunc autem sic appellare audea-
mus, non est nunc dicendi locus.* Et lib. de Natural. facul. substantia sic.
*Anima ista an immortalis sit, quæ corporeis admista substantijs corpora
gubernat, nequaquam hoc certè scire affirmauerim*, & 2. de I. aff. *De hac
re inter philosophos ingens pugna existit, alijs eam, veluti in domicilio
contineri dicentibus, alijs verò ipsam corporis formam esse putantibus.*
C.7. & 3. de I. aff. *Cum anima sit aut actiuarum qualitatum temperamentum,
aut ab ipsarum temperamento immutetur.* Et libro 7. de Plac. Hip. iam
dicto hæc leguntur. *Si de animæ substantia pronunciare oportet, necessa-
riò dicetur, aut hanc esse lucidum, & æthereum corpus, aut substantiam
incorpoream.* & libr. de fœtus formatione ita. *Hactenus de anima non
fui ausus opinionem meam pronunciare, vt multis in operibus indicaui,
neque reperi vllum, qui demonstret an anima interitura sit, an sempiter-
na, vel corporea, vel incorporea.* Et paulò ante: *Cæterùm veluti dixi cum
nullam opinionem scientificè demonstratam repererim, dubitare me de
animæ substantia confiteor: quando sanè neque ad credibile, aut pro-
babile quicquam peruenire possim.* At si putasset ipsam temperamen-
tum existere, planè pronunciasset & ipsam cognoscere, & interituram
esse, & corpoream. At semper fatetur eius essentiam sibi ignotam esse, &
præcipuè hoc in libro de fætus formatione, quem ætate iam declinante
confecit, & post multos alios, vt patefacit legentibus. Et, vt finem im-
ponam, in lib. illo, qui inscribitur, An animi mores sequantur tempera-
mentum? à quo aduersarij statuunt quam facillimè probari Galenum
decreuisse illam esse temperamentum, hæc posteritati reliquit. *Inter has
autem totius animæ species, partesque Rationalem esse immortalem Pla-
C.3. to sibi persuasisse visus est. Ego verò sitne, an non sit, quid aduersus
ipsum, obijciam non habeo. Imprimis igitur de animi partibus in corde,
iecoreque domicilium habentibus, quas per hominis mortem interire v-
terque asserimus, contemplemur.* Hæc manifestam fidem faciunt an-
cipitem fuisse circa naturam animæ rationalis, & sermonem solùm ha-
biturum esse de alijs speciebus, à quibus verbis multi Medicam artem
profitentes decepti fuerunt arbitrantes tantummodo de illis verba fa-
cturum esse: at re vera falluntur. Semper. n. & rationes, & exempla, quæ
in medium affert aduersus animæ rationalis essentiam, direxit, vt eodem
capite, ac quarto, & quinto, & omnibus alijs vsque ad vltimum, anceps,
atque dubius. sicuti legitur cap. illo tertio sic. *Verùm enimuerò, si vt Pla-
to voluit, & immortalis est, rectè sanè ipse fecisset, si quemadmodum, &
alia de animi natura litteris mandauit, huius quoque rei causam retulis-
set, cur videlicet vehementer refrigerato cerebro, aut calefacto, præterea
resiccato, aut madefacto ipsa migrat è corpore. Nam secundum Platonem*

per

*per animæ à corpore separationem, ipsa migrat è corpore: cur verò san-
guinis copiosa euacuatio, & cicutæ potus, & exurens febris animam di-
siungat à corpore? A Platone itaque, si vitam degeret, omnino discere
libentissimè cuperem. Atqui dicti huius nullam firmam rationem affer-
re valeo, cum animæ substantia me prorsus lateat: qualis nam sit, si in
incorporeis ipsam numeremus: in corporibus namque temperamenta in-
ter se longissimè distantia, numeroque permulta esse conspicio. Incor-
porea verò substantia, cum ipsa per se subsistere queat, neque corporis
qualitas, aut species sit, in ipsa nullum discrimen inuenio. Cum ta-
men id sæpius considerauerim, & accuratiùs rimatus fuerim. necdum
etiam illud percepi, quo anima à corporis natura penitus aliena per to-
tum ipsum extendi valeat. Horum profectò dubiorum nullum, quamuis
magnopere longo tempore vestigauerim, neque vel cogitatione verisimili
enodare, aut deprehendere potui Quemadmodum neque cur flaua bile in
cerebro nimia contracta desipimus, atra verò melancholia vexamur; ne-
que cur pituita, & omnino refrigerantia lethargi sint causæ, vnde & me-
moriæ, & intelligentiæ iacturam facimus: necnon cur stultitiam cicuta
potui data efficiat.* & subdit. *cæterùm corporis temperaturæ non modò a-
nimæ actiones variant, sed etiam ipsam è corpore seiungere possunt*: hac
Galenus. quanam apertiora cupiuntur? nonne omnino ipse confitetur,
etiamsi diligentissimè considerauit, eius naturam ignorare? immo dubi-
tatiuè pro vtraque parte varias rationes adducit: Attamen sensu ductus
potius impellitur ad affirmandum animam corpoream esse, atq; tempe-
ramentum, quàm cogitatione, atque ratiocinatione impulsus. quod pa-
tefacit in fine libri his verbis. *Sermo itaque noster cum his, quæ sensui* C.11.
subiecta sunt, congruit. at si credendum est illi, vt scribitur cap. 3. impossi-
bile est sensum animæ essentiam cognoscere, cum ipse magnopere longo
tempore huius substantiam vestigasse narret, immo nec verisimili cogi-
tatione eam comprehendere potuisse affirmet. & ideo 2. de l. aff. scriptum C.9.
reliquit modum, *Quo læditur anima, inuentu difficilem esse, sed lædi ab
experientia manifestum*. quod etiam confirmauit libro supracitato, etsi
valde defatigatus. Quæ omnia indicant non credidisse animam existe-
re temperamentum: Facillmè enim iam dictorum adinuenisset causam,
cum illud à contrarijs destruatur partibus illis inalteratis, quorum est
temperamentum: incerto igitur animo asserere debemus hæc omnia scri-
psisse, etiamsi magis eius mens inclinare videatur ad statuendum potius
illam temperamentum esse, quàm aliam naturam libro iam citato, cuius
verba loquentis ad Aristotelis mentem. *Nam cum materia, species, &* C.4.
*compositum ex vtraque nominetur, animam eam esse substantiam, quæ
species dicitur, pronunciauit, aliud quippiam à temperatura dicere non po-
tens, quemadmodum paulò superius declarauimus*, quo loco probat An-
dronicum, qui animam temperaturam dixit, & cap. 5. *In præsenti autem
sermone, cum substantiam nostram qualitatibus commutari, eiusque in
similari parte temperiem naturale corpus efficere pro constanti acceperi-
mus, animæ essentiam temperie contineri demonstrauimus*. Attamen
paulò inferius dubia mente detentus hæc litteris prodidit. *Profectò si*
corpo-

corporis similaris species anima sit, ab eius substantia firmissimum argu-
Eodē cap. *mentum accipiemus: sed si ipsam immortalem esse, propriaque, vt Plato*
volebat, natura præditam pro certo habuerimus, at saltem eam corpori
subijci, atque obtemperare, vel secundum ipsum illum fatendum erit. Et
subiungit: *Nempe ex hoc ingens mihi iam suspicio oboritur, vt totam a-*
nimæ substantiam corpoream esse adducar, vt credam. A cuius verbis in-
notescit nobis, vt denotant iam dicta vltimò prolata, dubitatiuè illum
animam temperamentum esse affirmasse: immò si fides danda est illis,
C.8. quæ leguntur 7. de Plac. Hip. & Plat. sancire necesse erit substantiam in-
corpoream esse, quæ extant: *Si de animæ substantia pronunciare oportet;*
Necessariò dicetur, aut hanc esse lucidum, ac quasi æthereum corpus, ad
quod asserendum, velint, nolintque consecutione eos cogente, (descendent
& Stoici, & Aristoteles) vel ipsam incorpoream quidem esse substantiam,
vti tamen hoc corpore tanquam principali vehiculo, quo vtique medio alio-
rum corporum postea commercium habet; dicendum vero huiuscemodi cor-
pus per totum diffusum esse cerebrum: cuius postea particeps factus oculo-
rum spiritus lucidus efficitur. Ac cum demonstrarit adapertè spiritum
animalem in lib. de Placitis Hip. & Plat. animam nō esse, sed eius instru-
mentum; quis dubitabit animam incorpoream pro firmo ipsum non ha-
buisse? instant tamen aliqui in medium illa adducentes verba, quę nar-
C.5. rantur 5. de l. aff. sic. *Porrò omnium facultatum essentiam in peculiari-*
bus partium temperamentis consistere didicisti. Quæ confirmantur 1. de
sanit. tuenda. 3. de natur. facult. & 2. de temperam. At facilis me iudice
his est responsio. talibus enim in libris, vt peroptimè videre licet, non de
animalibus functionibus verba habuit, sed de naturalibus, vt de attra-
ctione, concoctione, & similibus, quæ à temperamenti diuersitate pen-
dent. Sed si in aliquo loco pronunciauit animam esse temperamentum,
vel in ipso consistere, aut ab ipso prouenire, dicemus ibi de anima prin-
cipe loquutum non fuisse, sed de alijs duabus; at si de illa respondebi-
mus semper dubitatiuè illud dixisse; vel illam pendere ab ipso, & in illo,
existere quò ad operationes, & actum secundum, non autem quò ad eius
esse, & actum primum. Variæ enim animæ actiones pro diuersitate tem-
peramenti partium absoluuntur. Quapropter Medicus sensu interdum
ductus censet animam temperamentum esse. Statuamus igitur Galenum
non cognouisse animæ cogitatiuæ essentiam, & potius eam sequi tempe-
C.13. ramentum, quàm esse, statuisse, quod nos Ille docet 8. de vsu part. dicens.
Melius est existimare intellectum sequi non compositionis varietatem, sed
corporis bonam temperiem. At quis ignorat aliud esse temperamentum,
& aliud esse ipsum sequi? Vnde affirmabimus nos, & recta ratione tem-
peramentum esse animæ instrumentum, quo partes ad animę obeundas
functiones aptæ redduntur, & accommodatæ. Nonnulli autem recentio-
rum in tanta autoritatum varietate putauerunt Galenum dubium fuisse
animam esse temperamentum, sed certum tamen aliquam esse essentiam
emanantem, vel consurgentem ab ipso temperamento, fortè in hoc se-
quentes Alex. Aphrodis. qui lib. 1. de anima hæc. *Anima verò symme-*
tria non est, sed vis quædam in ipsa symmetria consistens, quæ esse sine ea

nullo

nullo modo potest. Et in fine cap. *Essentia verò animæ non, vt illi concedere coguntur per harmoniam, & temperamentum erit: sed per virtutem, & potestatem, quæ in ipsa harmonia, & temperamento genita est, dignoscitur.* Sed longè isti à Galeni dictis discedunt; nam lib. 6. de Mor. vulg. com. 5. hæc nobis reliquit scripta. *Siue autem tota cerebri natura ex quatuor elementorum temperatione ad eam substantiam, vel proprietatem redacta sit, per quas sensus, motusque voluntarij in animali primus Autor habetur, & memoriæ, & intelligentiæ, nullam de hac re firmam rationem habeo.* Hęc in cognitionem nos ducunt illum non censuisse animam aliquam naturam esse ab ipsa mixtione suscitatam. Immo si dictis eius hæsitanter tamen pronunciatis acquiescendum venit, potius arbitrandum est putasse ipsam temperiem existere, quàm aliquam facultatem à mixtione obortam. sicuti litteris tradidit lib. de animi, & corporis consensu dum Andronicum Peripateticum laudat sic. *Verumtamen cum temperaturam, aut potentiam temperaturæ consequentem esse dicit, eam potentiæ adiectionem vitupero.* Non affirmauit ergo esse naturam quandam à mixtione obortam, vel consequētem illam, vt multi dicunt. quod non est alienum à ratione; composita enim esset anima ex contrarijs, quod impossibile ab Aristotele cēsetur lib. 1. de animo. *Cum harmonia, aut temperamentum sit contrariorum, ex quibus corpus componitur.* Similiter vt tex. 58. *inconueniens est rationem mistionis animam esse; non enim eandem rationem habet mistio elementorum secundum quam caro, & secundum quam os: accidet igitur, & multas animas habere, & secundùm totum.* Et 3. de anima, quo loco sermonem habet de intellectu possibili, hæc. *Vnde neque rationabile est ipsum mistum esse cum corpore; fieret enim qualis, calidus, atque frigidus; Et ei instrumentum aliquod esset, sicut sensitiuo, nunc autem nullum est. Præterea ab excellenti intelligibili non corrumpitur, aut noxam patitur: sed magis intelligit, sensus autem non potest sentire ex vehementi sensibili, vt ex magnis coloribus est videre: sensitiuum enim non est sine corpore.* Et quamuis referente Themistio *Sensus non sit corpus, quia tamen sedibus, & instrumentis corporis vtitur, eiusdem qualitatibus, quibus instrumenta afficiuntur, afficitur, quod de intellectu non contingit.* Nec cognosceret elementa, ex quibus constaret: nam vetaret, & prohiberet principium internum. Nec facile est adinuenire modū, quo anima corpus moueat, si ex elementis componitur; cum temperamentum non sit per se causa motus, sed alterationis, at si mouet, hoc ei cōtingit, quatenus est ab elemento prædominanti: vnde impetum graue, aut leue, quod est ab elemento prædominanti: vnde impetum motus sursum, aut deorsum haberet animal, non autem progressiuum: omnia enim elementa sua natura ad vnum extremorum tendunt, ad quod & mista secundùm elementum prædominans. Ad hæc temperamentum intenditur, & remittitur, at anima minimè, & hæc imperium habet in corpus, & illi aduersatur, quod omnino absurdum esset, si illa constaret, ex quibus & illud; cur enim & corpus non imperaret animæ? Insuper cur Anima non afficitur morbis, si temperamentum, cum hoc à contrarijs inalteretur? Et cur non patitur Senium, sed in quo? sicuti scribi-

Com. 5.
C. 4.
Tex. 54.
T. 6.
Them.

T. 65. 66. C. 7. ſcribitur. i. de anima quod patefecit etiam Gal. 5. de Plac. Hip. ſic. *Quemadmodum ſanitas corporis eſt ſimplicium eius partium, quæ elementa appellamus, calidi inquam, frigidi, ſicci, & humidi æquabilitas: eodem modo animæ erit ſanitas ſimplicium eius partium, & pari ratione morbus earum inæqualitas quædam erit, atque diſcordia: Partes ex Platone nullæ aliæ ſunt, quàm iraſcibilis, rationalis, & concupiſcibilis: & ſicut inæqualitas quatuor qualitatum non alterius cuiuſpiam, ſed corporis ſolius eſt Morbus: ſic animæ tantum Ratiocinatricis facultatis diſcordia, & Seditio.*

Tex. 60. Et parui refert, ſi Philoſ. eodem lib. quaſdam dubitationes proponit, quæ videntur quoquomodo affirmare animam eſſe temperamentum, ſimiles quibus etiam adduxit Gal. lib. an animi mores ſequantur temperamentum. Verba Ariſtot. ſunt. *Hæc igitur habent huiuſmodi dubitationes: Si verò aliud eſt à miſtione anima, cur vnà cum ipſo carnis eſſe, & aliarum partium animalis tollitur? ad hæc autem ſi quidem non vnaquæque partium habet animam, ſi non eſt anima ratio commiſtionis, quid eſt, quod corrumpitur anima deſerente?* Has dubitationes non tollit è medio Phil. quia ſolutio vt Ioan. Gram. ſatis eſt nota legentibus, ſolueret tamen ſic, vt etiam alibi diximus. *Quòd ratio miſtionis, & compoſitio, quod eſt idem, ſi dicas harmoniam, rationem eorum, ſine quibus non ſunt, ad animam habent: non enim fieri poteſt, vt ſi hæc non ſint (ſcilicet miſtio) ipſum ſit corpus organicum, quòd ſi neque corpus organicum, animam in eo eſſe impoſſibile eſt, non tamen illa ſunt anima, veluti non ſine aeris perſpicuitate lux ipſa agit, neque tamen lux, & perſpicuitas idem ſunt. Rurſus autem econuerſo, ſi defecerit anima harmonia ſtatim deficit; quare quod ipſam continet, atq; ipſam ſemper cōſeruauerat, deficit.* Non eſt igitur harmonia, vt rectè dixit Simp. ac ſine ea eſſe impoſſibile, qui hæc. *Neque igitur corporatorum elementorum compoſitio, aut qualitatum temperatio, aut mutuus ille compoſitorum, mixtorumve conſenſus, atque ratio eſt animata vita. quando non diſtinguit vulgus vitam, quæ tanquam inſtrumento vtatur, à vita ea, quæ inſtrumenta effingit, & ideo Alexandro Ariſtotelis interpreti id quoque euenit, qui nequaquam iudicat tanquam inſtrumento anima ipſa vti.* Omnia hæc demonſtrant animam temperamentum non eſſe, nec naturam aliquam ab ipſo reſultātem. Sed redeamus, vnde digreſſi ſumus, hęc enim ad medicum parum attinent Gal. teſte 6. de Mor. Vulg com. 5. *Satis enim eſt cognoſcere cerebri temperiem inuiolatam ſeruari, & ſpiritus quoque animalis in ſinibus contenti, atque cognoſci à medico,* vt de mutuo animi, & corporis conſenſu à corporis temperamento animæ actiones aut aboleri, aut minui, aut deprauari.

Sedem nobilioris, meliorisque Animæ eſſe cerebrum, & cerebri corpus, & non Ventriculos, vt non pauci affirmant. Cap. 2.

QVoniam ſatis non eſt medico in morbis profligandis functionem læſam cognoſcere; ſed neceſſe eſt & domicilium, quo reſidet ipſa,

notum

notum eſſe, vt auxilia neceſſaria tali parti admoueantur. Operępretium erit animo indagare, qua in parte præſtans hæc anima commoretur, & inhabitet, quod ſanè per arduum, & perdifficile cenſeo: Peripateticorum enim multi, vt medicorum non pauci acerrimè de hac re inter ſe contendunt, atque obſtrepunt: illi enim cor, iſti autem cerebrum ſedem ſtatuũt: ego autem, cum medicus ſim, medicas partes ſuſcipere decreui, & eas perſpicaciori tamen ingenio dignas, atque doctiori omnibus uiribus tueri. Communis eſt omnium Medicorum ſententia, & præcipuè Gal. in lib. de Plac. Hip. & Plat. cerebrum eſſe arcem, & ſedem rationalis potentiæ, cuius ſententia tantis, demonſtratiuiſque rationibus comprobata fuit, atque erit, vt nullus, ni fallor, ſuperſit philoſophis dubitandi locus. Vbi enim neruorum eſt origo, ibi venit collocandus animæ pro voluntatis imperio mouentis principatus: at hi à cerebro oriuntur; ergo ſtatuendum erit eius domicilium cerebrum eſſe. Omnibus autem notum exiſtit ibi commorari animam, vbi accommodata ſunt inſtrumenta, quibus ſuas actiones edere poſſit, vt nos docet Ariſtot. & Auer. pluribus in locis: Illos autem a cerebro originem trahere indicant, atque demonſtrant quotidianæ humani corporis inciſiones, & eorum craſſities, & magnitudo à cerebro emergens: venæ enim in iecore, & arteriæ in corde maiores conſpiciuntur, quam alijs in locis: Præterea nonne conſonum eſt rationi maius eſſe inſtrumentum apud originem ſuam, quam cum in varijs deriuatur partibus? ibi enim facultas procreatrix vigoroſior, & materia, ex qua producitur, copioſior: adde ſemper eſſe neceſſariam ſimilitudinem rei genitæ cum generante: atteſtantur enim genita ſuis principijs: ſed quæ nam maior ſimilitudo poteſt adinueniri, quàm neruorum cum cerebro? albicantes enim & exangues conſpiciuntur, ita vt videantur cerebrum concretum, & craſſefactum: Inſuper à cerebro varij nerui oboriuntur, qui minimè continui inter ſe exiſtunt, vt illi qui à parte anteriori cum poſteriori, manifeſtum indicium cerebrũ eorum eſſe primordium, atque originem; Si enim à corde initium generationis ducerent, eſſet vnicus neruus, qui continuitate ſua per totum corpus diſtribueretur, ſicut de arterijs, & venis contingit, quæ continuæ ferunt alimentum partibus: non enim adinuenitur aliqua vena, quæ à iecore ortum non trahat, nec arteria, quæ non à corde: vnde ſtatuere oportet cerebrum eorum eſſe initium, atque principium. Ea autem in parte, qua exiſtit, inſtrumentum producitur, ibi & reponendam neceſſariò facultatem nemini eſt obſcurum, quod varia experimenta patefaciunt: Si enim Galeno teſte libr. 2. de Decret. Hippocr. *Neruos illos collidas, ſiue digitis, aut laqueis comprimas, ſiue ſeces, qui cor cerebro vnam cum arterijs connectunt.* Ex his omnibus læſionibus vnum, eumdemque caſum accidere animali conficies. *Mutum quidem ſtatim efficietur: nullaque alia functio, neque tunc illico, neque poſt aliquanto noxam aliquam contrahet.* & ſubdit *Quin etiam cerebri facultatum primam originem non eſſe in corde, cognoſcere ex eo licet: quod iam iidem nerui, vel præciduntur, vel laqueo comprimuntur, mutum animal tantùm redditur: inſpi-* Cap. 6.

rat, & expirat nullo oblato impedimento, vtroque eo, quem superius diximus, inspirationum, & expirationum modo: iam in quatuor membris, hoc est brachijs, & cruribus, functio omnis adhuc, quemadmodum antea extat: audit etiam, & videt, reliquisque omnibus sensibus integris fungitur: sola enim animalis, vt dictum est, vox interit, si nerui, qui arterijs annexi sunt, presecentur. Hæc omnia fidem faciunt facultatem illam animalē in cerebro residere, & non à corde ad cerebrum transmitti, & à cerebro postea ad neruos: Quoniam fieri potest, vt aliqui arbitrentur,
Loco cit. quòd tamen est falsum, sicut demonstratum est; *Vt licet omnium neruorum origo cerebrum sit, vim tamen, facultatemque sentiendi, ac mouendi à corde accipiat, quam postea cerebrum per neruos in totum corpus distribuat. vt quasi magni Regis præfectus secundum quandam non principalem originem obtinere videatur.* Et quoniam aliquis dubitare potest, talem facultatem per arterias, aut venas à corde ad cerebrum deriuari: tollit è medio talem dubitationem dicens. *Si verò arteriæ, vel interceptę laqueis, aut abscissę fuerint animal neque mutum, neque so-*
Cap.6. *pitum euadet, (nisi vna cum arterijs nerui etiam constringantur, vt infra legitur) sed tantùm efficietur, vt omnes, quæ supra vulneratas partes arteriæ, penitus pulsu priuentur. Venis autem aut laqueo comprehensis,*
Cap.6. *aut præsectis functionem euidenter interire deprehendes; Manet igitur facultatem per neruos tantum deferri. Cum tantum hæc tria genera cor cerebro connectant.* Ad hæc cerebri contusis, aut vulneratis ventriculis torpidum euadit animal, ac motum amittit, immo cerebro compresso,
Cap.4. vt ait Hip. non mutum duntaxat fit animal; sed respirationis protinus expers, & vocis redditur, sic etiam si neruorum initium abscindatur, euestigio motu, & sensu priuatur: quod minimè contingit abscisso illo neruo, qui à cerebro ad cor descendit. Præter hæc omnia organa sensuum, à quibus omnis nostra cognitio dependet, caput exornant, vt species rerum sensibiliū immediatè repręsentētur sensui cōmuni propinquissimo, quod fortè in tempore esset, si in corde resideret, pręcipuè cum aliquid degustaremus; cum proprium organum narrante. Aristot. sit in corde: attamen sapore occurrente linguæ confestim percipitur sapor; etiamsi ille sensus reputetur inter magis materiales: Adde cerebri vitia nunc sensum, nunc motum, nunc nobiliores potentias lædere, & nunc omnes, & nunc vnicam tantùm. Nonne & phreniticis auxilia capiti admota opem ferunt? Et si aliqua pars ægrè moueatur sano existente organo particulari, aut sentiat obscurè, curato capite, & ipsa sanatur? Cum ergo sensus omnes collocentur in capite, qui proprijs obiectis mouent internas meliores animæ potentias, & nerui ab ipso producantur, qui motus voluntarij, ac sensus sunt instrumenta, statuendum venit in ipso propriam sedem habere; cum his anima suas actiones in apertum edat. Non abhorret à sententia Gal. Plato in Timæo, qui sequutus est Pythagoram dicens. *Dicitur cerebrum planè medulla, in quo, veluti in agro, diuinum semen erat eiulandum hoc est anima rationalis.* Nec Hippoc. qui in libro de Morbo sacro, litteris hæc prodidit. *Cerebro sapimus, intelligimus, audimus,*

dimus, videmus &c. Et Arist. ipse Sect. 33. Probl. quo quærit. *Cur sternutamentum augurium putamus: respondet, quia ex diuinissimis eorum, quæ circa nos fiunt, scilicet capite, vnde ratio est, fit.* Quod confirmat & Part. 30. Prob. 3. Quid plura, nonne docet nos cognoscere animi mores lib. 1. de Part. animal. Non solùm fronte inspecta, sed quibusdam particulis tantùm, vt existunt supercilia, quæ nihil conferunt ad cordis refrigerationem? & lib. de Memor. & Remin. cap. vltimo, quo quærit. Qui nam sint minus memoratiui ait. *Sunt autem superiora maiora habentes, & nanis similes minus memoratiui, grauitatem enim multum habent in primo sensiterio.* Superiorem partem esse caput omnibus notum, & nanos id magnum habere respectu totius notissimum. Sed vt omnis difficultas auferatur, adducam Arist. sententiam lib. de somno, & Vigil. cap. vltim. qui partes inferiores nuncupauit omnes partes subditas capiti; cuius verba. *Est autem tenuissimus quidem sanguis, & purissimus, qui in capite, crassissimus, & turbidissimus, qui in inferioribus partibus.* Nec aliquo in loco, si benè recordor, collocauit cor inter superiores partes, sed aut in inferioribus, aut in medio totius, vt lib. 3. de Partib. animal. demonstrat. Erunt itaque partes subditæ capiti inferiores appellandæ, & caput superior. Prob. 7. Cap. 8. Cap. 4.

Sed quæso consideremus etiam, si cordi aliqua sit aptitudo ad animæ functiones exercendas. Re vera si eius distantiam ab organis sensuum, motum, feruorem, & substantiã mente conspicimus, confitebimur animæ nobilioris muneribus omnino esse ineptum. Quomodo enim cum longè distet ab externis sensibus, potest sensus communis ibi inhabitans suasore Arist. percipere species rerum sensibilium nullo existente organo illas deferente ad ipsum? quale enim erit, fortè arteriæ, vel venæ? vt aliqui recentiores dicunt: minimè, impediretur enim à crassitie sanguinis transitus specierum vnà cum spiritu, & calore transcurrentium, aut saltem in tempore fieret ab anima perceptio; quod apertè patet in organo visus: si enim nerui optici, qui medij sunt inter cerebrum, & oculos, vel cor, & oculos, vt loquar Aristotelico more, vapore crasso repleantur, animal ægrè, & obtusè cernet, & cum labore, & aliquo in tempore: at si crasso humore obturentur, visu confestim priuatur sano existente & oculo, & cerebro; & sanguis non prohibebit? Præterea si per venas, aut arterias rerum spectra deferuntur ad cor, cur neruis opticis clausis animal non cernit? cum arteriæ, ac venæ naturalem suum statum seruent & oculus omnino sanus existat. His adde Arist. aliquo in libro non affirmasse venas, vel arterias hunc habere vsum, quem hi somniant, nec de hoc munere verbum quidem fecit vt lib. 3. de partib. animal. quo in cap. diligenter inquirit, & vestigat, causam, ob quam natura condidit venas, quæ est, vt sanguis quasi per riuulos ad varias partes transferatur, quod etiam legitur 3. de natura Animal. Erunt fortè nerui? minime; sunt enim hi alijs actionibus destinati ipso docente lib. 3. de Nat. & part. animal. Cui igitur coniunguntur nerui illi optici, auditus organa, olfactus, & gustus, vt ad cor perueniant? præcipuè cum ille affirmet lib. 2. de gener. animal. Cor non esse domicilium animæ nob.

Cap.2. mal. Meatus vnius cuiusque sensorij tendere ad cor: cuius verba. *Meatus enim sensoriorum omnium, vt dixi, cum de sensibus agerem, tendunt ad cor, aut ad cordis porportionale, si corde carent:* At nerui illi in substantiam cerebri degenerant, & nullus est eis nexus cum illis partibus, quæ ad cor perueniunt. si oculi in dissectionibus nos non decipiunt. fortè vehiculum erit facultas abdita quædam, aut occultum medium, cum manifestum non adinueniatur. Sed non pauci, vt subterfugiant omnia iam eorum sententiam destruentia, asserunt non esse necessarios ductus illos species rerum deferentes, sed eis satis esse calorē, & spiritum. quod prorsus aduersatur Magistri Placitis. lib. enim de gener. animal. 5. apertissimè pronunciauit Meatus esse sensoriorum omnium ad cor tendentium. ergo non satis est adinuenisse calorem, & spiritum commune instrumētum; sed oportet etiam reperire meatus illos destinatos vnicuique sensui, sicut ille dat exemplum ibi de meatu auditus, qui ad partem, vt ille dicit, spiritalem terminatur. Ad hæc perpetuus ille motus, qui ab anima potiori non pendet, cum pro voluntatis imperio non auferatur, & imperetur, cogitationis operationes interturbare potest, quæ quiete potius reuera absoluuntur. Insuper cor feruore, & vaporum copia fuliginosa incommodaret animæ functionibus. si enim Arist. teste. 2. de par. animal.

Cap.10. *Sensus exquisitiores per partes, quæ sanguinem habent sinceriorem, absolui necesse est. sanguinis enim calidioris agitatio officium sentiendi intercipit, atque refringit.* quantò magis censendum erit Sensum Communem, & phantasiam, facultates exquisitiores sensu illo, & vt ita dicam minus materiales, indigere loco quietiori, ne officium suscipiendi, atque iudicandi intercipiatur, & refringatur? certum autem habetur ab omnibus has potentias & loco, & instrumento vti ad proprias obeundas operationes: sicut etiam certissimum existit, cor esse calidissimum, & feruidissimum, vt inspiratio, & expiratio indicat. Scribuntur iam dicta 2. de Part. animal-

Cap.2. sic. *Sanguis magis crassior, & calidior est roboris factiuus; vim autem sentiendi, intelligendique obtinet pleniorem, qui tenuior, atque frigidior est. necnon inter ea, quæ sanguinem habent, ingeniosiora suis contrarijs sunt, quæ sanguinem habent frigidiorem, & tenuiorem.* Calidiorem contineri

2. de part. ani. c. 10. in corde sanguinem, quam alijs in partibus omnibus notum, & in cerebro subfrigidiorem, vel minus calidum notissimum, sicuti ipse Phil testatur dum de instrumento Visus agit: immo lib. de somno, & Vigil. cap. vlt. hæc. *Est tenuissimus quidem sanguis, & purissimus, qui in capite, crassissimus, & turbidissimus, qui in inferioribus partibus.* Audebit fortè aliquis pronunciare inferiores partes dici illas quæ sub thorace locantur? non animaduertens inferiores solùm vocare omnes loco citato, quæ subditæ sunt capiti? Denique, vt finem imponam, est cordis substantia dura, & crassa, quod autem tale, difficile suscipit rerum species; fit enim in parte alteratio, & mutatio quædam, dum suscipiuntur illæ. quod nos docet lib. de Memor. & Remin. his verbis. *ob nimiam partis duritiem idolum non imprimitur, & ob nimiam humiditatem non retinetur* & cum cor sit natura membrum sanguineum rubeo suffusum colore, quo pacto potest

imme-

immediatè,neruos,motus instrumenta,exangues,& albicantes procreare? Experientia etiam comprobatur cor non esse potioris animæ sedem; ipso enim denudato, aut vulnerato animal adhuc vocem edit, deambulat,& intelligit, si credendum Gal.2. de Plac.ita, *Si cor denudaueris, vt in* Cap. 4. *superiori etiā libro dictum est, idque ipsum apprehensum manu comprimas, ac collidas, non tamen ob id spiratione, aut voce priuari animal videbis: neque vel in vna aliqua motus, qui per appetitionem fit, functione impediri.* Præterea supercalefacto corde, vt in febre ardenti contingit, quæ procul omni dubio est cordis passio, atque noxa, vel in hectica febre, homo non delirat, nec desipit. at cerebro æstuanti deliria concitantur, mentisque furores. Hæ sunt rationes probantes Medicorum sententiam certissimam esse: attamen admodum est arduum opinionem hanc ab animis Peripateticorum penitus euellere. etiamsi his rationibus non pauci coacti fuerunt, inter quos enumeratur Alber. Mag. lib. de Animal. Egidius, D. Thomas, & Ioan. Iand. & inter Medicos Auic. & Auer. Aristotelis fidelissimus interpres, pronunciare cor esse principium, initium, & radicē omnium animalium functionum, sed manifestari eas tanquam aptiori loco, in cerebro: ita vt imaginatio refulgeat in anteriori eius parte, cogitatiua in media, & memoria in posteriori. quorum dilucidatio, & præcipuè Auer. circa præsens theorema, quantum distet à sententia Arist. patefiet omnibus, si legent lib. de sensu, & sensato, de somno, & Vigilia, & 2. de Part. Animal. quibus in locis adinuenient cōmunem sensum in corde vnà cum imaginatione, & particularia instrumenta gustus, & tactus inhabitare, atque locari. Nec intelligo ego, quomodo perficiantur opera communis sensus, phantasiæ, & memoriæ in cerebro, vt aliqui recentiores statuunt, cum primum sensitiuum perfectissimo modo sit in corde, & consequenter imaginatio; est enim idem sensitiuo imaginatiuum, sicuti lib. de Insom. & 2. de anima. Ad hæc quænam fit à cerebro circa imaginationem actio in tempore somni; *Cum calor ad cor vnà cum sanguine refugiat, collectaque copia caloris in loco inferiori somnum faciat, & facultatem erigendi caput auferat?* re vera nulla, si Arist. dogma sequamur; attamen tali tempore imaginatio admiranda agit, vt in somnijs obseruare licet: Nec arbitrandum existit à parte ignobili, vt à cerebro, operationes animæ à nobiliori inchoatas perfici. cerebrum esse tale respectu cordis litteris tradidit Phil. lib. 2. de Part. animal. his verbis. *Quippe quod nihil sanguinis habeat, squaloreque obsitum sit, atque horri-* Cap. 7. *dum nec verò excrementum est, nec inter partes continuas enumerandum, sed sui generis est: nullam verò cum partibus, quæ vim obtinent sentiendi continuitatem habere intuitu patet, tum vel maximè inde constat, quod cum tangitur nullum efficit sensum, quemadmodum & sanguis, nec excrementum animalium vllum. & subdit narrans eius vsum. Cerebrum igitur calorem, feruoremque cordis moderatur, & temperiem affert.* Ex iam in medium allatis concludamus igitur arcem nobilioris animæ esse cerebrum: attamen non concedimus cerebrum posse operationes proprias obire sine adminiculo cordis, atque iecoris, sicuti cor sine respiratione,

quæ

quæ actio est animalis, permanere non potest, nec iecur sine calore à corde influente sanguinem gignere, nec cor sine iecore sanguinem procreante. & ideo mutuus est horum nexus, & tanta existit connexio; vt vnum sine altero per tempus diuturnum permanere non possit; famulantur tamen cor, & iecur cerebro, tanquam nobiliori, ac potiori parti. est enim illis commercium quoddam: sicut legitur lib. 2. de Cauf. Pul. sic.

Cap. 12. *An verò errant in eo, & mentiuntur, qui putarunt illis nullum commercium esse; nam Princeps huius Placiti diuinus ille Hip. Confluxio vna, inquit, est conspiratio vna, omnia omnibus consentiunt, natura communis: nam, nisi hoc esset, duo animalia esset, nec vnum quisque nostrum. nunc arterias cor cerebro vinculum societatis transmittit*. Residet aut anima illa nobilior in cerebro, & in eius substantia, non autem in ventriculis, vt nonnulli crediderunt, quod à fontibus haurienus Gal. qui hæc scribit lib. 3. de loc. aff. *rationi consonum videtur animam in cerebri corpore sedem obtinere, & in ipso rationem, & sensibilium memoriam residere*. At dicat fortè aliquis pro cerebri corpore præcipuè ventriculos vsurpasse: quod alienum est à mente eius; nam in Arte parua hæc leguntur. *Optimè intelliget anima, si cerebrum substantia subtili sit donatum, at tardè si crassa: si stabili memorabitur, si molli facilè imaginabitur*: Quid dilucidius, semper enim de substantia cerebri verba habet, & non de ventriculis, ob cuius aut mollitiem, aut crassitiem aut clarius, obscurius operatur anima & 8. de Plac. Hip. & Plat. *Concludit ibi animam habere principatum, vbi nerui nascuntur*: at hi ab eius substantia, & non à ventriculis ortum ducunt; & omnibus illis in libris semper decreuit cerebrum esse melioris animæ domicilium: at si in ventriculis, vel capacitatibus illis commoraretur anima, habitaret vnà cum spiritu, quo ablato discederet & illa; quod omnino est falsum, si Galeno credendum dicenti 7. de Plac. Hip. Non longè à principio. *Præstat, igitur existimare in ipso cerebri corpore animam habitare, cuiuscunque sit substantiæ, cuius primum organum est spiritus animalis, qui si euacuetur, vt per vulnera contingit, non perit animal, atqui si esset animæ substantia, simul cum eo, vbi euacuaretur, animal protinus periret, sed recollecto spiritu reuiuiscit*. At hoc magis euadet adapertum, si ventriculorum vsum ad mentem illius indagemus. Sunt hi numero varij, anteriores. Expirationem, & efflationem ex cerebro efficiunt, & spiritum animalem cerebro præparant, & infra suis partibus duos meatus ad nares mittunt expurgandi cerebri gratia, qui & olfactus sunt instrumenta, duo hi in vnum communem coeunt, quem si ventriculum appelles, nihil refert, hic spiritum ex anterioribus ventriculis parecemphalidi transmittit; postremus in cerebello est, quem oportuit commemorabilem habere magnitudinem, spiritumque animalem ante in ventriculis anterioribus confectum transsumere; nerui enim omnes, qui sub capite per totum corpus diffunduntur, à spiritu illo motum, ac sensum suscipiunt; hæc litteris mandauit 8. de vsu part. & 9. de Anat. administr. quibus in libris ne verbum quidem de anima, nec de eius functionibus. Sed aliqui insurgent dicentes, cur 3. de loc. aff. tam

Margin notes: Anima in substãtia cerebrinõ in uẽtric. — Cap. 7. — Cap. 17. — Ventriculorũ usus.

affectam extollit ventriculum postremum, & medium? & vitiata parte anteriori cerebri, & ventriculo eius supremo cogitandi actiones oblædi, & sensum, & motum perire affirmat? & cur obstructis ventriculis omnes facultates destruuntur? his nos dicimus in substantia cerebri principes omnes facultates contineri, & proprium munus obire: in ventriculis autem & capacitatibus esse spiritum animalem, à quo sensitrices actiones, & motrices perficiuntur: impertitus enim interueniente cerebro sensuum organis varia opera edit; & spinali medullæ transmissus motum gignit, atque suscitat; quæ nos docet 3. de l. aff. dicens. *Et ipsius animæ instrumentum tum in sensibilibus actionibus, tum in his, quæ à consilio, & voluntate prodeunt, spiritum esse, qui in ventriculis, magisque postremo continetur; quamuis non sit contemnendus tertius ventriculus.* Ac quocunque ventriculo læso semper sequitur noxa siue sensitiuæ, siue motricis facultatis, sicuti legitur lib. 7. de Plac. Hip. sic. *Si cerebrum quomodocunque incidas, non prius sensum, & motum amittet animal, quam ad aliquem ventriculorum vulnus penetrauerit.* Sed maximè, vt scribitur eodem libro, posterior ventriculus animal offendet, *deinde medius, vterque prior minimam offensam inducit cerebro: indicant cerebri contusiones ad ventriculum peruenientes.* Et ideo substantia cerebri anteriori vitiata afficiuntur maxime principes functiones; & quoniã ventriculus medius, quem supremum appellat, & reliquum cerebrum compatitur, necesse est & motum, & sensum perire. At si illi occludantur, omnes pereunt facultates ob inopiam spiritus, qui à retiformi plexu in ipsis suscipitur, & postea in cerebrum migrat, & fluit: celebrauit postremum, & medium respectu anteriorum, non autem in relatione ventriculorum ad cerebrum, vt falsò multi putauerunt.

Ca. 7. & 4 Cap. 2. Cap. 7. Cap. 3.

Satis igitur iam probatum esse arbitror sedem animæ non esse ventriculos, vt aliqui pronunciauerunt, quod nõn est mirum; varij enim varia dixerunt. Credidit namque Erasistratus in membranis cerebri illam residere referente Galeno, quod omnino absurdum; illas enim ad tutelam, & conseruationem cerebri condidit natura, at si inuolucris illis inflammatis mens in falsa traducitur, hoc euenit ob nexum, & societatem illarum cum cerebro: calor enim ab inflammatis membranis suscitatus cerebri substantiam inuadit, & inalterat: Prætermitto redarguere priscorum Medicorum, ac Philosophorum varias sententias, ne tempus verbis conteram. Herodotus si quidem in auribus eam locauit, fortè hoc impulsus; quoniam scientiæ per auditum acquiruntur à præceptoribus: Strato apud supercilia: oculi enim nos ducunt in cognitionem variarum rerum: Xenocrates in vertice capitis; finxere enim poetæ Mineruam è Iouis vertice natam fuisse: & Herophilus circa cerebri basim: hæc omnia refert Plutar. in libello de Placitis philosophorum. Sed de his hactenus; iam enim videor dignioris animæ sedem abundè designasse.

Variæ opiniones de sede Animæ.

Non est autem censendum, vt multi affirmant animam aliquo in loco particulari domicilium habere, etiamsi Arist. statuat multis in libris cor eius sedem existere, & Gal. cerebrum: si enim hoc esset verum alia

Anima quõ sit in parte aliqua.

membra

membra inanimata essent, vel si animata per accidens talia; vel anima non informaret totum corpus organicum, quæ absurda ab omnibus iudicantur; erit igitur aliqua pars Sedes actionum principalium; vtitur namque anima determinata parte, ac determinatis organis ad propria munera obeunda; in oculis enim videt, auribus audit, pedibus deambulat, & cerebro sapit, & intelligit, vel corde, vt Arist. illi enim propria instrumenta existunt, quibus operatur, at pars illa est tali substantia, structura, & conditionibus decorata; vt in ea refulgere possint tales operationes, non videt autem, pedibus, nec iecore sapit; quoniam tales partes, etiamsi anima sit illis præsens, non sortiuntur talem structuram, atque essentiam, quæ sit apta ad visionis munus obendum; si enim in pede esset oculus, & ibi videret anima: attamen arbitror ego difficile esse probare Galenum tali fuisse sententia: quoniam sæpe, atque sæpe affirmat animam cerebro commorari, & eius facultates organis impartiri.

Cerebrum quibus dotibus debeat esse insignitum, vt melior anima integrè proprias operationes exerceat, quæ omnes à temperamento non pendent, vt Multi statuunt. Cap. III.

QVoniam varijs patefecimus rationibus, atque exemplis animæ arcem cerebrum esse: non alienum erit à ratione in medium afferre ea, quibus talis sedes debeat esse donata, atque exornata vt anima suas proprias functiones integrè, & non obscurè edat: neminem enim latet omnes formas pro diuersitate materiæ, in cuius sinu resident, nobiliores, aut obscuriores producere effectus. Quatuor censeo ego esse necessaria, vt cerebrum his accommodatum sit domicilium, quæ sunt. Optimũ temperamentum; Substantiæ quædam tenuitas, mollities atque sinceritas: Magnitudo mediocris; & concinna figura, minimè inæqualis.

Cerebri Tẽperies. Cap. 9. Est cerebrum temperatura frigida, atque humida præditum in relatione ad partes sanguineas, & ad cutem, sicuti nos docet Gal. lib. 1. de Temp. ita. *Spinalis autem medulla cute est humidior, atque frigidior, sicuti hac rursus humidius est cerebrum: tanto autem omnia sunt cute frigidiora, quantum minus habent sanguinis.* & Cap. 3. lib. 2. hac. *Cerebrum, & spinæ medulla eiusdem sunt generis: reliquæ omnes medullæ alterius naturæ sunt. est tamen humidius, ac calidius cerebrum, quam spinalis medulla, eoque etiã mollius. Præterea ipsius cerebri priores partes tanto sunt humidiores, quanto molliores: omnia tamen hæc cute non humidiora modo sunt, sed etiam frigidiora, vnoque verbo; omne exangue frigidius est sanguine prædito.* natura quoque frigidũ esse decreuit li. 5. aph. quod fortè respiciens Hip aph. 18. statuit ipsi frigidũ esse inimicũ. nec obstat iã dictis,

Cap. 2. si lib. 8. de vsu part. affirmat *quouis tempore cerebrum multo calidius aere inueniri, siue ruptũ alicuius caput manibus curemus, siue etiam experiendi gratia animali cuius cranium exciderimus, deinde meningibus discissis tangere voluerimus.* Est enim cerebrum calidius quouis aere. *Si consideretur vnà cum venis, & arterijs magnis, atque multis, quæ in ipso existunt.*

Vt paulò ante patefecit ille i nmo hæc subiunxit. *Atqui ò generosissimi, tenuem meninga calidum esse confitentes, audetis adhuc cerebrum pronunciare frigidum, quod ab ea ita intertexitur, vt nulla ipsius inueniatur particula, quæ membrana hac careat? an hoc quoque ignoratis, existimatisque cerebrum duntaxat ab ea contineri, non autem succingi, ac vndique intus intertexi?* Hæc omnia arguunt calidius esse cerebrum quouis aere, caliditate influente, at non propria. *Hoc si optimam sortiatur temperaturam quatuor qualitatum omnia eius opera perfecta erunt.* Si præstanda est dictis Gal. Fides in Arte Medica, Optima temperatura reputatur, si nullus fit excessus earum qualitatum cerebro inconueniens: bona enim non sumitur hoc loco absolutè, sed in respectu ad talem partem, talis aūt reputatur, quæ ad actiones proprias obeundas apta existit, à qua si deflectat, cerebrum incommodum erit actionibus animæ, si non omnibus, saltem pluribus; in vno enim recessu magis viget vna potentia, quàm altera: quoniam quibus cerebri natura ad siccitatem vergit, hi memoria pollent; quibus ad humiditatem ad imaginationem, non tamen modum excedentem; cum enim modum hæc excedit, sensus hebetes, & ignauos reddit, sicuti mediocris siccitas sensuum omnium perfectionem suscitat. Motiua, ac discursiua optimè munere funguntur, si temperatura ad calidum, & siccum inclinet; & ideo decreuerunt Omnes Prisci teste Galeno animam siccam, siue spiritum siccum sapientiorem esse. Hæc omnia optimè considerans diuinissimus ille senex verba hæc.1.de Diæta pronunciauit. *Cum in corpore pars ignis siccissima, & aquæ humidissima æqualiter temperantur prudentissimum nascitur.* At si calidior temperatura, quàm par sit, teneat cerebrum, Mobilitas in opinionibus excitatur, si frigida, stabilitas, vt eodem libro legitur. Nec mirum, cum hæc fiant mediante phantasia; quæ cum resideat calidiori domicilio, facilè transmutatur; transmutatur autem ob velocem compositionem, ac diuisionem phantasmatum, quæ à calore è vestigio repræsentantur; & cum sit in parte calidiori ab omni appetibili facilè mouetur, quod autem ab appetibili facilè mouetur, eadem sententia non manet: sed facilè secundum opinionem mutatur. Calidi enim est exagitare, & mouere, sicuti frigidi est retardare, & consopire. & ideo illi mobiles, isti autem tardi; frigidum enim omnes actiones tardas, & sopitas reddit. & humiditas excedens ignauiam animæ, vt 3. de loc. aff. frangit enim calorem, & spiritum animalem retardat. Est etiam superflua siccitas incommoda; errabundum enim reddit spiritum, & partem cerebri suscipientē exiccat, quod nobis tradidit Arist. lib. de Memor. & Remi. etiamsi de Cerebro sermonem non habeat dicens. *In humidioribus enim non manent rerum spectra, & in siccioribus non imprimuntur.* Vnde tales inscientes, & immemores redduntur. at si cerebrum optimam sortiatur temperaturam, princeps anima omnibus in suis actionibus optimè se habebit, vt scribitur 8. de vsu part.

Substantia sic Tenui, vel subtili. *Ingenium enim à subtili substantia, & intellectus tarditas à crassa emergit docente Gal. lib. de Arte Medica.* Subtile hoc in loco à varijs diuersimodè vsurpatur; aliqui enim pro subtili permeabile, & lucidum intelligunt; alij purum, & ex sinceriori materia *(Cerebri substãtia qualis.)*

conflatum; non pauci molle, hoc enim facilè specierum impressiones recipit. nos autem subtilem appellamus substantiam, quæ tenuium est partiũ, facilè permeabilis, mollis, quæ ex pura & sincera materia fit procreata. Talis existimatur, cui multum aereum, aut igneum fuerit permistum; multum autem dicitur in respectu talis partis, in qua dominatur frigidum, & humidum; in tali enim substantia fit alteratio à speciebus sensibilium, & facilè in tali transcurrunt spiritus animales vnà cum rerum imaginibus omnino distinctis. Ingeniosi vocantur, qui faciliter ratiocinantur, & vnũ ex alio eliciunt in non perspecto tempore, qui alio nomine solertes, & perspicaces appellantur, quod reliquit scriptum Arist. 1. Post. definiens solertiam sic. *Solertia est subtilitas inueniẽdi medij termini in non perspecto tempore.* Est Munus ingenium virtutis Discursiuæ, vel æstimatiuæ, vt Auic. placet, quæ interdum intellectus à multis Philosophis appellatur, vt hoc in loco Gal. intellectum sumpsit: in Subtili igitur substantia optimum ingenium, in terrestri, atque crassa tarditas inerit; si contrariorum causæ sunt contrariæ. Cerebri autem mollities potiùs aptitudinem suscipiendi arguit, quam promptitudinem ingenij, quod ante oculos nobis ponit lib. iã citato sic. vestigans ab operationibus cerebri substantiam. *Discendi facilitas Mollem, memoria stabilem, & firmam, Obliuio fluidam eius esse substantiam denotat.* Cuius sentẽtiæ fauet Opinio Platonis in Theæteto, quæ. *Molle cerebrum ad percipiendum facile, durum diu memores, sed ineptos ad percipiendum.* Facilè enim species iam à sensibus susceptæ recipiuntur in molli, quæ receptio propria est imaginationis, quæ si imprimantur, & diu permaneant, quod fit in stabili substantia, oritur memoria; fit enim in parte & susceptio specierum, & retentio, si Arist. credẽdum, qui lib. de Memor.

Cap. 2. & Remi. hæc. *Non est absurdum existimare, vt fortè videbitur alicui, fieri aliquam passionem per sensum in anima, & parte corporis habente ipsam, veluti picturam quamdam; factus enim motus imprimit veluti figuram quandam, vt sigillantes annulis: non imprimitur autem aut ob duritiem accipientis, aut superfluam humiditatem; in illa enim non ma-*

Cap. 6. *nent phantasmata.* Galen. autem libro octauo de vsu Part. Maxime celebrauit cerebri mollitiem, cuius verba. *Hoc nanque substantia quidem neruis est simillimum, quorum ipsum principium erat futurum, nisi quod illis est mollius: nam id illi conueniebat, vt quod sensus quidem omnes recipit, omnesque imaginationes, & intellectus complectitur: quandoquidem quod facilè immutatur, id est in huiusmodi actionibus, atque affectibus aptissimum. Porrò quod mollius est, id facilius duro immutatur: proinde cerebrum neruis est mollius: sed mollius esse anterius oportebat, vt quod principium mollium neruorum ad sensus instrumenta pertinentium: durius verò posterius principium, & ipsum neruis duris in corpus vniuersum diffundendis futurum.* Et hi, vt multis in locis narrat, motiui à natura destinati existunt. Ab his dilucidum, manifestumque euadit non semper instrumentum à parte sedis operationum animæ esse temperamentum, sed subtilitatem substantię, & crassitiem, mollitiem, & duritiem, vt nos docuit in Arte Medica ille: argumento sit nobis crystallinus humor, qui visibilium effigies, & colorum species suscipit, non quia temperatus, sed quia

diaphanus. & ideo lib. 1. de vſu part. *Cauſa vt plurimum actionis bene refertur in temperamentum partis ſed aliquando in ea, quæ conſequuntur temperamentum, veluti eſt durities in oſſe*. Quæ tamen omnia per media quædam reducuntur ad temperamentum; ſubtilitas, enim & tenuitas ad aerem magis, & ad ignem, craſſities ad aquam magis, & ad terram, durities ad ſiccitatem, & ad terram. vnde etiamſi in vnoquoque mixto qualitates duæ, aut vna dominentur, à quibus mixtum tale vocetur, vt cerebrum frigidum dicitur, & humidum: attamen & ſiccitas, & caliditas agunt, nec omnino ocioſæ, ac depreſſę hæ duæ qualitates manent.

Quantitate ſit Cerebrum mediocri reſpectu totius; nam eius exceſſus in magnitudine, aut defectus omnino à Gal. reputatur incommodus, nō ſolū ad obeunda motricis facultatis, ſed ad cogitatiuæ munera. reliquit ſcriptū hoc ille in 6. de Mor. Vulg. com. 1. dū de magnitudine capitis agit, dicens. *Vis præterea cogitandi in ijs, quę aut magna capita, aut exigua euidenter poſſident, oblæſa eſt: ſed exigua ſemper mala, magna autē, licet raro, non nunquā tamen bona, cū ob facultatis robur, & ex materiæ qua creata ſunt, vbertate quali capite Pericles Atheniēſis vir prudētiſſimus fuiße traditur*. At ſi ob materiæ tantū copiam, haud quaquā bona reputantur, vt in Arte Med. Magnitudo aūt capitis, aut paruitas arguit cerebrum aut magnum, aut paruum eſſe, ſi continens totum amplectitur contentum, & proportionatum eſt locatum loco. quod ſcribitur eodem lib. com. 3. *Cerebrum in iuuenibus molle cum ſit, atque humidum caluariam tangit & omnem interiorem cauitatem, at in ſenibus ſiceſcens à caluaria diſtat*. Et ideo loco ſuſupracitato hæc. *In grandiori capite cerebrum grande, & ſpinalem medullam exiſtere, præterea & latiores, & ampliores ſpiritus animalis canales, at in puſillis contrarium contingere*. Erit igitur caput magnum non ſemper malum, ſed cum ob materiæ copiam tantum; materia enim multa, & facultate pauca concurrente, & pauco, ac languido ſpiritu animali, imbecillæ omnino, & imperfectæ in actum erumpunt animæ operationes. Adde de neceſſitate eſſe malè temperatum, & quò ad ſubſtantiam vitioſum: non potuit enim in principio ſui ortus facultas illa languens ad ſymmetriam quandam reducere qualitates elementorum prædominantes in materiæ illa incommoda mole. Paruum autem ſemper de neceſſitate malum, vt & 6. de Morb. vulg. & in Arte Parua narratur: à paruo nāq; cerebro parua producitur ſpinalis medulla, & ventriculi cerebri anguſti exiſtunt: vnde inſtrumenta ſenſuum, & motus imbecilla, & parum apta erunt, & ob inopiam materiæ, & ſpiritus animalis defluentis: nam ad paruitatem ſpinalis medullę ſequitur neruorum exiguitas, & paruitas, & ad paruitatem ventriculorum, & cerebri, inopia ſpiritus animalis: & cum paruum caput, quò ad temperamentum ſit potius ſiccum, quàm ſecus: ſiccum enim & terreum prohibuit cerebri dilatationem, & extenſionem in ſuo primordio a facultate formatrice intentam: ſequitur tale ob intemperantiam varia detrimenta muneribus animæ afferre, quæ ſi ſcire cupis, lege Ariſtot. Phyſionomiam, Adamantium, Albertum Magnum, & Raſim de emptione captiuorum. Sed peiora erunt, ſi vnà cum paruitate, & ſuperflua magnitudine malè, & vitioſe fuerint conformata,

Quant.

Cap. 3.

Com. 1.

quod vt plurimum contingit ob imbecillitatem formatricis in materia improportionata agentis.

Figura. Quali figura debeat esse donatum Cerebrum nos docet Gal. dum optimam capitis figuram vestigat lib. de Arte Medica; correspondet enim internum externo, immo ambiens tali modo est effigiatum ob contentum cerebrum, narrantur hæc lib. 1. de Anat. administ. sic. *Quod in ædibus parietes, id nimirum in animalibus ossium substantia: quippe ad huius imitationem cætera in animante solent effingi, mutarique, vt si animali caluaria sit rotunda, necessariò cerebrum tale fuerit, quemadmodum etiam si oblonga, sic & cerebrum.* & lib. 8. de Vsu part. dum redarguit nonnullos hæc. *Atque etiam, qui à cranio cerebrum aiunt conformari, non mihi videntur animaduertisse, quod cerebrum ipsum à dura meninge est seiunctum, neque quod eadem meninx cranion quidem contingit, non tamen ei adhærescit: sed neque etiam intelligunt, quod illam prius oportuisset conformari, neque quod ipsum cranium est huiusmodi.* & 6. de Mor. Vulg. com. 3. *Didicisti enim quemadmodum cerebro magno caput vnà augetur, paruo existente minuitur: eadem ratione cum corde augeri pectus, atque minui. Propria autem figura capitis est veluti, si excogitaueris spharam exquisitè rotundam, vtrinque depressam: in hac enim necesse est, vt priores, posterioresque partes plus gibbæ fiant, quàm sphæræ conueniant, quæ verò vtrinque consistunt, magis rectæ.* Et cerebrum esse quoquomodo rotundum habemus 8. de Vsu part. his verbis. *Cum nudum fuerit cerebrum, vndique pro rotundo, & orbiculari planum efficitur; superiores enim partes ad latera confluunt.* Fuit oblongum constructum, vt ventriculi eius essent decenti longitudine, ac capacitate: nam si angusti, atque breues, paucum spiritum continerent animalem pro exercenda sensitiua facultate, atque motiua perfectè: & denique leuiter vtrinque depressum, vt commodæ essent origines spinalis medullæ, & oculorum sensim enim ad paruitatem illarum partium cerebrum minuitur. At figura quatuor vitiatur modis, & consequenter cerebrum, vt 9. de vsu part. scribitur auctore tamen Hip. *Prima, in qua non apparet nulla in anteriori parte eminentia; secunda, cum in occipitio nulla: tertia, cum vtraque eminentia perit: quarta autem species est acuminati capitis, quæ cogitari quidem potest, sed inueniri minime, vt si caput ad vtranque aurem efficeretur prominentius, quàm in fronte & occipitio in quo diceretur, quod longitudo in latitudinē esset transmutata: sed tanta à naturali digressio fieri non potest: monstrum enim esset, nec posset viuere.* Affirmat tamen Conciliator, & Vesalius lib. 1. hanc figuram vidisse. Incommodant hæ animæ melioris actionibus varijs modis: prima enim sensibus, secunda motui, & tertia vtrique facultati, quæ figuræ tanto erunt illis impedimento, quanto à naturali statu distabunt. *Acuta autem plerunque capita, quemadmodum magna, mendosa, & improba reperies, raro tamen ex his aliqua bona fuerint facultate vincente materiam, ex qua homo in vtero creatus est, ita vt à copia sanguinis non vincatur, sed potius illi resistere, cohibere, & probè efformare possit.* hæc leguntur 6 de Mor. Vulg. com. 1.

[Margin notes: Cap. 7. — Cap. 12. — Cap. 18. — Cap 11. — Cap. 17. — Diff. 79. — Cap. 5. — Com. 3.]

At si cerebrū male fuerit efformatum, & exiguitate vitiosum, non solū

animæ

animæ nobiliores actiones noxam sustinebunt, prohibito spiritus animalis conuenienti motu, & pauco existente, & intemperato; immo & dentes, & capitis interna constructio, hæc nos docet Gal. loco iam citato his verbis. *In capite deformi effigie, & exiguitate vitioso in ore palati partes inspicito; in multis enim dentes malè positi videntur, id est non rectè è regione superiores cum inferioribus committuntur, nec incisores cum incisoribus, sed veluti reuulsum, & distortum os apparet, quæ omnia arguunt maximam imbecillitatem, & sæpe fætidus, ac purulentus humor ab auribus emanat.* hæc, si rectè considerentur, non tantummodo cerebri malam compositionem indicant, sed etiam eius morbidam intemperiem. Vitiatur autem maxime cerebrum, cum caput secundū anteriora fuerit depressum, vel secundum posteriora. videre autem interdū nonnullos nobis licet fronte ita parua, & angusta, vt capilli supercilia tangant, in quibus impossibile est ob angustiam ventriculorum cerebri anteriorum, & cerebri substantiam paucam, atque depressam animæ aliquas operationes integre munus proprium obire. unde decreuerunt physionomistæ tales esse opinione mobiles, & instabiles, quod forte contingit ob copiam caloris, & spiritus animalis in angusto loco fluctuantis, & noua spectra ob motum deferentis dixi forte, quoniam animæ munera ita ignota, & abdita, si eorum originem, & locum consideremus, nobis existunt, vt nullo sensu deprehendi possint, & difficile etiam percipi diligenti coniectura, & ideo facile existit aliquod erratum in referendis eorum causis à me committi, sed hæc a perspicacioribus ingenijs corrigantur: satis namque est mihi ea quoquomodo excitasse. Sunt igitur, vt ratione, & auctoritate probaui, quatuor a parte cerebri necessaria, Temperamentum videlicet, Substantia, Quantitas, & Figura: at optimo existente temperamento cætera tria inculpatam constitutionem sortientur, quod patefecit Gal. nobis in Arte Parua dicens. *Hæc optima erunt, si cerebrum donetur quatuor qualitatum primarum optimo temperamento.* quod non est a ratione alienum; quoniam ab optima temperatura, loquor pro natura partis, sequitur substantia conueniens secundum tenuitatem, & duritiem, & mollitiem; cum hæ secundæ qualitates à primis Aristotile docente emergant: ab optimo etiam temperamento magnitudo proportionata suscitatur; quoniam substantia bene temperata facile extenditur, & dilatatur ab efformante facultate, quod siccæ, & terrestri non eueniet: variatur tandem & figura ab ipso, nisi ab occurrente extrinsecus vitium aliquod recipiat, quod premat, & extorqueat partem: conformantur tamen tali situ, & ordine à virtute formatrice, quæ rectè effingit, & ornatè, si temperamentum materiæ, in qua agit, optimum erit, at si inæqualis fuerit materiæ moles, ita vt eius aliqua pars sit altera siccior, aut humidior, aut calidior, aut mollior, aut crassior, deformis, & vitiosa suscitabitur figura. & hæc de his satis. Sed manet vnum consideratione dignum minimè prætermittendum, quod est, quomodo intellectus, cum sit immistus, & sine organo agens, sequatur cerebri temperamentum, vt verbis Gal. vtar, & non tantùm temperamentum, sed etiam eius mollitiem, & duritiem: Huic dubitationi dicam paucis intellectum non indige-

re

re temperamento ad intelligendum, ſed illo indigere; quoniam dependet
quò ad operari ab aliquo exiſtente in temperamento, nempe phantaſia,
& ſenſu: oportet enim intelligentem phantaſmata ſpeculari; cum nihil ſit
in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu, ſi Ariſt. eſt aliqua præſtanda
T.30. fides. 3. de anima. & multis alijs in locis. affirmabimus igitur intellectum
temperamento vti, quatenus ſenſitiuis potentijs indiget; quæ ſi malè re-
rum ſpecies ſuſcipiunt, & inordinatè, & confuſè eas intellectui repręſen-
tent, ille oberrabit non propria natura vitiata, ſed merito obiecti à poten-
tijs ſenſitiuis repręſentato: hæc autem facilè contingunt, ſi temperamen-
tum partis incommodum fuerit; conſequenter; enim ſenſitiuæ facultates
vitiantur, & ab his intellectus. quod non eſt inconueniens, vt ex ratione
patet, & ab Auer. monumentis lib. 1. de anima habemus, qui aſſerit. *Intel-
lectum non communicatum corpori dependere à rebus in corpore exiſtenti-
bus ſcilicet imaginatione ſpecies ſenſibilium ei deferente.* & hoc pacto ar-
bitror ego Gal. intellexiſſe intellectum ſequi temperamentum: non nega-
rem tamen ſæpe pro ratione, & intellectu cogitatiuum vſurpaſſe, ſicut
cum de phrenitide ſermonem habet, quo quidem loco affirmamus non
merito obiecti talem lædi potentiam, ſed partis cauſa, qua reſidet, malè af-
fectæ; at de his diffuſius aliàs.

*Variæ narrantur facultates à potiori anima emanantes, & ſub ordine collo-
cantur, & tandem aduerſus Neotericos loco diſtingui ad Galeni
mentem affirmatur. Cap. IIII.*

CVm formæ rerum ſubſtantiales, inter quas primum locum anima
dignitate ſibi vendicat omnino nobis ſint ignotæ, atq; latentes; ſen-
ſibus enim deprehendi non poſſunt, à quibus omnis noſtra cognitio ini-
tium trahit: neceſſe erit omnes nobilioris animæ actiones, atque faculta-
tes in medium afferre, vt ab his Medici quoquomodo talis animæ natu-
ram cognoſcant, non vt eam contemplentur, ſed vt morbis ipſam obſi-
dentibus occurrant, qui ab eius actionibus læſis narrante Galeno pate-
fiunt. Animæ huius omnes operationes deſcribuntur libro 7. & 9. de Plac.
Hip. & Plat. ſic. *Principis animæ opera ſunt, Imaginatio, Memoria, & In-
tellectus, & organis ſenſum impartiri, & ijs, quæ mouentur, motum.* Quæ
etiam confirmat 9. Meth. Hæc omnia opera, & ſi varia; ab vno tamen prin
cipio dependent, & varijs in locis eluceſcunt: ipſa namque anima neque
texit, neque ſilat, ſed compoſitum; quoniam huius ſunt actiones, &, ope-
T.65.66. ra, ſicuti reliquit ſcriptum Ariſt. lib. 1. de anima ſic. *Cogitare, amare, & ui-
dere non ſunt animę paſsiones, ſed corporis habentis ipſam.* Illa autem ſeſe
accommodat ad multiplices variosque vſus pro partium natura, atq; tem
peramento: quoniam in oculis videt, & auribus audit, quæ omnia Peripa-
tetici optimè cognouerunt affirmantes animam vnam eſſe, & plura po-
tentia: hanc veritatem cognouit etiam Gal. nemini philoſopho ſecundus,
ſicuti legitur lib. de animi cum corpore conſenſu, cuius verba. *Eadem ſa-
nè ratione in cerebro collocata anima rationalis per ſenſoria quidem ſentire
poteſt, per ſenſilia verò & meminiſſe ipſa per ſe, conſecutionem etiam in re-*

bus,

bus, & pugnam, & resolutionem, & compositionem dignoscere potest, nihil aliud significamus, quā si ita breuiter comprehendētes dixerimus. rationalis aīa pluribus facultatibus est referta, sensu videlicet, memoria, intelligentia, & alijs singulis. cæterum quia non sentire modò ipsam, sed magis etiā dearticulatè cernere. s. audire, odorari, gustare, & tangere asserimus, vnde ipsam visoriam, olfactoriam, auditoriam, gustatoriam, & tactoriam potestatem habere dicimus, & motoriam, vt infra. Quibus verbis sapientissimus Galen. demonstrat animam vnam esse varijs donatam facultatibus, quæ omnes ab ipsa, tanquam à radice, & à principio emanant: & ideo eodem libro hæc pronunciauit. *Ipsius enim est omnia facere.* Erunt igitur animæ omnia munera quatenus referuntur in suum principium scilicet in animā prorsus similia, at quatenus varijs in partibus varia fiunt, diuersa, atque dissimilia: quod apertè narratur 8. de vsu part. sic. *Cum igitur in capite sint instrumenta sensoria, oculi, nares, aures, & lingua, omnia hæc à cerebro sensus principium habent, & ea ratione similia apparent: inest tamen & secundum speciem dissimilitudo, non modò in ipsis sentiendi facultatibus, verum etiam in corporibus, per quæ facultates feruntur.* Hæc nobis patefaciunt ab ipso prolata omnia opera illa esse similia, si considerentur, vt ab eodem fonte scaturiginem habent, quæ multiformia euadunt ob partium diuersitatem. hæc omnia cognouit Proclus Platonicus in Alciuade primo dicens. *Anima est corpori præsens, & omnibus membris: quamuis alia membra aliter, atque aliter ipsam participent.*

Sed, vt faciliùs memoria custodiantur huius animæ potentiæ, sub trimembri diuisione collocandæ veniunt, si Gal. sententiam sequi volumus in lib. de symp. Differ. qui functionem animalem, (tali enim nomine Principem vocauit,) distinxit in sensitiuas, motrices, & rectrices facultates, vel principes. & in hoc sequutus est Arist. 2. de anima, qui in motiuum, sensitiuum, & intellectiuum animæ operationes separauit. Sensitiuæ munera propria erunt communis sensus, qui est primum sentiendi promptuariū, & origo singulorum sensuum, vt 1. de symp. Causis: ab hoc enim sensus: externi deriuantur, extant hi Visus, auditus, Olfactus, Gustus, & Tactus Motricis autem facultatis opus est satis notum, cuius varia existunt officia, vt deambulare, singulas partes mouere, respirare, vocem edere, & alia multa, quæ breuitati indulgens omitto. principis autem, siue rectricis potentiæ facultates decreuit esse lib. de symp. differ. Imaginationem, intellectum, & Memoriam. Sed 7. de Plac. Hip. addit cogitatiuam dicens. *Huius opera per se imaginatio, cogitatio, memoria, & intellectio.* At libro de symp. diff. confundit intellectum cum cogitatiua sub vnico nomine duo comprehendens: sæpe enim cogitatiuam intellectum vocat, non raró rationem, & intellectum cogitatiuam, sicut lib. de loc. aff. dum de phrenitide verba habet, quo in loco cogitatiuam rationem, & intellectum appellat. at de Plac. magis propriè loquens seiungit cogitatiuam ab intellectu, quæ ab Arabibus interdū æstimatiua vocatur, vna ex sēsitiuis facultatibus omnino diuersa ab imaginatione, vt Auic. placet 6. Naturalium. Sed Auer. 2. Collig. hanc non æstimatiuam, sed cogitatiuam dixit; sicuti etiam rectè eam nuncupauit Galen. continentur igitur sub hoc vltimo membro variæ functiones

Variæ facult. sub ordine.

Tex. 18.

ctiones scilicet imaginatio, cogitatio, memoria, & tandem ratiocinatrix: *Quæ veritatis, scientiæ, disciplinæ ac intelligentiæ, atque vt semel dicam honestorum omnium desideratrix est;* Hæc nobis reliquit scripta lib. an animi mores sequantur temperamentum à cuius verbis dilucidè patet, quantùm aberret Auer. lib. 3. de anima affirmans Gal. non cognouisse intellectum, sed pro intellectu cogitatiuam sumpsisse, ignorantem eius naturam: at si Auer. ille maledicus hæc legisset, non ita inconsideratè illa pronunciasset: quoniam certissimum est scientiam, & disciplinam nos non assequi cogitatione, sed intellectu. Addidit his quatuor Auic. 6. Natur. par. c. sensum communem, quem Galen. libro 1. de symp. caus. collocauit sub sensitrice facultate.

Variæ animæ functiões uarias partes in cerebro requirunt.

Variæ hæ operationes sibi varia organa vsurpant, atque partes, non loquor autem de sensibus particularibus, nec de organis motui destinatis: satis enim omnibus notum est, in varijs domicilijs residere. *Immo & in ipso cerebro varia etiam initia habere: pars enim anterior sensitiuos plurimos neruos obtinet, posterior plurimos actiuos*: Quoniam molliores sensibus sunt destinati, & duriores motui, vt in Arte Med. legitur. sed de Principibus functionibus apud Medicos, ac celebres dubium hoc oritur, an internæ illæ, & principes, seu rectrices potentiæ (quæ à solo cerebro seu principio fiunt, vt in Art. Med. scribitur) in varijs partibus cerebri commorentur, aut pro diuersitate tantùm temperamenti nulla posita locali distinctione in actum erumpant. re vera si Gal. vestigia, & dogmata obseruamus, affirmabimus varijs in partibus cerebri eas inhabitare: Varia enim munera varia expostulant organa, si credendum est illi 2. de Decret. Hip. qui statuit ex functionum varietate iudicari instrumenta diuersa: nam illa dicuntur eadem, vel diuersa ab operibus docente Arist. 2. de anima, & 4. de generat. animal. at functiones inter se diuersæ ab omnibus reputantur imaginatio præcipuè, & memoria; cum vna harum molliori egeat parte, & altera sicciori: mollities enim partis est in causa, vt rerum simulacra recipiantur: nam tale facilè permutatur à speciebus sensibilium, vt 8. de vsu part. habemus. at memoria partem siccam, ac stabilem exoptat, vt in Arte Med. Gal. litteris prodidit, vt rerum spectra retineantur. quomodo autem possibile est inueniri molle, & durum in qualibet parte cerebri? melius erit igitur statuere diuersas esse pro varietate partis cerebri; at quis ignorat sicciorem esse posteriorem partem, & anteriorem molliorem? Adde læsiones variarum partium cerebri nunc imaginationem, nunc cogitationem; nunc memoriam lædere cæteris alijs illæsis manentibus: præterea ab vno, & eodē morbo, & ab eadē causa, vt in phrenitide (vt videre licet) nunc imaginatio, nunc cogitatio noxam patiuntur narrante Gal. li. 6. de l. aff. à quo nā hæc contingere possunt, nisi à diuerso loco, & cerebri parte, cū eadem sit intemperies, idē humor, & idem affectus, & lib. 13. Meth. hæc. *Neq; enim tāquam in ophthalmia, vel pleuritide, vel angina, in quibus locis affectus ab ipso sentitur, & à nobis percipitur, & tactu, & visu, sic in lethargo, in phrenitide, epilepsia, & delirio, in quibus omnibus præsidijs formula ex affectus inuenitur natura, locus verò, cui maximè sint applicanda ex prænoscendis tùm actionibus, tùm vsibus, partium.* Vnde apparet diuersitates actio-

Tex. 38. Cap. 4.

Cap. 21.

num

num læsarum nos varios docere locos, quibus admouere debemus auxilia. Sed queso videamus, vt omnino occasio dubitandi à pertinacibus auferatur; iam enim dicta variè interpretantur, & extorquentur à multis, quid pronunciet Gal. lib. I. Pror. quo loco habet Hip. *frequentes in phreniticis permutationes conuulsionem prenunciant.* circa quæ ille hæc. *Quòd phrenitis perduret in ipsis, hoc prouenit ab humore, qui affectum parit in capite firmato. & quoniam in cerebro ipso transfluxio est aliàs in alia quapiam ipsius parte orta speciem quidem affectionis seruans, sed pro parte affecta symptomata ipsa permutari videmus; si quidem sæpenumero vidimus tales dementias perpetuò quidem delirante ægro, sed Modis, & formis secundum vniuersa functionum animalium genera variante. Quo autem modo in sensitiuis percurrit, ita in Ratione, Mente, & Memoria, & cogitatione permutationes fieri videmus. Imaginare itaque mihi aliquem ægrotantem dictas permutationes habuiße, & circa vrinas, & circa alia, quibus memoria in nonnullis offenditur. Imaginator item & in sensibilibus repræsentationibus vicissim offensas fieri, pari modo & in intellectualibus. In tali, causa quidem in cerebro existit, sed aliàs alium ipsius locum infestat, quòd transfluit. demonstrauimus autem transfluxiones huiusmodi fieri vnaquaque partium suscipientium in alteram à sese, quod superuacuum est expellente. qui humor si ab omnibus reijciatur, tandem conuulsionem inferre neruis verisimile est.* Com. 27.

Nonne hæc omnia dilucidissima sunt? semper enim retulit causam diuersitatum symptomatum demõstrantium læsionem principum functionũ non in humoris varietatem, sed in partium cerebri diuersitatem facta cõparatione quadam inter offensas sensuum, & intellectualium functionum? Requirunt enim hæ variam cerebri substantiam, atque temperaturam: nam in hac cerebri portione humida, atque molli, quæ est anterior, cum sit alijs partibus mollior, imaginatur anima: in illa autem ficciori cæteris alijs partibus recordatur, vt consonum est rationi, hæc autem, vt omnibus existit notum, est posterior, prædita tali temperamento magis sicco, quàm in alijs partibus, quod autem tale, magis retinet; & ideo statuẽdum venit animam in tali parte recordari, cum semper natura aptet facultati illud temperamentum, quod est ad proprium munus obeundum melius, atque vtilius. Iure igitur, & ratione omnes Arabes, & inter Græcos Possidonius referente Aetio cap. de Phrenitide, & Ruffus cap. de Memoria, qui medicinam faciebant ante Galenum, decreuerunt in anteriori cerebro imaginationem, in medio cogitationem, & in posteriori memoriam existere. Immo & Auer. lib. 3. de anima reliquit scriptum non tantummodo hæc affirmasse Medicos, sed etiam philosophos. qui probat lib. de Memor. & Remi. harum in cerebro esse sedem ab ordine cognoscendi, ac recipiendi obiecta repręsentata. cuius verba. *Quia sentiens sentit primùm, deinde imaginatur, postea distinguit distinguens, postremò, recipit conseruans. & ideo necesse est, vt in parte anteriori sit imaginatio cogitatio in medio, & conseruans in posteriori.* vnde Auer. ab ordine recipiendi, distinguendi, & retinendi arguit locorum ordinem in cerebro. Non abhorrent etiam ab hac sententia ferè omnes philosophi latini. Patet igitur aduersus Neotericos has principes facultates in cerebro distinctionem localem habere, ad Com. 6.

mentem loquor Gal. etiamsi vnicuique determinatam sedem non statuat, vt Arabes decreuerunt. Sed hæc fortè aliquis vertet in dubium dicens, cur Gal. 3. de loc. aff. nulla posita partium cerebri distinctione tantummodo retulit memoriæ iacturam, & rationis offensam in maiorem, & minorem frigiditatem? vbi scribitur. *Si frigida intemperies intendatur, simul cum memoria ratio deperditur.* Et eodem libro, cur semper medicamenta iubet admouenda esse suturæ coronali, & non alijs capitis partibus, quanquam diuersæ potentiæ animæ vitientur? & lib. 2. de Motu Musc. affirmauit eandem esse imaginationem, & memoratricem, sic. *Anima imaginatiua quæcunque ea sit, hæc eadem & recordatur, si itaque insignes impressiones rerum in imaginationibus acceperit, conseruat perpetuò, & id est memoria tenere, sin verò obscuras, & penitus superficiarias, non conseruat, & hoc est obliuisci.* Ex quibus verbis concludunt, si eadem est imaginatio cum memoria, omnes illas facultates eodem loco, ac eadem parte existere. Hæc sunt, quæ à nonnullis sententiam nostram peruertere censentur: sed ni fallor, hæc parui arbitror esse momenti: si quidem non est mirum, si partem posteriorem cerebri, exempli gratia, qua residet memoria, frigus occupet, vt ratio etiam deperdatur, siue cogitatio, media cerebri parte ob nexum, & continuitatem cum postrema malè affecta, ac frigefacta ab excedenti frigiditate, quod à leui minimè contingere posset. & ideo dixit Gal. *Si frigida intemperies intendatur, simul cum memoria ratio deperditur:* Pars enim posterior ab excellenti frigiditate affecta trahit in consensum mediam. Admouet medicamenta suturæ coronali, non quia concedat facultates omnes propriam operam obire in quacunque capitis parte, sed quoniam per suturas facilè topica medicamenta ad internas partes, & ad cerebri membranas, vt ita dicam, perueniunt, vt dilucidè pronunciauit lib. 2. de comp. Med. per locos, quæ si cæteris partibus adhibeantur, tardam, & infirmam ob ossium crassitiem opem ferunt: attamen experientia à Chirurgis expertum est, & alijs admota partibus capitis non parum commodi afferre ægrotantibus. Tandem eadem est imaginatrix cum memoratrice, quatenus in animam, tanquam in proprium principium refertur; in quacunque enim parte, qua commoratur anima, ibi omnes sunt eius potentiæ, at non exercent proprias operationes ob carentiam determinati organi; non videt enim anima in pede, quoniam ibi non est oculus. aut eadem est, quatenus aliquo modo effectiuè memoria pendet ab ipsa imaginatione repræsentante rerum simulachra; si enim malè, ac imbecillè offert illi rerum species non fit memoria, immo interdum obliuio oboritur, si Galeno credendum loco supra citato de Muscul. hæc narranti. *Si itaque insignes impressiones rerum in imaginationibus acceperit, fit memoria, sin verò obscuras, & penitùs superficiarias, non conseruat, & hoc est obliuisci.*

De

De Varijs Organis meliori animæ deseruientibus, inter quæ spiritum animalem esse operationum instrumentum, & non calorem ostenditur. Cap. V.

SI Omnis Anima hoc mundo inferiori existens ad propria munera exe-
quenda medio aliquo, siue instrumento indiget, vt Arist. lib. de Part.
Animal. & eorum generatione decreuit, considerandum erit quænam in-
strumenta sint animæ digniori accommodata: sine organis enim hanc
operari impossibile existit quod respiciens Gal. lib. 1. de vsu part. hæc scri-
pta reliquit. *Sicut igitur lyra musicam non docet, nec forceps fabrum, sed est* Cap. 2.
vterque ipsorum artifex per eam, qua præditus est, rationem, agere autem
non potest ex arte absque organis. ita & qualibet anima facultates quasdam
à sua substantia obtinet efficere, ea autem, quæ nata est efficere, sine organis
nequaquam potest: attamen illa impellit partes. Arbitror ego eius instru-
menta bino distingui discrimine. Vnum quorum genus est sine medio
illi deseruiens, alterum autem satis remotum, atque longinquum: Primum
à crassa materia, & rudi est seiunctum, à multis æthereum appellatum, &
hoc est spiritus animalis, præcipuum animæ instrumentum ad eius omnia
munia aptissimum: esse tale habemus à Gal. 6. de Mor. vulg. com. 5. dicen-
te. *Illud præterea persuasum habeo spiritum in cerebro positum esse prima-*
rium animæ instrumentum. Et 7. de Plac. Hip. hæc. *Animalis spiritus est*
in cerebro, non tanquam animæ substantia, sed sicut organum primarium
ipsius in cerebro habitantis. Et 12. Met. & multis alijs in locis. quod est
consonum rationi, veluti Alex. Aphro. lib. 2. Prob. nos docuit his verbis. Cap. 4.
Hic igitur spiritus, vt non incorporeus accommodari corpori potest: vt te- P. 68.
nuior, sincerior, atque clarior, quam natura vulgaris corporis patiatur, iun-
gi cum animo potest. denique vinculum perquam idoneum corporis, atque
animi hic accedit, naturasque oppositas copulat, & suo familiari interuentu
conciliat, atque continet, hic quandiu constans, atque integer sit, facultatem
rectè cogitandi, agendi omnia animo præstat. A solerti igitur natura necesse
fuit adinueniri tale medium, cum anima simplicissima sit, & materiæ ex-
pers, & corpus omnino materiale, & impurum, quod esset in causa talis
nexus, atque consensus. huius varius est vsus; nam in cerebro existens est
principium etsi instrumentale omnium principum functionum, quate-
nus rerum specta defert, & qui in ventriculis motum, & sensum largitur
discurrens per varias corporis partes, hæc nobis litteris tradidit Gal. 3. de l.
aff. sic. *Animam in cerebri corpore sedem obtinere rationi consonum atque*
in ipso rationis vim, & sensibilium memoriam residere, & ipsius instrumen-
tum tùm in sensibilibus actionibus, tùm in his, quæ à consilio, & voluntate
prodeunt, spiritum esse. Quæ etiam confirmat lib. 7. de Plac. Hip. Hunc
non solum in ventriculis contineri, sed etiam in cerebri substantia narrat
lib. 8. de vsu part. sic. *Postea verò cum in toto cerebri corpore, non in solis* Cap. 13.
eius ventriculis, quemadmodum alibi demonstrauimus) spiritus animalis
multus continetur, existimare oportet plurimum etiam in cerebro posteriore
contineri, vt quod omnium, qui in totum corpus distribuuntur, neruorum

futurum erat principium: mediaque illa interualla, quæ partes eius connectunt, ſpiritus eſſe vias.

Spiritus animal. gener. Procreatur hic ſpiritus à varijs cauſis, multaque ad eius generationem concurrunt: quædam enim vicem gerunt materiæ, alia præparantis, nonnulla deferentis, & tandem quædam ſunt vltimam præbentia formam, ob quam dicitur animalis. *Gignitur hic ex vitali ſpiritu magis elaborato; conueniebat enim nimirum omnium maximè hanc accuratam mutationem conſequi. vnde natura veluti labyrinthum quẽdam varium plexum reticularem propè cerebrum fabricata eſt: illuc enim deſinit arteriarum, venarumque copia non exigua.*
Cap. 3. Hæc 7. de Pl. Hip. leguntur. at non ſolùm producitur ex eo, quod ab arterijs defertur, ſed etiam ex aere per nares attracto, vt lib. de vſu pul. Sãguine benigno, ac puro concurrente, tanquã materia, ſicuti 6. de vſu par. ſcribitur ita. *Propter quã cauſam purum ſanguinẽ, & tenuem in arterijs cõtineri oportet: nempe quòd ſpiritui animali alimentũ erat ſuppeditaturus.* Sed totum ferè ordinẽ, quo conficitur, ante oculos nobis poſuit 7. de vſu par. ſic. *Cæterũ ſpiritus, qui ab aſperis arterijs extrinſecùs trahitur in pulmonis carne primò conficitur, in corde, arterijs, in plexu retiformi, vltimò in ventriculis cerebri, vbi animalis efficitur.* quod teſtatur
Cap. 5. etiam lib. 9. de Vſu part. & lib. de vtil. Reſpir. ſic. *Neceſſarium eſt igitur ex inſpiratione per nares potiſſimum alimenti partem animali ſpiritui accedere, & hoc eſt, quod ab Hip. dicitur. Principium alimenti ſpiritus os, nares, guttur, pulmo, & alia reſpiratio: ex omnibus enim his nutritur nullatenus impeditus: ſi verò etiam impediatur vnum quodcunque tandem ex his, attamen per reliqua alimentum ei ſuggeritur, & ſubdit; à ſanguinis etiam euaporatione nutriri.* Inter hæc omnia vicem ſubeunt materiæ, à qua talis procreatur ſpiritus, aer per os, & nares inſpiratus, ſanguinis euaporatio, ſpiritusque vitalis, qui ſine calore minimè exiſtere poteſt. Præparant Pulmo, cor, plexus retiformis, tanquam remota ſunt pulmo, & cor, vt propinqua retiformis plexus, & partes illis finitimæ; Deferunt arteriæ. Vltimam præbent formam, ob quam animalis appellatur, cerebrum, atque eius ventriculi, at cerebrum ſua ſubſtantia primarium, atque facultate, ventriculi verò ob cerebrum, quibus communicatur talis potentia illum gignendi. Cognouit cerebrum vltimam præbere formam ſpiritui Alex. Aphr. lib. 2.
68. Prob. dicens. *Qua in parte frigiditate cerebri ſpiritus moderatur, & quadã proprietate aſſicitur, transformaturque in ſpiritũ æthera planè imitantem, quo animus inſtrumento aptiſſimo vtitur actionum ſuarum.* Sed prius narrat modum, quo conficitur his verbis. *Oritur ſpiritus quidam vaporis propè ſpeciem gerens, in iecore, per calorem, humoremque, qui in ea parte modicè habentur: qui cum per uenam cauam cognominatam ad ſedem cordis aſcendat cum ſanguine, atque amplius recaleat, & extenuetur, in ſpeciem propè aeris tranſit: rurſuſque per arterias carotides ab aggrauatione cognominatas ad baſim, ideſt partem ſubditam cerebro effertur.* Narrauit etiã Gal. 9.
Cap. 4. de Vſu par. ſpiritum animalem in ipſo cerebro concoctionem ſuſcipere, ob quam talis vocatur, cuius verba. *Demonſtratum eſt, quòd ſpiritus animalis cerebri generatio materiam propriam habet ſpiritum vitalem, qui per arterias ſurſum fertur. Demonſtrauimus etiam in illis commentarijs*

ani-

animam ratiocinatricem in cerebro habitare, per eamque partem nos ratiocinari: ſpiritumque animalem in ipſa quamplurimum contineri, qualitatis proprietatem ex ſui ipſius coctione adeptum. & lib. 12. Meth. *Ergo animalis ſpiritus cerebrum fontem eſſe iam oſtendimus.* Acquirit igitur proprietatem quandam à ſubſtantia ipſius cerebri, dum in ipſo concoquitur, vt ſemen in teſtibus, & lac in mammis a propria natura partis formam ſuſcipiũt. Affirmat tamen ſupra citato libro de vſu part. ſpiritum in illo plexu retiformi confici, ſic. *In ipſum cerebrum effluit ſemper ſpiritus bellè in retiformi confectus.* & paulò poſt. *In his flexibus, & contorſionibus moratus diutiſſimè conficitur, confectus autem ſtatim cerebri ventriculis incidit.* à cuius verbis elicitur ſpiritum animalem in ipſo plexu retiformi concoqui, atque confici, quod minimè negandum venit, ſed affirmandum inchoationem coctionis in tali parte incipi, & poſtea à cerebri perfici natura, atque ſubſtantia. quæ reſponſio à Galeno deſumitur paulò ſuperius, dum de ſeminis generatione ſermonem facit, hæc narrante. *Nam venæ & arteriæ in flexu multiplici, ac variciformi contorquentur, in primiſque flexuũ partibus ſanguinem ſincerum continent, qui certè in vltimis flexibus ad ipſos teſticulos non amplius ruber planè eſt. Sed iam quodam modo albicat ſuccus is, qui in ipſis continetur, exiguum adhuc requirens ad perfectam ſubſtantiæ ſeminis generationem, quod ei à teſticulis ipſis accedit: at quanto ſpiritus animalis cerebri exactiorem ſemine poſtulabat concoctionem; tanto plexus retiformis flexuoſior variciformi exiſtit.* Aſſerit ergo aliquam acquiri concoctionem à plexibus illis, ſed perfectam à teſtibus, ſic etiam de animali ſpiritu ſtatuendum neceſſariò erit. Prætermiſi in generatione ſpiritus animalis influentem calorẽ: quoniam non inuenitur ſpiritus vitalis ſine tali calore exiſtens, immo talis ſpiritus ab ipſo calore cordis efferueſcente conſurgit; Vnde Auer. 2. Collig. affirmauit ſpiritum eſſe rem calidam, poſt quem eſt ſanguis, & ideo nos etiam dicemus calorem, & ſanguinem eſſe inſtrumenta animæ nobilioris, quatenus ad generationem ſpiritus animalis concurrunt, ſi Gal. veſtigia ſequamur. calorem eſſe animæ inſtrumentum patefecit Ariſt. 2. de anima, quo loco redarguit nonnullos ſta- T. 40.
tuentes animam eſſe calorem, & ideo 2. de Partib. animal. decreuit *ad exe-* Cap. 7.
quenda animæ officia calorem omnium maximè adminiſtrandi vim obtinere. quod Gal. 14. de Vſu par. 5. de ſimpl. med. facult. & de Natura hum. confirmauit; qui ſi languidus ſit, & imbecillus, omnes animæ actiones minuuntur, vt 3. de l. aff. & ſopitæ apparent: Tremulo enim & incerto homo deambulat pede, in ipſo habitat tremor, pallor, animique ſegnities quædam, atq; ignauia. Sanguinem in cauſa eſſe perſpicacioris ingenij narrat Gal. lib. an mores animi ſequantur temper. ita dilutus facit animalia timidiora, tenuis ſapiẽtiora; & Ariſt. 2. de Part. animal. ſcripſit. *ea animalia* Cap. 2.
prudentiora, ſapientiora & ſenſibus nobiliora eſſe, quæ ſanguine tenuiori, & ſinceriori conſtant, quæ autem craſſiori, & diluto ſtupida & tardi motus; & ſubdit: eſt certè roboris efficacior ſanguis, qui craſſior, & calidior, vim autem ſentiendi, & intelligendi obtinet pleniorem, qui tenuior, & frigidior, vnde optimè conſtant, quæ calidum, tenuem, & ſincerũ habent: quippe, quod & vnà & viribus corporis, & animæ ingenio plurimum valeant. Et paulò infra de

fibroſo

Cap.4. fibroſo ſanguine hæc. *at fibræ illæ terræ naturam ſapiunt: cæterum nonnun-*
quam accidit, vt ab eiuſmodi ſanguine elegantius ingenium proueniat, non
ob eius frigiditatem, ſed tenuitatem, & munditiem. & Plato referente Gal.
eodem libro ſupra citato decreuit plerunque animi temeritates, formidi-
nes, obliuiones, & ingenij tarditatem à prauo ſucco procreari. deſeruiunt
calor, & ſanguis nobiliori animæ duplici de cauſa, & quia ſpiritus anima-
lis ab ipſis gignitur; & quoniam inſtrumenta magis materialia, vt oculus,
& auris optimam ſortiuntur conſtitutionem; cum hæc optima exiſtunt.
vnde exquiſitius ſenſibilia propria percipiunt: at non ſolum inſtrumenta
hæc, ſed etiam ipſum cerebrum, quod eſt animæ domicilium, exquiſitè
temperatum erit his optimis exiſtentibus: ab his enim partes viuentes nu-
triuntur, & augentur à calore efficiente optimam concoctionem, & a ſan-
guine optimam præſtante materiam. Concludamus itaque ſpiritum eſſe
huius animæ inſtrumentum, non autem calorem: quoniam ſi vinculo ex-
cipiamus aliquem neruum, vel humore occludatur, à ligaméto infra nul-
lus inerit illi ſenſus, etiamſi arteriæ pulſent, & calida ſit pars ob participa-
tionem caloris ab arterijs influentis: certum tamen eſt ſine ipſo animam
hanc minimè agere, atque operari. Et parui noſtra intereſt, ſi confeſtim
poſt animi deliquium homo intelligit, ſentit, & mouetur; ſpiritus enim
animalis ad intima cerebri refugit, nec euanuit corruptus, vt multi ſibi
perſuadent, immo ſedato animi defectu ad partes omnes migrat, atque
diffunditur.

Variæ autem exoptantur ſpiritus animalis dotes, vt proprium munus
exercere poſſit. extant hæ eius ſubtilitas, mobilitas, & ſplendor: Subtilem
eſſe nemini obſcurum arbitror eſſe: cum natura ſit aereus, & quoquomo-
do igneus docente Arabum Principe lib. de Viribus Cordis; à quo non
abhorret Alex. Aphr. 2. Prob. in corde enim vapor extenuatur, & incale-
ſcit, & in ſpeciem aeris tranſit. Vnde tenuitate illa facilè corpora ſubit, ac
permeat, & cum ſit mobilis, omni leui de cauſa, & momento temporis
huc, atque illuc vagatur pro voluntatis imperio, quæ duo, ſi modum exce-
dant, incommodant animæ actionibus, vt ſi ſubtilior ſit, quàm par ſit, aut
craſſior; vnde velocius, aut tardius mouebitur: talis autem euadit ob calo-
ris exceſſum, aut defectum. *Si enim leuiter refrigeretur incraſſatur, & den-*
ſatur: quocirca tardius, & ſegnius agit, & ineptus redditur ad operationes:
at ſi nimium refrigeretur fit corpulentus, & immobilis: quapropter ſuas
penitus deſerit functiones; ſimiliter ſi immodice recaleat fit igneus, & er-
rabundus euadit, & inſanire & inſæuire cogit: at ſi integer ſit, facultatem
rectè cogitandi, & agendi omnia animo præſtat. Hæc reuera admirabilia
Prob.68. arcana reliquit poſteritati Alex. Aph. loco iam citato. Lucidum eſſe non
tantum Medici, ſed Philoſophi decreuerunt, inter quos eſt Alex. iam di-
P.68.69. ctus, vt legitur lib. 1. Prob. quod etiam protulit Gal. varijs in locis, ſed
28. præcipuè 6. de Mor. Vulg. com. 4. quo loco ſcribit Hip. hæc *Oculi vt va-*
lent, ita & corpus: in com. narrat Gal. oculos eſſe cauos, & decolores viri-
bus infirmis, at ſi robuſtæ, contrarium euenire: animalem enim ſpiritum lu-
minoſum è cerebro in oculos plurimum proficiſci declarauimus. & 7. de Plac.
Hip. hæc. *Quod in illis neruis ſplendidus feratur ſpiritus manifeſta forami-*

na

*na habentibus tum in ſuperiori initio, tum quo in oculis inſeruntur in gran-
diorum animalium ſectione eſt conſpicere, indicat in nonnullis animalibus
circulus ille refulgens circa pupillam, qui ſpiritus à cerebro deſcendit, cum
lucidus ſit.* Præterea nóne & nobis videre licet in nónullis animalibus no-
cturno tempore tantũ luminis ab eorũ oculis emicare, vt aerẽ illuminent,
& obiectũ viſibile, & ideo ratione fuit a Gal. appellatũ vehiculum animæ
æthereum, quo anima diffuſa per artus nõ tantũmodo exagitat corporeã
molẽ, ſed cogitationis, & memoriæ eſt in cauſa. A quib. aũt cauſis fulgidus
euadat, nõ facilè eſt me iudice adinuenire: niſi dicamus ſpiritum animalẽ
eſſe natura potius aereum, & igneum, quàm ſecus, quæ ſunt duo elementa
omnino diaphana, & apta nata, vt lucem à ſe emittans, ſi cum puritate ſua
aliquam acquirant craſſitiem: in propria enim ſphera non lucent ob ma-
teriæ nimiam raritatem, vt omnes philoſophi affirmãt, inter quos Auer. 4.
Cæli hæc ſcripta reliquit. *Fortè illuminatio accidit igni extra propriam ſphæ-* Cap. 32.
ram, ſicut congelatio aquæ contingit extra proprium locum. His tanquam
veriſſimis ſuppoſitis dicerem ego partes igneas, & aereas, quæ ſunt in ſpiri-
tu vitali elaboratas in retiformi plexu, & ſeiunctas ab opacitate materiæ
terreſtris, & tandem à frigiditate cerebri quoquomodo denſatas, vt dice-
bat Alex. lucem emittere, atque fulgere, quod dilucidè patefacit lib. 1. Pro- P. 68.
ſic. *Cur feles, hyenæ, & veſpertiliones acutè noctu conſpiciunt? reſpondet
ſpiritum illum viſorium tenuiſſimum, & dilucidiſſimum habere, ita vt per
noctem hic modicè incraſſeſcens idoneus ad rerum conſpectum reddatur.*
Has exiſtimo ego eſſe cauſas ſi non demonſtrantes, ſaltem probabiliores,
quæ in re tam ardua afferri in medium poſſunt. Cognouit fulgidum eſſe
hunc ſpiritum Auic. & huius fulgoris cauſas finales veſtigauit. in lib enim
de Virib. Cordis prodidit litteris. *Animal fulgore illo lætum, & hilare ſer-
uari: lux enim eſt conformis animæ naturæ.* Quod elicitur etiam à dictis Gal.
lib. de l. aff. dum narrat timoris cauſam; qui etiam ſtatuit locis ſupracita-
tis eſſe lucidum ob inſtrumenti viſus illuminationem. Sunt reliqua inſtru-
menta (ne longam orationem ſuſcipiam) ex craſſiori, & rudiori materia
conflata, multiformia, atque varia pro actionum dignioris animæ neceſſi-
tate. exiſtunt hæc Partes ſimilares, & diſſimilares, quæ omnes animæ gra-
tia ſunt à natura fabricatæ docente Gal. in libro de vſu part. & Ariſt. 1. de Cap. 1.
Parti. animal. & tali ſitu, figura, compoſitione, temperatura, ſubſtantia, at-
que nexu inſignitæ, vt aptiori modo deſeruiant illius functionibus: Quo-
circa Gal. lib. 17. de vſu part. iudicauit ſuperfluam, inutilem, & naturæ im-
pedimento eſſe illam partem, quæ orbata ſit aliqua actione. Vnde tempe-
ramentum, compoſitio, & omnia iam dicta erunt animæ inſtrumenta,
quatenus partes illæ animæ deſeruientes his exornantur. Et inter cætera
organa, quibus donatum eſt corpus humanum, vt dignioris animæ poten-
tia refulgeat, manus reputatur: quoniam natura tribuit narrante Ariſt. 4.
de Part. animal. homini manus; quia prudentiſſimus, vt varia conſtrueret
inſtrumenta pro diuerſis artibus, & ab inſidijs externorum tueretur. &
ideo 3. de anima dixit. *Manum inſtrumentum inſtrumentorum, & inſtru-
mentum ante inſtrumenta.* Quæ omnia confirmat Gal. lib. 1. de vſu part.
appellans hanc. *Inſtrumentum neceſſarium homini ad omnes artes & tem-*

pore

pore pacis, & tempore belli tributũ ei; quia prudentissimus, & non vt Ana-
xag. qui censuit hominem sapientissimum esse, quia manus habet: Est præ-
terea instrumentum nobile lingua: non enim tantùm, vt sapores perci-
Cap. 16. Tex. vlt. piantur, data est homini, sed etiam ad sermonem, vt 2. de Part. animal. si-
gnificat enim aliquid alteri, sicuti 3. de anima. vnde hac animi affectus, &
passiones innotescunt, scientiæ à præceptoribus traduntur, & cum varijs
communicantes multas sententias in melius permutamus, & ideo 1. Po-
lit. legitur sermonem esse tributum homini, vt per illum ostenderetur vti-
litas, vel damnum. Denique est totum corpus quoquomodo animæ instru-
Cap. 2. mentum, quod reliquit scriptum 17. de vsu part. sic. *Animæ organum cor-*
pus; & propterea multum differunt à se inuicem particulæ animalium, quo-
niam & ipsæ animæ differunt, omnibus autem aptum est corpus moribus, &
Cap. 5. *facultatibus; Leoni enim vt pote animoso, & feroci, & dentibus, & vngui-*
bus validum. Quod ab Arist. narratur lib. 1. de part. animal. & ratione pro-
batur talibus verbis. *Cum instrumentum omne rei alicuius gratia sit, & cor-*
poris partes quasque gratia alicuius esse videamus, id autem ipsum esse ali-
cuius gratia non nisi pro aliqua actione sit: patet iam totum corpus constare
alicuius gratia actionis plenioris non enim sectio serræ gratia facta est, sed
serra sectionis gratia, cum sectio quædam vsio sit quapropter corpus etiam
totum animæ gratia conditum est, & membra officiorum gratia constant, &
munerum, ad quæ singula accommodantur. Sed quoniam non cuique ani-
mæ quodlibet conuenit corpus, fuit tali animæ digniori tributum corpus
Cap. 10. figura erectum, & excelsum, vt corresponderet parti sublimi vniuersi.
hoc nobis reliquit scriptum ille lib. 4. de Partib. animal. his verbis. *Solus*
enim homo est erectus; quoniam eius natura, & substantia diuina est: diuini
autem officium est intelligere, quod facile non esset, si vasta corporis moles
assideret: pondus enim tardiorem reddit & mentem, & sensum commu-
nem. Insuper corpus erectum ad varias actiones, & artes aptum existit:
nam facilè se flectit, & ad latera se contorquet, & erigitur, cui datæ sunt
manus exporrectæ, ac expeditæ, denegatæ alijs animalibus, vt sine aliqua
difficultate obtineat quæcunque voluntas libera imperat, atque iubet. de-
bet esse corpus magnitudine mediocre, potiùs breue, quàm secus: nam ani-
mus in corpore tali compactius agit, atque robustius: at in longo exolui-
tur: vnde Homerus finxit Vlissem breuem, & ideo prudentissimum, Aia-
P. 26. cem longum, & ideo stolidissimum. hæc nos docet Alex. lib. 1. Prob. dicens.
Cur homines, qui breui sunt corpore prudentiores magna ex parte, quàm qui
longos? & cur fortiores? At non solùm spiritus, & corpus deseruiunt nobi-
liori animæ, sed, quod admiratione dignum, ceteræ animæ scilicet vitalis,
& naturalis: argumenta sunt nobis pudendi virilis erectiones, mictiones;
dentium stridores, quæ ab imaginatione suscitantur concurrente tamen
vitali facultate: nonne hac solùm duce intempestiui vertice funduntur ca-
ni? Sed euidentiorem nobis faciunt fidem mulieres vtero gerentes, quæ in
corpora tenella fætus imprimunt impellente alicuius rei cupiditate animo
iam concepta & colorem, & figuram eius comite vitali, & naturali facul-
tate, quæ transfert ad illam determinatam partem vnà cum spiritu rei spe-
ciem, atque materiam; quæ contemplans Galen. lib. 4. de Plac. Hip. *Statuit*
ratio-

rationalem imperare, & dominari alijs functionibus. Et Auic. Arabũ Princeps 6. lib. Naturalium existimauit phantasiam non tantùm corpus, quo residet immutare, & ei imperare, sed pluuias eius nutu vaporibus in vnum vnitis concitare, grandines, tonitrua, euellentes turbines, turbidas tempestates, nimbos diem inuoluere, humidum aerem silere, & sydera diurno tempore sola micare. Sed hæc ab imaginatione suscitari minimè censeo, sed potius magicis carminibus immundo ore pronunciatis, & dæmonum inuocatione, vt optimè D. Thomas, & alij Theologicæ veritatis professores affirmant. Aristot. in Polit.

Anima quomodo Morbis afficiatur, & ij à quibus causis suscitentur. Cap. VI.

ETsi Nobiliorem animam varijs morbis, atque noxis oblædi scriptum reliquit Gal. lib. de symp. Diff. quod diffusius ostendit, & multis exemplis demonstrat 2. de l. aff. attamen vt ratio expostulat, debemus mẽte indagare modum, quo Morbus eam excruciet, & affligat: Cum enim temperamentum anima non sit, neque ab elementis quo ad essentiam pendeat, neque corpus aliquod, statuendum erit minimè à morbis eam torqueri, quod tradidit litteris Aristo. 1. de ani. his verbis. *Senium non est, quia sustinuit aliquid anima, sed id in quo, sicut in ebrietatibus, & morbis*. Neque enim vt Proclus lib. de anima, instrumentorum passiones animam mutant; nisi nos dicamus hoc illi euenire, quatenus operatur, quod sine organis minimè fieri potest. Animam igitur non inuadunt morbi, sed eius facultates meritò instrumentorum, quibus operantur noxam patiuntur: nã morbus est ille, qui immediatè lædit actiones, & non animæ essentiam, atque naturam, quod diligentissimus Gal. his comprobat dictis. *Vndique verò animam affici, vbi propriarum ipsius actionum aliqua læditur*: Sic & lib. de sym. differ. quibus in locis semper retulit noxam in actiones animæ, & non in animam ipsam. Actiones aut vitiantur læso instrumento, quo fiunt: laborante enim oculo aliquo morbo non videt animal, aut malè cernit. & ideo si senex haberet oculum iuuenis, videret, vt adolescens: quoniam instrumentum esset aptum ad visionem obeundam. Noxam itaque patitur anima à morbis; nam eius operationes vitiatis organis à passionibus, læsionem aliquam sustinent: nihil autem refert, si morbum dicamus instrumenti affectum, vel vitium actionis, vt 1. Meth. legitur. Functiones hæ vitiantur multis de causis, videlicet aut cerebro malè affecto, quod est animæ domicilium, aut spiritu animali, aut vijs deferentibus, & tandem organis ipsis, quibus immediatè functiones illæ in actum prosiliunt; silentio inuoluo obiecta, a quibus, si modum excedant, etiam proprio munere priuantur. sed animaduertendum venit munera animæ illa, quæ nulla interposita parte à cerebro tantum proueniunt, offensam pati, aut illo morbido existente, aut spiritu animali malè affecto; sunt hæc imaginatio, cogitatio, memoria, & sensus communis. At illa, quæ organa habent à cerebro remota à quatuor illis causis iam allatis possint contaminari, vt visiua facultas incommoda euadit, aut cerebro, aut spiritu, aut neruo optico

C. 3.

T. 65. 66.

deferente ſpiritum, aut aliquo morbo ipſo oculo laborante, non tamen
ſemper hæc omnia concurrunt, ſed non raró affectus oculum tenens eſt
viſionis defectus in cauſa; interdum & cerebrum affectum, aut neruus ob-
ſtructus. Cerebrum morboſum cenſetur, ſi malè temperatum reddatur
quocunq; genere intemperiei, vt 3. de l. aff. ſemper enim detrimento erit
alicui actioni, non tantùm pro diuerſitate intemperiei: ſed etiam loci affe-
C.5.& 6. cti. Vnde Gal. eodem lib. hæc pronunciauit. *Huius affectus omnes capiti*
aduenire ſolent, ſed inter ſe differunt non ſolùm mixtionis varietate, aut eo
C.5. *quod magis, vel minus intẽdantur; verum etiam quòd ventriculi cerebri in-*
terdum afficiuntur intemperantijs, interdum vniuerſa eius vaſa, aut humi-
ditas, quæ per cerebrum diſperſa eſt, accedit quartus modus, cum videlicet
ipſum cerebri corpus intemperatum redditur. Vel ſubſtantia ſit molliſſi-
mum, aut valde denſum, ſiue hoc inſit ei à natura, vel ob humoris influ-
xum, qui inſenſibiles ductus obturet; aut malè efformatum, aut magnitu-
dine, vel paruitate vitioſum. & cum dico cerebrum non ſolùm ſub nomi-
ne tali eius ſubſtantiam comprehendo, ſed etiam ventriculos eius, vt ſi an-
guſti, diſtorti, aut ſemiocclusi, aut obturati; aut aliqua qualitate irritati:
hoc modo vſurpauit cerebrum Gal. 3. de l. aff. vbi de Melancholia dicens.
C.7. *Igitur craſſi humores, qui in cerebri ſubſtantia abundant, interdum ei, vt*
inſtrumentali, interdum, vt ſimilari, noxam inferunt. cum enim meatus ob-
ſtruuntur, vt inſtrumentali, cum verò temperamentum alteratur: vt ſimi-
lari. Pro meatibus autem non ſenſum fugientes, ſed ventriculos, & ca-
pacitates ſumpſit, vt paulò poſt patet legentibus. Spiritus animalis incom-
modaret actionibus, ſi paucus, aut tenuis, & reſolubilis, ſi tenebroſus, &
turbidus, aut ægrè mobilis, atque craſſus, quæ omnia contingere poſſunt,
aut ob vitalis ſpiritus inopiam, aut vitium, vel ob vaſa, atque ductus, per
quos partibus diſtribuuntur, morbo aliquo detentos, aut propter cere-
brum morboſum, à quo vltimam recipit formam. Horum multa nos do-
cuit Actuar. in libro, qui inſcribitur de Actionibus, & affectibus ſpiritus
animalis, his verbis comparatione quadam facta inter ſpiritus iſtos exte-
riores aereos, & talem ſpiritum. *Denique ſpiritus is noſter, cum multitu-*
dine exuperauerit, animæ edit functiones qualeſcunque tandem perduran-
tes, cum verò tenuitate pollet, acutas; cum facilè permeet: ſicuti idem craſ-
ſior factus ſegniores motus eius oſtendit. at caliditas ſi adſit, excitare hunc
& veluti ſtimulum huic addere ſolet: vnde loco conſiſtere nequit, ſed huc,
atque illuc fluctuat caloris vehementia: frigiditas ſi modum exuperat, fir-
miores obeundis negotijs, ac conſtantes facit, non autem acutos, quæ ſi inten-
datur, torpidos, ac obdormiſcentes motus inducit: Humiditas excedens flu-
xam, & euaneſcentem eius ſubſtantiam: ſiccitas temperata ſpiritum hunc
facilè mobilem efficit, & leuem: quęcunque verò in qualitatum tot com-
plexu, & latitudine viſuntur, longum ſanè ſermone fuerit recenſere. Viæ
ſpiritum deferentes, quem ſæpè lib. de ſympt. diff. Gal. facultatem appel-
lat ſentiendi à cerebro influentem, impedimento ſunt ei, ſi diuulſæ, aut
occluſę, diſtortæ, & flexuoſæ, à quibus oblæſis, aut omnino impeditur eius
tranſitus, aut ægrè tranſcurrit, & migrat. Tandem, vt finem imponam,
non celebrantur actiones in partibus eis accommodatis, & à natura de-
ſtinatis

ſtinatis aut ob intemperiem, quę eas inalterat, atque tranſmutat: ſenſorij enim ſinceritas eſt in cauſa, vt differentiæ ſenſibilium optimè iudicentur docente Ariſt. Vel quia eius conformatio, aut magnitudo, aut ſitus, aut figura, & denique, ſi pars ſit varijs conflata particulis, ſi numerus à ſtatu naturali euariet. Diuiduntur hę animæ operationes, ſicuti ſcribitur lib. de ſymp. Differ. in Senſibiles, Motrices, & Principes, ſiue rectrices, ſecundum quam diuiſionem diſtingui meos libros decreui. In primo enim de Morbis occupantibus rectrices facultates agemus à dignioribus, ac nobilioribus initium ſumentes: in ſecundo ſenſitrices. in tertio, & vltimo Motrices. ſemper autem eſt memoria cuſtodiendum omnes has facultates triplici modo vitiari, atque offenſam pati: aut enim imperfectè, & diminutè operantur; aut omnino abolentur, vel quod non raro contingit, deprauantur, & circa propria obiecta oberrant, vt ſi lingua dulce amarum iudicet eſſe, quoniam amarulento ſucco ſit imbuta.





DE MORBIS,

ATQVE NOXIS RECTRICES FACVLTATES infestantibus. Cap. VII.





SVnt Rectrices, seu principes functiones, quibus homo varijs muneribus ornatus conspicitur, numero quatuor, imaginatio scilicet, cogitatio, memoria, & intellectus. quas omnes non rarò Gal. sub vnico nomine comprehendens, vt in Pror. legitur, appellauit intellectualem facultatem, vel mentem: etiamsi re vera multis in locis has distinxit, sicuti lib. de l. aff. imaginatio varia spectra rerum repręsentat, & de nouo multa etiam fingit. Cogitatiua ratiocinatur circa illa, distinguit, & iudicat, quam sæpe mentem, & rationem ille nuncupauit memoria idola iam suscepta, & sensuum vestigia condit, atq; seruat: intellectus autem vniuersalia tantum, & obiecta à materia seiuncta cognoscit, atque intelligit & hæc de istis potentijs sint à me obiter dicta: maiori enim inquisitione egent, nec ad Medicum attinent. læduntur hæ duabus è causis: aut ob dependentiam, quam habent inter se quò ad obiecta, vel merito partis, qua insident, & commorantur: primò modo læsa imaginatione oblæditur interdũ etiam cogitatio causa obiecti repręsentati: vnde circa tale exempli gratia ab imaginatione omninò falsum fabricatum cogitatio, dum proprio munere fungitur, aberrat nõ sui culpa, sed obiecti falsi ab imaginatione oblati, iudicat enim illud eo modo; quo offertur; vnde non raro ei assentiens in fictitia traducitur vnà cum imaginatione. Interdum autem cognoscit imaginationem à proprio fine oberrare: & ideo tali obiecto falso nullam præstat fidem: his vitiatis etiam memoria noxam patitur; nam ab imagarione vitiata aut non offeruntur illi rerum species, aut si offeruntur, falsæ omnino existunt: ad cuius læsionem sæpe ratiocinatio etiam aut manca redditur, aut ab obiecto repręsentato decipitur: vnde fit, vt homines inscientes, aut

stolidi

stolidi aut mentecapti euadant, hoc genus offensæ ab obiecto suscitatæ cognouit forte Auer. lib. de Mem. & reminiscentia dicens. *Verbi gratia quia imaginatiua læditur per lesionem sensus, & distinctiua læditur per lesionem imaginatiuæ, & memoratiua per lesionem distinctiuæ: illud enim quod est magis spirituale leditur per lesionem eius, quod est minus spirituale.* Quæ Auer. verba si non intelligantur de læsionibus ab obiecto dependentibus, omnino ridicula essent; cum sæpe videamus imaginationem vitiatam seruata cogitatione, atque memoria: rectè enim se habet cogitatiua circa falsa illa rerum spectra ab imaginatione fabricata, & memoria illa optimè recondit, & seruat de quibus varia exempla nobis ante oculos posuit Gal. lib. 4. de l. aff. ita. *Nonnulli enim rectè quantùm ad sensitiuam notitiam pertinet, iudicant, cogitando verò oberrant: alij cogitatione non falluntur, sed sensibus deformiter mouentur: & aliqui ita animo constant, vt animalis facultas non vacillet.* Et lib. 3. de sympt. diff. hæc. *Erat phreniticus, qui singula vasa nomẽclaturis probè nominabat, vnde intelligere licebat neque imaginandi facultatem, nec memoriam deletam fuisse, sed rectè non ratiocinabatur.* Et in Pror. nonne nunc imaginationem, nunc ratiocinandi facultatem, nũc memoriam lædi affirmat? hoc modo potest etiam intellectus vitiari scilicet merito obiecti, vt iam declarauimus, deceptus à sensitiuis potentijs, quæ illi deseruiunt, tanquam ancillæ, atq; instrumenta deferentia rerum species. hoc genus læsionis ab obiecto ob nexum, & societatem inter se facultatum arbitror ego non rarò inuadere ægrotantes. Alio modo hæ facultates proprium munus non edunt eo ordine, & modo, quo debent ob vitium partis, quæ est illis, tanquã domicilium, atq; sedes, (non loquor de intellectu) inalterata. n. parte, qua residet memoria, illa tantùm patitur illæsis alijs manẽtibus: sic & imaginatio, & cogitatiua, nisi pars illa morbosa in consensum trahat finitimam sanam; atque sinceram: sic enim & ceteræ læduntur. Tribus modis morbidam noxam hæ omnes functiones sustinere possunt: aut enim Deprauantur, aut Minuuntur, aut Abolentur. deprauantur cognoscentes tantùm, & aliquid de nouo fingentes; imaginatio hę sunt, & cogitatio, vt in Delirio, Phrenitide, furore, Melanchollia, vertigine, & incubo, vt aliqui dicunt. Memoria autem minimè deprauatur; hæc enim rerum idola solum retinet. Abolentur omnes in apoplexia & epilepsia, & memoria tantùm in obliuione. Diminuuntur cum ægrè, & aliqua cum difficultate agunt, sicuti in lethargo, & in soporosis affectionibus, hæc ferè omnia reliquit scripta Gal. lib. de sym. Diff. & 2. de symp. caus. prætermitto offensam illam, quæ ab obiecto forinsecùs occurrente solet suscitari, à quo contingunt, at rarò præcipuè imaginationis, etiamsi vt ego censeo per accidens, aberrationes, atque offensæ, vt in vertigine, nam medicam manum hæ rarò requirunt, cum ad obiecti ablationem euanescant, atq; auferantur.

C. 2. C. 3. C. 3. C. 7.

De

De Phrenitide. Cap. VIII.

CVm Principes, siue Rectrices facultates variæ, atque multæ existant, vt præcedenti sermone satis abunde narrauimus, inter quas vnam altera esse nobiliorem, atque potiorem etiam demonstrauimus, orationem nostram a nobiliori incipientes suscipiemus, & cum cæteris excellentior ab omnibus reputetur ratiocinatrix, atque imaginatrix, nos initium ab earum offensi desumere decreuimus,& earum cæteris quoquómodo grauiorem noxam in medium afferre. Talis autem a Medicis Phrenitis censetur, quam Galenus varijs nominibus appellauir, impulsore tamen Hippocrate & in aphor. & in Pror. & lib. de Mor. Vulg. Hanc enim Mentis aberrationem, Inconstantiam, Vacillationem, Amentiam, Dementiam, Delirationem, Desipientiam, ac Delirium dixit, non rarò si modum excedat, Vesaniam, Furorem, & Ecsthasim vocauit: at sæpe hæc nomina, etiam si aliqua huic passioni non propria inter se multi confundunt, & vnum pro altero vsurpant. Nomen autem omnibus commune statuit Desipientiam esse Celsus: Galenus verò lib. de Sym. Differ. Delirium.

Est Phrenitis, si de nominis significatione loquor, Mentis passio, siue difficultas, vt Cælio Aureliano placet. *Phrenas enim omnes antiqui mentem nuncupauerunt teste Galeno* 1. *Pror. immo & septum transuersum phrenas dixere: nam illo inflammato mens delirat, vt* 5 *de l. aff.* Mentem autem
Com. 4. hoc loco non sumit ille pro simplici, vel sola cogitatione, veluti aliqui Recentiorum somniant, sed pro quacunque facultate iudicante, atque co-
C. 4. gnoscente, quod patefacit his verbis eodem loco. *Phrenitim mortales om-*
.i. in Pror. *nes eam affectionē dicunt, in qua mentē læsam esse dicūt, quam tū Sensum, tum Intelligentiam esse dicunt.* Dicamus igitur Phrenitidem esse Mentis incōstantiam perpetuam, siue eius deprauatum motum ob Cerebri phlegmonem, aut eius Membranarum comite assidua febre. Vt enim est perpetua, distinguitur ab illa, quæ in febrium vigore suscitatur, quo mitigato, atque sedato delitescit, perpetuò tamen etiam delirat mens, si septum trans-
C. 4. uersum inflammatione tentatur, vt 5. de l. aff. quæ passio proprijs signis distinguitur à vera phrenitide. Non solum Membranas, sed etiā cere-
C. 7 brū ipsum phlegmone interdum detineri nos docet Gal. 2. de symp. Caus. dicens. *Nam phrenitis non simpliciter ob calidos succos accidit, sed cum phlegmonem vel in cerebro, vel in ipsius membranis pariunt: in alijs verò*
1. contin. *febribus deliria mouentur huiusmodi succo in cerebro abundante*, à cuius sententia non abhorrent Auer. Auic. Ras. Auenz. Alex. Paul. & Haly. Sileant igitur, qui affirmare audent ad eius mentem cerebrum non posse phlegmone infestari extorquentes eius textum. Sed quid mirum? si enim membranæ natura frigidæ, & siccæ phlegmone tentātur; propterea quod multæ venæ eas intertexunt: cur non potest & cerebrum vera inflammatione infestari? cum non paucæ venulę in ipso terminentur, vt in eius dissectionibus quotidie conspicere licet: & si concedunt, vt debent ipsum ab alimento attracto extendi, & augeri, necessariò fateri coguntur, vt doctissime reliquit scriptum Auic. à morbosa materia & extendi, & augmentum suscipere, Attamen *præcipuè gigni phrenitim ex tenui Meninge, Le-*

thar-

thargum ex ipso potius cerebro cum Galeno 4. de Caus. Pul. affirmamus. C.19.
attamen ob eorum inter se propinquitatem, atque contactum semper & inuolucra, & cerebrum oblæduntur. Garrire præterea desistant non pauci pronunciantes veram non gigni inflammationem in phrenitide, sed tantùm æstuosum calorem suscitari ob calidorum succorum præsentiam in cerebro, aut membranis existentium, quod omnino aduersatur illis dictis, quæ scribuntur 2. de symp. Cau. quæ. *Phrenitis non accidit simpliciter ob calidos succos in cerebro, sed in alijs febribus deliria mouētur huiusmodi succo in cerebro abundante.* Huic tamen sententiæ ita multæ aliæ aduersantur, vt patefaciemus, vt me quidem iudice impossibile sit illas inter se conciliare. C.7.

Producitur hæc noxa à bile, quæ interdum flaua existit, vt 1. de Mor. Vulg. com. 2. interdum retorrida, vt 6. aph. & interdum pallida, sicuti 3. de l. aff. cap. 7. vbi legitur. *Atque hanc ob causam phrenitis nonnunquam mitior, cum videlicet à pallida bile, at vehementior cum ab alijs.* Hic humor semper, si phlegmonem producere debet, socium sanguinem habet, & ideo Auic. statuit vt plurimum à bilioso sanguine gigni, attamen non negauit, et à cholera pura ortū trahere posse, sed rarò. quod Paul. affirmauit etiam his verbis. *Causa Morbi vel sanguis superans, vel biliosus humor: nonnunquam & flaua bilis perusta, adeo vt in nigram degenerauerit, quæ etiam grauissimam phrenitidem contrahit.* hæc materia sua caliditate, acrimonia, atque impulsu mentem in fictitia transfert vitiato spiritu animali eius instrumento rerum species deferente, qui cum errabundus sit, & inconstans, semper noua spectra repræsentat imaginationi, vel alteri ratiocinanti facultati, ita vt non detur tempus cōueniens ad hæc, vel illa iudicanda, vel si datur ob multiplicem occursum specierum, vt ita dicam, confusarum imaginatio, vel cogitatio deprauatur. A calore exagitante produci delirium nos docet Galenus lib. 3. de l. aff. ipsius enim est agere, atque mouere vt 2. de l. aff. & præcipuè si immodicus, atque æstuosus, sicuti 4. de Præsag. ex puls. à quo tanquam à causa immediata suscitatur, & ab acrimonia humoris inuolucra vellicantur, & mouentur, & sua mobilitate atque tenuitate humor huc, atque illuc vagatur inalterans semper & cerebrum, & irritans naturalem expulsiuam ad motum, a quibus omnibus mobilis extra modum redditur animalis spiritus. Est phrenitis Morbus calidus, & siccus, vt 3. de symp. Caus. a calido enim succo dependet, & sic est morbus in intēperie, vt Phlegmone erit in magnitudine aucta: & vt symptoma Principis functionis noxa, in genere deprauatæ actionis, appellauit enim Gal. *delirium motum deprauatum, aut imaginatiuæ, aut cogitatiuæ.* Ex his arbitror ego ideam huius morbi, atque causas satis me tetigisse, atque narrasse. 72. 53. Ras. 1. cō. C.6. Et 13. Meth. C.21. C.3. 2. de sy. c. C.7.

Multiformes huius morbi adinueniuntur species, & differentiæ, quarū aliquæ a læsione diuersarum facultatum desumuntur: nonnullæ a varijs humoribus ipsum procreantibus, & aliæ a locis Læsis. Silentio inuoluo illas, quę consortij lege caput infestant: hæ enim paraphrenitides dicuntur; cum inflammatio in talibus cerebrum non obsideat.

Quantum ad potentias cognoscentes attinet, tres attulit in medium Gal.

C.2. Gal. differentias 4. de l. aff. dicens. *Sunt quidam Phrenitici, qui de his, quæ oculis offeruntur, rectè quantum ad sensitricem potentiam pertinet, iudicant, cogitando tamen aberrant. Alij cogitatione quidem falluntur minime sensibus tamen deformiter mouentur: sunt præterea qui & sensus, & cogitationis vitio laborant.* ponit exemplum circa primam speciem de ægrotanti quodam, qui vasa vitrea cognoscebat: attamen rogatus ea è fenestris proijciebat, sicut etiam & puerum: quapropter concludit in hoc nec imaginationem, nec memoriam læsam fuisse, sed cogitatiuam tantùm, vel ratiocinationem, quæ omnia patefecit his verbis. *Hic singula vasa nomenclaturis suis probe nominauit; vnde intelligere licebat nec imaginandi functionem, nec memoriam deletam, sed rectè non ratiocinabatur.* Huic contrariam affectionem non solum in alijs sed etiam in seipso expertus est Galenus, cuius verba hæc. *Cum per ęstatem ardenti febre laborarem, & festucas atro colore ex cubili eminere, & floccos similiter in vestibus esse putabam, quos auferre tentans, nihil sub digitis eductum inueniens, accuratiùs, vehementiùsque id efficere conatus sum. audiens itaque duos ex amicis, qui tùm aderant, dicentes. vides ne hunc iam & floccos auellere, & festucas colligere? statim intellexi, idipsum quòd dicebant me fecisse. Cum verò sic animo constarem, vt rationalis in me facultas non vacillaret. rectè inquam dicitis. proinde ne phrenitis me arripiat, auxilio estote.* In Theophilo autem Medico ratiocinatio minimè oblæsa erat, sed imaginatio quod patefacit dicens 2. lib. de symp. diff. *Porrò accidit plerunque vt ambas actiones obturbet delirium, vt neque benè procedat imaginatio, neque debita fiat ratiocinatio. interdum vna duntaxat læditur. id quod Theophilo Medico ægrotãti euenit. qui cum alioqui prudenter dissereret, atque eos, qui tùm præsentes erant exactè nosceret: tibicines tamen quosdam arbitrabatur esse in angulo cubiculi, in quo decumbebat, eosq; tibia canere, atque pulsare, & se illos videre putabat. proinde assiduè clamãs iussit eos à cubiculo expelli, & hanc habuit delirij speciem. qui sanitate recuperata omnia memoria seruauit.* Potest præterea contingere alicui ægrotanti, vt varijs in temporibus facultates hæ omnes offensam patiantur: quod narratur lib. 1. Pror. com. 1. sic. quo loco scribit Hip. *Frequentes in phreniticis permutationes conuulsionem indicant. Quo autem modo in sensitiuis contingit, ita in ratione scilicet mente, memoria, & cogitatione permutationes fiant humore influente alium, atque alium locum infestante: vnde interdum excandescunt, interdum lætentur desipientes ipsi, vel studiosa quadam detineantur cogitatione, & Rhetorem cum desiperet meditantem audiui, grãmaticum librum legere putantem sapphicum, alium Arithmeticum, vel Geometrum theoremata artis narrantem, sed post paulò, turpia, obscœnaque commemorabant.*

Libro de symp. diff. c. 3.

C. 3.

Com. 27.

At non tantummodo in his internis potentijs euenit error, atque deceptio; sed etiam in particularibus sensibus. *Floccos enim auellere, festucas colligere sensus visus est offendiculum, Tibicines audire auditus, sic in olfactu symptoma non dissimile, cum graueolentes odores inculpant, qui tamen non adsunt; sunt etiam, qui iubent sustolli aliquod incumbens, tanquam graue admodum, vel calefaciens, vel mordens, vel refrigerans sensu tactus oblæso.*

A sensib. partic. 1. Pror. Com. 1. Com. 27.

oblæso. Ex quibus apertissimè nobis innotescit non semper ratiocinatricem, ædi, sed interdum imaginationem, & memoriam vitiari, atque pati: Non rarò etiam sensus exteriores, illæsis permanentibus internis facultatibus, vt oculi tantùm, vel aures, ad tales sensus vaporibus vitiosis impetum facientibus, quod sæpè, atque sæpè à peritissimis Medicis obseruatur. offensas has sensuum externorum phrenitides nõ vocarem ego, sed potius phreniticas inchoationes, rudimenta, vel imagines phrenitidis. quod Gal. nos docet narrato iam in libro. *Qui etiam si floccos auellebat, & festucas colligebat non affirmauit se phreniticum fuisse, imo dixit astantibus, auxilio estote, ne phrenitis me arripiat*. Et hæc pronunciauit ratione. *Nam oculi interdum afficiuntur tali noxa vapore nigro, aut retorrido ad ipsos elato, vt foris videant festucas, pilos, & volitantes muscas passione in oculo existente: humor enim ille in pupilla existens mundus concipit exhalationem, vbi verò perturbatur prædicta visa apparent*. Hæc lib. 1. Progn. & ideo falsò arbitrantur Medici præclarissimi nonnulli imaginationem in talibus oblædi: nisi dicamus causa obiecti à particulari sensu oblati læsionem aliquam interdum pati: sicut etiam potest deprauatè edere proprium munus cogitatio læsa imaginatione, ob dependentiam, & nexum, quem inter se habent ob obiectorum occursum, at si illa cognoscat imaginationem deceptam fuisse, & obiecta illa falsa; quis affirmabit cogitationem læsam existere, cum aliorum errata cognoscat? si verò assentiret, dicerem ego deprauatè agere per accidens ob causam obiecti ab imaginatione deprauata ad ipsam repræsentati. Com. 1. 23.

Variæ quoque adinueniuntur species phrenitidis pro diuersitate humorum, à quibus suscitantur. Nonnullæ enim mites, quædam effrænes, ferinæ, atque furentes, & aliquæ malignæ: à pallida enim bile, aut à sanguine fiunt mitiores: à superassata ferinæ, quas decorant antiquiores Medici varijs nominibus: nam has insaniam, vesaniam, furorem, & ecsthasim dixerunt: ecsthasim enim appellauit Gal. 1. Pror. com. 1. mentis alienationem vehementem, atque ferinam, quæ à retorrida bile ortum ducit. Vesaniam passa est Hermozigi vxor, quæ vehementer furens, & muta obijt, vt Hip. Malignæ dicuntur, quæ à virulento humore procreantur citò iugulantes ob prauam humorum qualitatem ægrotantes, exemplum ante oculos nobis posuit Hip. 3. de Mor. Vulg. com. 3. de phrenitico quodam, qui quarta die vitalia lumina liquit. Ab humoribus. 14. Gal. 12. Com. 75.

Pro partis affectæ diuersitate multiplices etiam emergunt, vt si anteriorem, vel posteriorem cerebri partem infestent: varijs enim in partibus varias à se anima edit operationes, vt iam patefecimus. sunt pręterea solidam cerebri substantiã obsidentes, quæ hecticę appellantur, quarũ generationis modum nos docet Gal. 1. Pror. com. 1. dicens. *Phrenitide igitur ex bilioso succo generationem habente, cum is in cerebrum decubuerit, principio quidem qualitate ipsius nondum toti cerebri corpori permixta, confusaq; tumultuosæ fiunt desipientiæ: procedente verò tempore simile quippiam contrahitur lanis, quæ à tinctoribus appellatis, tincturam accipiunt: quippe & hæ vix eluibiles redduntur: talis igitur cerebri, veluti tinctura desipientiam hecticam habet*. Talis infestauit Didymarchum, vt Hip. in textu. *Qui has* Hecticæ. 33.

desipientias blandas, obscuras, contrectabiles, sed valdè phreniticas nuncupauit: Sed dolosas recentiores; in his enim referente Celso, ægrotantes artem adhibent, qua decipiunt astantes, sanos se fingunt, at prudenter, & miserabiliter loquuntur, quibus minimè est credendum.

Dolosæ.

Nunc ad signa me transfero, quæ triplici distinguuntur discrimine. Ali qua enim futuram phrenitidem portendunt: Aliqua præsentem demonstrant: & quædam futurum exitum prænunciant. *Imminentem nunciant ferox aspectus, responsio ab homine modesto audax, voces obtremiscentes, linguæ inconstantes, vigiliæ, somnus manifestis imaginibus turbatus. Adhæc, vt Gal. interdum accedit obliuio, dolor occiput tenet, nonnulli clamant, & exiliunt, exiguo omnes vtuntur potu, interdum maiori cum tumultu, aut temeritate respondent, spiratio ipsis rara, & magna, & pulsus parui, & neruosiores. Cum verò iam proximè ad phrenitidem existunt, oculi vehementer euadunt squallidi, aut ex altero eorum acris effunditur lachrima, aut lippitudo innatat, & venæ ipsorum sanguine plenæ videntur, & sanguis stillat è naribus. Quo tempore nihil quòd exactè ad prudentiam pertineat, respondent, floccos auellunt, & festucas carpunt, atque aridiori febre torquentur, quæ inclinationes mitiores non habent, quemadmodum in alijs febribus videre est. Ad hæc lingua aspera, & interdum audiendo falli videntur, interdum mœsti iacent, vix quicquam respondentes.* Hæc Gal. loco iam citato, horum omnium ferè causa, atque origo est biliosus succus, cum feruens admodum fit, acris, atq; mordax, vnde calefaciendo, & exiccando, & morsu, & acri causa qualitate irritando pro partiũ diuersitate multa, atque varia symptomata suscitat. Calore enim delirium, linguas tremulas, aspectum ferocem, audacem responsionem, garrulitatem, phantasmatum varietatem, vigilias, exilire, & clamores inducit; ipsius enim est exagitare, mouere, & omnes actiones practicas suscitare, ab eius siccitate vnà cum calore *Oculos squallidos, linguas asperas, & densas, febrem aridam, pulsus duros, neruosos, celeres, & crebros, & interim obtremiscentes, & interim præcisos cum conuulsione quadam esse prouenit.* His adde & insomnia conspicua, quæ ob siccitatem talia euadunt teste Galen. omnes hos effectus à calore, & à siccitate ortum trahere quis ignorabit? ab eius acrimonia lachrimæ prouocãtur, & sanguis è naribus erumpit, à quo calido humore vapores fumidi eleuantur, qui ad oculos delati, sunt in causa, vt floccos auellant, & festucas carpant, multa aliorum ob potentiarum cognoscentium, vel principum deprauatum motum eueniunt, veluti est dolorem non sentire, etiam si aliqua pars atroci dolore excrucietur, his enim teste Hip. mentem laborare necesse est, obliuio petitæ matulæ, cibi, & potus, vel alterius actionis, & denique respirationis, quæ, vt suppleat ob defectum, euadit magna, atque rara, horum omnium causam retulit diuinus Galen. in oblæsam mentem, quæ cum sit alijs curis detenta, & in multis occupata, obliuiscitur talium actionum, at tandem cogente necessitate explere id aceruatim, in quo defecerunt, coguntur ægrotantes, & præsertim si hoc necessarium sit ad vitam, & ideo lib. 1. de difficul. Respirat hæc scripta reliquit. *Verum respirationis vtilitas non expleta, supra hoc quòd graue, & ex propinquo imminens periculum habet, excitat etiam ad actionem, & non sinit torpere, neque ad momentum, recuperat*

Hippo. in Par. 1. & 2 & Gal. 5. de l. aff. c. 4.

Causa variorũ simptomatũ.

4. De caus. pul.

1. Pror. Com. 1. 5.

Cap. 12.

perat

perat anima statim id totum, quo per cessationis tempus fuit priuata, atque ita non rarus solùm, sed magnus spiritus efficitur, & tantò sanè quàm conuenit maior, quanto fit rarior, atque hæc ratio demonstrat mente motorum respirationem in raritatem, & magnitudinem mutari. Inter omnia hæc signa decreuit ille, pauca pathognomonica esse. *Propria enim dicuntur, quæ solis contingunt, & perpetuò, vnde certissima sunt illa signa phreniticorum, quæ perpetuò, & solis insunt phreniticis, deinde ab his, quæ perpetuò quidem, sed non solis.* Proprijssima duo credidit esse in eodem lib. 1. Pror. com. 1. Primũ desumitur à facultatis cognoscentis, & ratiocinantis noxa, quæ imprudenter, & deprauatè agat, quod cognoscitur ab illis, quę ab ægrotante proferuntur ore, & operantur: quod respiciens 5. de l. aff. hæc litteris tradidit. *Quo tempore nihil, quod exactè ad prudentiam pertineat, respondent, & floccos auellunt, & festucas carpunt.* Secundum à respirationis specie; Hipp. enim decreuit spiritum magnum, & ex longis interuallis delirium significare, vocat autem narrante Gal. in com. spiritum ex longis interuallis rarum, qui hæc. *Nam rarus, & magnus proprium simul, & inseparabile desipientiæ est signum, demonstrauimus etiam in lib. epidemiorum omnes, quibus magna, & rara respiratio fuerit desipuisse, vt in adolescente Melibea, & in Dealci vxore, dummodo cum delirio alia non fuerit coniuncta affectio, vt dolor, tali enim in casu mutatur respiratio, atque variatur secundum vehementiam talis passionis.* Ab his itaque euadit notum ad mentem Gal. duo aduenire signa propria, quæ solis phreniticis, & perpetuo conueniunt, deprauatus scilicet motus actionum principum, & respiratio magna, atque rara: attamen videmus quotidie & in mania, & in melancolia illas easdem functiones deprauatè, & inconstanter proprium edere munus: argumento sunt nobis & eorum sermones, atque actiones: & ideo 2. de symp. Caus. affirmauit. *Maniam non differre à phrenitide, nisi febre, & melãcholiam sub eodem genere deprauationis scilicet delirij contineri.* Non erit igitur proprium phreniticis tantùm delirium, illis enim solis non conuenit præterea si causa magnæ, atque raræ respirationis censetur, immo statuitur, tanquàm certissimum quoddam, esse animæ detentio, vel occupatio circa quędam, à qua memoria tantæ actionis quoquemodo deletur, & tandem à necessitate naturæ coacta suppleat efficiendo magnam, & raram respirationem; cur in mania, & in melãcholia hoc non contingit, cum etiam illi firmissimis cogitationibus detineantur, & obliuiscantur & cibi, & potus, & mingendi, & per aluum deijciendi? Alia autem symptomata sunt eis perpetua sed non solis, signa autem illa, quæ ab vrinis, sudore, & alui excrementis desumuntur à phreniticis separata sunt. *Sed ad inspiciẽdum vtrùm perniciosè, an salubriter æger habuerit, conducunt.*

Variæ species à varijs signis cognoscuntur: nam si sanguis fuerit in causa sociam habens aliquam portionem bilis indicabunt. *Illum risus, sanguis è naribus fluens, roseus faciei color, lingua rubeo suffusa colore, quæ postea nigrescit, ad motum tarda, & somnus mediocris.*

Si à retorrida bile; *Ægri calcitrant, pedibus feriunt, mordicus impetunt, increpant illos, qui cubiculum ingrediuntur, tanquàm hostes.* Hæc phrenitis ferina appellatur grauior cæteris, vt 3. de l. aff. At si initium suæ generationis

Figura propria.

1. Pror. Com. 1. in tex. 4.

C. 4.

Gal. li. citato de difficili. R. 5. C. 7.

c. vlt.

In Pror. 1. c. 1. t. 4.

Auic. Gaul.

1. Pror. com. 1. 25.

tionis trahat à melancholia, & à bile; *Aut multum loquuntur, aut omnino*
3. De *tacent: nam multum loqui phreniticorum est, & tacere melãcholicorum pro-*
Mor.vulg. *prium.* Torquebat hoc morbi genus Dealcis vxorem, quæ ab initio perpe-
co.3.c.86. tuò tacita, at vigesimo multum locuta est, sicut etiam mulier Cizici. Quæ
Hecticæ. si in hecticam degeneret; pulsus occurrunt manibus medicorum langui-
di, duri, angusti, & exigui: ægri pauca, vel prorsus non loquantur, figu-
Dolosæ. ram decubitus non permutant, oculis clausis manus leuissimè mouent,
quæ quidem manuum motio his tremula existens multos latet, solis his, qui
diligenter inspiciunt conspicua; sæpiusque qui ita affecti sunt, familiaribus
præbent opinionem, quòd mox sint, si quod fiat silentium, dormituri, cum
quibus si aliquis accedens colloquatur, nec oculos aperiunt, aut paulo post
claudunt, aut immotos obseruant: tumultuosè non exclamant, nec exi-
Com.1. liunt, hæc nos docet Gal. lib. 1. Pror. Multiformia præterea emergunt sym-
33. ptomata ob diuersitatem cerebri partium, si credendum est rationi, atque
Aetio. *Si enim inflammatio partem anteriorem capitis exerceat, imaginatio*
præcipuè vitiatur, si mediam cogitatiua: at si posteriorem partem, omnium
Auic. *obliuiscuntur ita vt aliquid interdum petant, vt matulam, cuius postea non*
recordantur. Si autem rete mirabile obsideat, perit motus voluntarius, om-
nes facultates, & musculi pectoris læduntur, vt Abynzoar. At si sæpti trans-
uersi interuentu excitatur, paraphrenitis dicitur, quæ parum à continuo
C.4. distat delirio: attamen, vt scribitur 5. de loc. aff. *Cognoscitur discrimen ex*
oculorum accidentibus, sanguinis è naribus stillis, & spirationis specie: quip-
pe phreniticis spiratio magna est, & rara; à sæpto transuerso verò inæqualis
modò exigua, & frequens, & modo magna & angustiosa, nullaque acciden-
tia, quæ phrenitidem antecedere solent, apparent, aut perexigua, sed ab initio
intenduntur præcordia, & sæptum transuersum, calor, qui caput tenet, & fa-
ciem, non vehementer æstuosus. Deliria autem, quæ per febrium vigores ac-
cidunt, non propria cerebri affectione, *Mitigato febrium vigore quiescunt,*
Ibid. *dempto solo sæpto transuerso, cuius vitio excitatum delirium parùm à conti-*
nuo distat.

Est sanè acutus morbus, & anceps phrenitis, vt placet Gal. 1. de Morb.
Progn. Com. 3. vulg. ex bilioso enim humore ortum trahit; cerebrum, vna ex nobiliorib.
1. partibus oblæditur, & facultates principes oberrant eorũ domicilio vitia-
to: vnde fit, vt tali morbo oppressi alimenta abhorreant, & medica auxilia
53. spernant. & ideo decretum est ab illo 6. aph. nullam desipientiam tutam
esse, immo exitialem. Temporis spatium, in quo, vt plurimum pereunt,
Com.3. nos docet 3. de Mor. vulg. vbi Hip. ait. *Phreniticus quarta die obijt con-*
75. *tractus.* dicens. *Ego autem intra septimum, & quarto die, & quinto acuta à*
primo die statim correptos phrenitide exanimatos tertio non vidi, sic nec
vigesimum diem attigisse. hic autem non à phrenitide iugulatus, sed à qua-
litate succorum virulentorum. At non video ego Hip. dixisse ægrum il-
lum mortuum fuisse tertio die, vt ait Gal. sed quarto, inquit enim. *Tertio*
die cuncta ingrauescebant, & quarto defunctus est; Et sic scribitur in exem-
plaribus omnibus Græcis, atque Latinis. At ille hæc. *Hic quoque æger sta-*
tim tertio die censendus est obijsse à qualitate succorum virulentorum non à
phrenitide, quæ subsecuta est illum symptomatis vice. Perniciosa est omissa

recor-

recordatione vrinæ excretio: perijt enim omnino functio teste Gal. Maligni quoque tremores superuenientes: exiccatos enim ostendit esse neruos, & virtutem imbecillam. Lethales etiam vrinæ albæ, & perspicuæ, vt 4. aph. vnde fatetur Gal. nullum vidisse delirantem, in quo talis vrina apparuisset, saluatum: arguunt enim bilem vniuersam ad caput solam deferri. Vrinam perpetuò tenuem minxere Apollonius Abderæ, Mulier Cizici, Dealcis vxor, & adolescens Melibeę, qui omnes vltimum spiritum effuderunt, attamen Mulier quædam in Thaso vrinas tenues, & nigras minxit, & salutem recuperauit. Exitiosum ad hæc signum reputatur ab Hip. in Prog. dentium stridor. *At frequentes in phreniticis permutationes conuulsionem indicant: & his stillatio è naribus perniciosa, tum aliàs, tum si quarto cæperit die.* Tentat enim natura expellere morbosam materiam, sed ob imbecillitatem non potest. lethalis est quoque à peripneumonia phrenitis vt 7. aph. In deperditis sunt, qui hectica phrenitide laborant: sicut etiam non paruo discrimine versantur, qui ab illa vexantur à bile, & melancholia initium ducente. exemplo sunt nobis Dealcis vxor, & Mulier Cizici, quæ ad vitæ exitum vocatæ fuerunt.

Hip. 1. Pror. 28. Ibid. 14. & 9. C. 4. ibid. 72. In Pror. 1. com. 1. 12. 12.

At si copiosus sanguis è naribus fluat, bonum. *Hoc euacuationis genere liberata fuit virgo quædam Larissę. sexta enim die ex naribus largiter multum fluxit.* Sicut etiam optimum est signum si sanguis à venis sedis erumpat, aut sudor à natura excitetur, sicut litteris tradidit Auic. *Pręterea si desipientię cum risu hominem inuadant, salubriores sunt;* à benigno enim humore producuntur.

6. Aph. 53.

Sunt consilia medica in debellando hoc genere morbi ad quatuor dirigenda. Materiæ prouentus est è corpore remouendus. Inflammationi est aduersandum. Symptomati oberrantis facultatis occurrendum: & vitale robur custodiendum, atque seruandum. Abducitur, ac remouetur prius reuellentibus, deinde deriuantibus, & tandem à loco læso euacuantibus. Inchoãte igitur morbo materia ad caput impetum faciens est varijs auxilijs medicis reuellenda aluo itaque priùs lenta clysteri; *Vena statim ab initio, si vires validę sunt, & sine noxa missionem sanguinis tolerent, & nihil prohibeat, nec humoris crudi copia nec puerilis ętas, incidenda.* Cui opinioni subscribit Paul. Aet. Alex. Orib. Cælius Aurelianus, & Celsus. Vena secetur in cubito cephalica, vt Auic. & sanguis copiosus extrahatur, vt non tantummodo fiat reuulsio, sed etiam aliqua euacuatio humoris in capite detenti; & totius corporis refrigeratio: copiosam sanguinis eductionem vituperauit Aretæus lib. de Morbis celeribus; facilè enim phreniticis sincopis superuenit, vt ipse obseruauit. & ideo vtilius erit, & tutius ipsam partiri. At si totum corpus sanguine abundet multis Arabes prius saphenam, vel iecoriam, & tandem cephalicam tundunt, vt longè à tentata parte sanguis prius attrahatur, & euacuetur: hunc ordinem obseruauit Actuarius medicus non contemnendus cuius verba. *Cæterum si plenitudo adesse videbitur viresque ægri valent, abluta nimirum infusis aluo, sanguini quod satis est demendum, idque è pedibus potissimùm, quò materia reuellatur. quod si vires è longinquo auxilia sustinere nequeunt venę in cubito, quæ peculiari quadam ratione, erunt incidendæ, vt satis eat sanguinis. at si*

Reuulsio. 4. Lib. Meth. cap. 2.

confertas

confertas euacuationes æger non fert, bis, terque, & sæpius id ipsum tentantes detrahere oportet. quò id quod offendit, simul & onerat, continuis euacuationibus educatur, & viros earum interpolatione reficiantur. Auenzoar post venæ cephalicæ sectionem venam pulsatilem in manu secare suadet. *At si forte fortuna æger repugnet, quod sæpe accidit, negatque porrigere brachium, tentandum est ex recta in fronte vena sanguinis missionem moliri.* Hæc Alex. At hoc auxilium non tentarē ego: corpore enim repleto non paruum imminet periculum, ne attractis ad locum affectum humoribus magis insæuiret morbus, nisi aliqua auxilia reuulsoria præcessissent: talia reputantur cucurbitulæ cute incisa extremis admotæ partibus, aut vena in pede secta, aut hirudines venis sedis affixæ, & alia. vel illa secanda, si morbus iam progressus fuerit. Probat hanc Auic. si vires imbecillæ fuerint, ac languentes. Subtrahitur etiam humor, præcipuè si biliosus ad caput recurrens purgatione, sicuti Mesues nos docet; hoc præstat elec. rosatum Nicolai, vel Mes. vel aliquid aliud quod contineat Scammonium, vt Auic. & Abinzoar. At si lenire aluum tantummodo cupis, hoc agendum cassia, manna ac tamarindis. Ad hæc assiduè venit aluus lenienda clysteribus, quæ ex decocto maluæ, violarum, ol. viol. & cassia parentur. sed interdum etiam nitro addito, vt placet Aretæo. *Sunt etiam pedes, & extremæ manus ligamentis constringendæ, quò humores deorsum reuellantur: hoc præstant cucurbitulæ super extrema affixæ, quę si spatulis admoueantur, præcipuum afferunt auxilium, sicut cum aquæ calidæ effusio fit super pedes.* Hoc Auic. fricentur singulo die extrema, vt Haly. Mes. & Alex. Aliqui à venis sedis hirudinibus sanguinem hauriunt, & nonnulli recentiorum vesicantia extremis partibus admouent. Interim digerenda est, atque maturanda materia, etiamsi talis morbus, vt ita dicam, nullam dat induciam; digeratur syr. violato, è succo boraginis, de oxalide cum stillatitijs endiuię, boraginis, lactucæ, & cucurbitæ: possunt enim hæc æstruosum calorem euincere, materiam biliosam incrassare, & somnum conciliare, quæ omnia etiam assequimur vsu seri caprini, & denique si occasio postulabit purgetur morbidus humor vigoroso medicamento.

Serapio Paul.

Auic. Raf. Paul. & Aet.

Alex. & Paul.

Deriuatio & Euacuatio.

Subductis humoribus, ac toto euacuato corpore, deriuetur obnoxia materia, quæ etiam non rarò ijsdem auxilis euacuatur, ad propinquas partes. hoc præstat vena in fronte secta auxilium ferè ab omnibus scriptoribus celebratum. Modum talem venam incidendi nos docet Alex. dicēs. *Facies hoc, si collum fascia constringas, vt vas attollatur, statim. n vena secta citra impedimentū cum spiritu erumpet. & hac magnam phrenitidem curaui. Quin nec ex auribus, ac naribus, maximè si in occipite onus premit, & ētnùm antea reuulsa vel deriuata infestante materia, offensa remaneat, educere verendū.* Hęc Actuar. vel incidentur venę sub lingua docēte Rasi, aut hirudines circa frontē admoueantur vt Cælius Probat Gal. 13. Meth. cucurbitulæ vsum. sed tempus describit lib. ij. sic. *eadem ratione nec in cerebri, & eius membranarū phlegmonis, cucurbitulis in morbi initio vtemur: verū vbi nec influit adhuc quicquam, & totum corpus prius est euacuatum.* Et ideo Paul. Ægineta non admouet has, *nisi post septimum diem medio spinæ & occipiti cute tamen incisa.* Nonnulli, cum Morbus ita ingrauescit,

C. 21. C. 18. Cornel. Cel. Aet.

scit, vt futurum interitum timeant, temeritate potius ducti, vt narrat Areteus, abradunt caput, & cutem incidenti scalpello varijs in locis ad ossa vsque feriunt. His auxilijs humor etiam in capite detentus abducitur, & euacuatur & cerebrum refrigeratur. & hæc sunt tollendæ materiæ præcepta.

Est inflammationi, quę est morbus & in intemperie, & in magnitudine aucta aduersandum refrigerantibus, atque repellentibus. *Principio igitur oxyrrhodinum admouere capiti oportet, primo tamen abraso, locus sit sutura coronalis.* vt Gal. 13. Meth. *qui narrat non solum impositi medicamenti qualitates, sed etiam substantiam intro transmitti, quod in seipso expertus fuit, cum infunderetur rosaceum frigidum.* Sit acetum, sicut litteris tradidit Alex. quinta pars respectu olei rosacei: *est enim tenuium partium, & non mediocrem vim reprimendi obtinet.* Admo eatur oxyrhodinum actu frigidum, immo puteo detentum docente Auic. nisi tempus anni frigidum prohibeat, aut natura ægrotantis, aut ætas senilis, vel aliqua materiæ miscella: his enim in casibus actu tepidum, cui admiscere debemus aliquid olei camomelini; ne ita vehemẽter ab oxyrrhodino caput refrigeretur, & morbus retardetur, quæ ab alto infundantur, sicut Ras. ad Alm. per plures vices, quod 13. Meth. nos docet Gal. dicens. *Quod si humidum sit, quod applicandum est, si id ex alto effundas, ac veluti fontis ritu illidas, penitus intro ab ictu magis compellitur.* Tale erit id, quod ex succo lactucæ, semperuiuæ, pertulacę, aqua rosacea, & pauco aceto paratur. aliqui lac ab vberibus extractum laudant ad humectandum, & mediocriter refrigerandum sed Repellentium frequentem vsum Haly. vituperat; timet enim ne humor vi medicamenti impulsus interna cerebri infestet: vnde maior fiat phrenitis. Lenito calore, vel, vt vtar Gal. verbis 11. Meth. *Procedente verò tempore, etiam spondilij ac serpilli, (quibus iam non modo partium tenuitas, sed etiam calor inest,) aliquid admiscent: quo scilicet tempore transire ad ea, quæ concoquant, ac digerant, conuenit; sanè & ad eum modum, & castoreo vtimur, cum tamen in alijs phlegmonis minimè vtamur, quamuis in summa sint inclinatione; attamen circa cerebrum phlegmonis iam inclinantibus est vtilissimum; non enim subito his, sed ossibus interuenientibus occurrit.* Laudat Auic. decoctum meliloti, menthæ, ac sisymbrij. Recentiores verò, vt Gentilis, longo vsu, & experientia varia inuenerunt, à quorum admotione mirificum assumebant ægri auxilium, hęc sunt arietis pulmo, medicamentum, quod cecinit Quintus Serenus ita.

Inflam.
1
& 2. Met.
Per locos.
2. Meth.
C. 22.
Ser. Auic.
C. 18.

Conuenit hic calidis pecudum pulmonibus apti,
Tempora languentis medica redimire corona.

Vel catulus lac è mãmis adhuc sugens secundum dorsum incisus, & si intensiorem calorem desideras, gallo vtendum, vel palumbo. quæ omnia dum calore proprio insignita sunt, admouenda, & reiteratis vicibus, vt reliquiæ humoris absumantur.

Nunc ad symptoma me transfero, etiamsi satis mihi sit adapertum secundum Gal. mentem *symptoma, vt symptoma curationis rationem non indicare, nisi ex accidenti aliquando causa, scilicet, locum habens.* de qua re sermonem satis amplum aliàs habebo. Cum igitur delirium sit motus depra-

A Symp.
12. Meth.
C. 1.

prauatus imaginationis, aut cogitatiuæ, & oberrans, oppugnandum venit illi cum his, quæ tali motui aduersantur, & quietem inducant. Horum duo genera mihi occurrunt. Primum genus animam aberrantem mulcet, atque sedat, fit hoc cum his, quæ in illam primò agunt, & postea per accidens in spiritus, & in corpus, & hæc sunt Obiecta. Secundum genus sopitam, & tardam eam reddere possunt, & hæc in corpus primò agunt, &
Lib.3. postea per accidens in animam. Primum cognouit Cornel. Celsus, dicens. *Sæpe illis magis assentiendum est, quam repugnandum paulatimque, & non euidenter ab his, quæ stultè dicuntur, ad meliora mens eorum adducenda; interdum etiã elicienda eius intentio, vt fit in hominibus studiosis litterarum, quibus liber legitur: aduersus autem omnium sic insanientium animos gerere se pro cuiusque natura necessarium. Sint ei amicissimi, qui hæc operantur (qui nunc blande ægrotũ alloquantur, nũc acerbius corripiant vt Paul.) nec fabulæ, nec sermones eorum animum vellicent, cum delectabilia omnia esse oporteat, præcipuè illis, quorum iracunda est insania*, hæc Aret. & ideo omnia illa obiecta, quæ possunt ægrotantis animum exasperare, & spiritum animalem exagitare, vitanda, ac prohibenda, hoc faciunt picturæ quædam, colores disgregantes visum, aeris splendores, atque strepitus, quamobrem omnes Medici in cubiculo obscuro eos collocant; ne ab obiectis oculis occurrentibus & splendore spiritus exagitentur, etiam si sint nonnulli statuentes in lucido detinendos esse, sed vt Celsus, *ponantur qui tenebras horrent in luce, & qui lucem, in tenebris*. Secundum genus, quod
C.21. animæ errabundum motum retardat, & eam consopire potest quatenus in corpus agit cognouit Gal. 13. Meth. dicens. *Quippe sopire oportet Principem facultatem, ac stupefacere cerebrum, scilicet, quod supra modum incaluit refrigerando: iure ergo perfusiones ex decocto papaueris capiti applicabimus. Odorem naribus obyciemus; & frontem & alas narium similibus medicamentis illinemus*. Ad refrigerationem enim cerebri, & incrassationem biliosi succi spiritus animales euadunt ignaui, ac tardi, & consequenter phantasmatum potentijs animæ occursus. Fronti igitur admoueatur empl. ex lactucæ folijs, ac solatri, vng. rosato, & aq. rosacea, quibus opij aliquid addatur, si vires validæ, vt Auic. at si imbecillę, omnino vitabis Alex. imperante; à tali enim medicamento calor omnino languens destruitur. hoc etiã præstant per os desumpta, sicut est seminum papaueris emulsio, vel theriaca recens, vt Gal. ad Pisonem, vel vnciæ duæ syr. è semine papaueris, vel de nenuphare cũ quatuor aquæ Lactucæ, aut solatri; hæc enim somnum conciliare, refrigerare, & acredinem humoris obtũdere possunt, & quietem animi inducere. Opij vsum multi vituperant, vt Alex. nam in lethargum sæpe compellit, & ducit ægrotantem: vnde vtendum maxima cum consideratione, & si necessitas vrgeat.

Vires conseruat optima victus ratio: sit quò ad speciem eius tenuis: nam morbus est acutus: Qualitate frigidus, & humidus; passio enim est ęstuosa, & febrem sociam habens. Quantitate mediocris; nam, vt Celsus, *non est implendus æger, ne insaniat, neque ieiunio itaque vexandus, ne imbecillitate in cardiacam incidat*. Tempus exhibendi alimentum sit in horis tranquillioribus vel febris, vel delirij, vel consuetudo, vel ægri facilitas, & promptitudo

tudo

tudo obseruanda veniunt. conuenit itaque hordei liquidissimus cremor, Alex.
vel ptissana tantò crassior, quanto plus temporis progressurus est mor- Auic.
bus, qui si protrahatur, vberiori vtendum alimento. probat Auic. panem Aret.
aqua gelida intinctum. Ex oleribus malua, lactuca, & cucurbita. *Adiuua-* Paul.
bis etiam, si lactucæ semina, cucumerum medullam, & peponum exhibeas, Alex.
& vbi concoctio apparuerit pisces. hæc Alex. à vino omnino se abstineant, Paul.
caput enim replet, febrem auget, atque furorem. *attamen vinum, quod si-*
tim restinguat, dare phreniticis probat, in quibus multæ vrgent vigiliæ, vi- Aret.
res imbecillæ, febres non vehementes, & quædam concoctio in vrinis appa-
reat: ferocitatem enim ipsorum mutat, & mores ad hilaritatem transfert,
& somnum conciliat, & præcipuè si nulla inflammatio præcordia infestet:
maius enim ex eo commodum, quàm quæ noxa fore putatur, quare metiri
oportet & noxam, quæ ex vino expectatur; & commodum. exhibet Paul. si
vires imbecillæ, Auic. vt conseruentur post septimam attamen arbitror
ego tutiorem esse aquæ vsum, quæ interdum aridis labris admoueatur, vt
sitis, calor, & siccitas auferatur, quæ est interdum spasmi causa. immo si
ardor, vt Aretæo placet, hominem torqueat, sitis, anxietas, aquę cupiditas,
furensque insania, gelida copiosè exhibenda venit, nisi septum transuer-
sum inflammatione tentetur: tutius est enim vti tepida, quàm frigida, si
Alex. præstanda est fides. trahat moram æger in cubiculo, cuius aer sit tem
peratus, frigidus enim stipat ac densat, & calidus caput replet.

Cum autē præcordiorum consensu, & septi transuersi mens in falsa transfertur, vena audacter in cubito secanda, & alijs auxilijs reuellantur irruentes humores docente Aret. at si menses suppressi essent, aut hæmorrhoidum consueta euacuatio, extrahatur sanguis à pede, vel crura scarificentur. medicamenta aluum subducentia omnino vitanda per os desumpta; sed aluus clysteribus quotidie irritanda venit; *interim visceribus lini semen hydrelæo incoctum, aut cum chamæmeli iure blandum, & tepidum obducere: ita enim feruor mitigabitur, viscera distenta laxabuntur, & febres erunt mitiores.* hæc Alex. retractis humoribus, & toto euacuato cucurbitula parti dolenti admoueatur cute tamen incisa, vt humor actu læsionem inferens foras euocetur. hoc auxilium probat Aretæus his uerbis. *Postea cucurbitulę admoueantur ea parte, quam phlegmone excruciat, & cute incisa sanguis extrahatur copiosus secundum virium statum; excessus enim syncopes autor est.* Nutriantur ptissana, uel similis refrigeranti, ac humectanti alimento.

Si hoc tempore urina supprimatur, quod sæpe contingere solet, calentis hidrælei imbre pubem, & uesicam fouere est opus suadente Paulo, auxiliū ab Auic. probatum, qui laudat perpetuò embrocationis usum, & uesicæ compressionem, ne ab urinæ suppressione, uel retentione ob delirium, uel obliuionem, uel sensus torpidum sensum, oblædantur ægrotantes.

De Lethargo. Cap. IX.

SI pituita locū, in quo Princeps anima residet, humectauerit, atq; diluerit & ibi coaceruata tumorem suscitabit, putredine cōtaminata febrem; & memoriam, & rationē abstulerit; ille procreabitur morbus, qui Lethargus

appellatur: hic denominationem ab obliuione, quæ memoriæ est iactura
desumpsit: Græci enim lethen obliuionem vocarunt. Frigidum humorem
30. coaceruari in cerebro ad hoc malum procreandum legitur 3. aph. Ab ipsa
Com. 1. pituita dilui, & humectari 1. Pror. com. 1. A tali materia tumorem gigni
Aph. vlt. habemus 7. aph. quod in codicibus Græcis, & trãslatione veteri inuenitur,
apud Iũt. verba Gal. sunt. *Lethargia est apostema in puppi cerebri ex materia phlegmatica genitum.* Humorem putredine correptum in cerebro esse conten-
C. 21. tum scribitur 13. Meth. & hac ab alijs soporosis affectibus distingui. *In Lethargo, & in omnibus soporosis affectibus memoriam, & rationem peri-*
C. 5. *re narratur.* 3. de l. aff. Apostema fieri in ipsius cerebri substantia, & non in
membranis decreuit Auic. ob earum enim duritiem materiam crassam ingredi non admittunt. quod forte etiam Gal. affirmauit lib. 4. de Caus. Pul.
C. 19. dicens. *Si item hoc teneas ex ipso potiùs cerebro lethargum, phrenitim potiùs ex tenui meninge, & septo transuerso.* Nonnulli etiamsi aphor. iam
adductum peroptimè viderint: affirmant tamen audaci pertinacia ducti
cerebrum non posse tumore phlegmatico infestari. & Gal. verba extorquent, & dilacerant. at si phlegmone laborat, cur non & frigido tumore?
C. 21. præcipuè cum lethargus secundum ideam opponatur phrenitidi, vt 13.
Meth. ab his omnibus talis elicitur descriptio. Est lethargus memoriæ & rationis ablatio ab apostemate frigido oborta socia ignaua febre. Paul. autẽ & Aet. minui illas functiones, sed non aboleri decreuerunt. Humor ille
pituitosus, à quo procreatur hæc noxa, sociam semper habet aliquam portionem sanguinis. Hęc materia sua humiditate, frigiditate, copia, lento-
Signa. re, atque putredine Varia symptomata exsuscitat: frigiditate enim & humiditate omnes principes functiones oblædit: nam frigidi est consopire,
C. 5. & retardare, & ideo legitur 3. de l. aff. *In lethargo, & omnibus soporosis affectibus rationem, & memoriam perire: at imaginationem diminui lib. de*
C. 3. *sym. differ.* Immò omnes sensus hebetantur, & ferè motu priuatum ignauum redditur corpus, & perpetua in somnum propensio tenet infirmum: & muti iacent, vt lib. de Comate c. 3. hæc non tantummodo primis illis qualitatibus producit, sed crassitie sua cęcos meatus cerebri stipans prohibet quoquomodo spiritus animalis iam ægrè mobilis transitum ad munera & sensuum, & motus obeunda: sicuti putredine detentus mitem, ac leuem febrem procreat: & denique ob eius copiam nulla siti detinen-
Cel. tur, sed frequenti, & reflua saliua expuere conantur, vt Paul. *Laxatur præ-*
C. 13. *terea, & intumescit corpus, sicuti* 4. de *Caus. Pul. quod contra stipatur, ac*
Aet. *cogitur catochis, & vrinas turbatas, & iumentorum similes mingunt:* Ob
Auic. ablatam memoriam ore hianti dormiunt, & exporrecti vasis obliuiscuntur, etiamsi ab assistentibus ad mictionem vocentur. Interdum ob humoris influxum inferna mandibula resoluta conspicitur Aetio teste. his respi-
Paul. ratio languida, rara, atque parua, vt Auic. *Pulsus similes peripneumonicis, magnitudine, remissione, & mollitie: sed eo est tardior, rariorque, ac minus inæqualis, intermittens potius, quam intercurrens.* Hæc 4. de Caus. Pul. vbi de lethargicorum pulsu. horum etiam causa est materia frigida, & humida cerebrum infestans. & parui nostra refert, si 3. de l. aff. vel alijs in locis affirmet Gal. lethargum à sola intemperie scilicet à frigiditate fieri: quoniam

niam talibus in libris confundit somnum profundum cum lethargo: immo non pauci narrante Aetio morbosum somnum lethargum appellabant, qui in febrium accessionibus inuadere solet ægrotantes, sicuti etiam 2. aph. affectiones somniculosas lethargicas dixit Gal. 3.

Lethargus alius existit verus, atque exquisitus, & alius nothus, atque falsus: primus à simplici pituita ortum trahit: secundus à miscela & bilis, & pituitæ: præterea, vt iam diximus, à simplici etiam frigiditate suscitatur, qui cum somno profundo confunditur. Adde nonnullas eius differentias desumi à vehementia, vel leuitate symptomatum, quas breuitati studens silentio inuoluo: & denique aliquæ desumuntur à loci læsi diuersitate: nam interdum tenet cerebri substantiam, & interdum inuolucra, etiamsi difficile sit arbitrari vnum sine alio noxam pati, & ipsa ob duritiem tali genere morbi excruciari. ante oculos nobis tamen ponit signa Auic. hanc diuersitatem indicantia: *Nam si membranas exercet, statuit dolores esse vehementiores, & motus expeditiores. at si cerebrum, somnum esse grauiorem motum tardiorem, & oculos ad exitum tendere.* Differ.

Non paruum re vera imminet periculum illis, qui hoc morbo vexantur, ne ad exitum vitæ vocentur; cum inter morbos acutos à Gal. enumeretur 1. de Mor. vulg. & facultates omnes sopitæ langueant, atque otiosæ. existit enim sicuti reliquit scriptum Cælius comparatione phrenitide grauior, non aliter, quàm silentium ab impedita loquutione. statuitur 4. de Caus. pul. periculosiorem esse peripneumonia. qui si ingrauescat vnà cum copioso sudore omnino desperata est salus Auic. authore. Sed periculi magnitudinem ex anhelitus nocumento coniicere opportet, vt legitur 3. de l. aff. Malum præterea, si tremor superueniat, sicut 7. Aph. *At si respiratio ad naturalem statum tendat, & accidentia remittantur, vel apostema secundum aurem erumpat, quod sæpè solet natura hoc in malo tentare. sperandum erit ægrum tandem optata salute frui.* Hæc Auic. Prog. Com. 3. C. 7. vlti.

Cum igitur maximum de vita impendeat discrimen, iniecto prius clysteri *Statim ab initio secanda est vena, commune auxilium & phreniticis, & lethargo, dummodo vires non prohibeant.* Si credendum est Galen. 13. Meth. Auic. Ras. Alex. Paulo, Haly, Aet. & Areteo. quantitas sit pauca suasore Actuario; morbus enim à pituita nascitur: & vena sit Cephalica, & si occasio postulabit, reuellẽdus erit humor hiera diacolocynthidos, vel scãmonio, & castoreo, sicut Auic. & inchoante morbo impulsore Paulo, sufficit iubẽte. Alex. *Vnum scammoniæ scruptulum, aut paulò plus, aut paulò minus pro viriũ ratione duob. castorei scruptulis adijcere.* Hoc pstant & pil. fætidæ vel cochiæ. quotidie ad humores incidendos, attenuandos, & calefaciẽdos exhibere oportet oxymel simplex, aut scylliticum, vel syr. è betonica, vel de stæchade cũ decocto thymi, & origani, qui postea purganti medicamento euacuandi erunt, à mediocri tamen exordiendum vt Actu. probat Auic. vomitum penna oleo intincta excitatum, interim aluus acribus, & acutis subducenda clysteribus vt Aret. qui decocto collocynth. centaurij, camomillæ florum, hiera, melle rosaceo, & oleo anethino parentur; vel glandes ex melle, sale, & trochiscis è colocynthide parentur: præterea totùm corpus, & præcipuè extrema oleo veteri, & nitro, vel pipere, & pyretro Cura. Reuul. C. 21. Haly. Paul. Auic. Ras. Haly.

Auic. fricanda,& inungenda veniunt, vt Paul. vt humorum scaturigo retraha-
Haly. tur, calor excitetur, & vigiliæ inducantur, immo narrat crura, & fæmora
exulcerata prodesse. hoc præstant & medicamenta ex cantharidibus con-
fecta, ꝓbata ab Aretæo, vel spatulis, si deriuare cupis. hoc efficiunt & do-
Auic. lorosi nexus, atque frictiones, vt Alex. ad hæc vrinam cientia, sicut Paul. &
Haly. cucurbitulæ inanes horis matutinis, & vespertinis affixę extremis partibus.
Deriuatio Reuulsis humoribus deriuare oportet obnoxiam materiam ad partes pro-
C.21. pinquas, quod varijs assequimur auxilijs à Galen. in medium allatis 13.
Alex. Meth. his verbis. *Cucurbitulas occipiti affigere debemus; si morb. diuturnus,*
Auic. *sternutamentis vtendum, & palatum acribus, ac valentibus medicamentis*
vngendum. Cucurbitulæ admoueantur impulsore Paulo partim inanes
cum multa flamma: partim cum scarificatione, si necessaria sanguinis eua-
cuatio, vt Auic. euacuat etiam à capitè halitus aceti naribus exceptus; qui
crassos humores scindit, & attenuat, docet hoc Actuar. sic. *Porrò si herbæ*
Gal. loco *tenuium partium, cuiusmodi est satureia, pulegiũ, nepeta, & cætera id genus*
citato. *ferbuerint, earumque halitus naribus excipiatur; humores satis incidere, &*
meatus reserarè existimatur: Attenuatos autem humores à vapore acri
natura stimulata per nares extrudit. prętererea si vsus postulat, in caput dan-
da rubificantia decreuit, vt humor foras attractus à medicamento per ta-
Paul. lem partem deriuetur, fortè didicit hoc à Gal. qui sinapi vsum probat loco
iam citato, si vitium diu perduret, cum quo caput illinatur: *Vel perfrice-*
tur, prius tamen detonsis capillis, cum his, quæ exasperare, & vellere possũt
cutem vnà cum castoreo. talia sunt scylla, & sinapi, vt Alex.

Morb. Morbo est oppugnandum prius repellentibus, vt affectus in magnitu-
C.21. dine aucta, & ab humore est pendens, hoc nos docet Galen. 13. Meth.
sic. *Vtendum est oxyrhodino in principio: nam repellendus est à capite quis-*
quis is fuerit; repellentia enim vt cap. 8. non tantummodo quod influit retro-
cedere faciunt, sed etiam illud, quod iam influxit. Sint actu tepida, loco olei
rosacei interdum chamomællino vtendum, à transactis duobus primis die-
bus commendat Auic. castoreum, cuius vsum probat Gal. debito tempore
adhibitum: concoquit enim & inalterat intemperiem, & transmutat in
Paul. contrarium, vnde Alex. hæc reliquit scripta. *Nerui robusti fiunt, totum re-*
Cel. *calefacit, ac fouet, præsertim epotum cum oxymelle, immo affirmat multos*
Orib. *hoc morbo victos solo tali remedio sanasse*.

Symp. Denique cum lethargus ad omnes practicas actiones reddat corpus im-
C.3. becille, atque ignauum vt 3. de sympt. Caus. & memoria, & ratio auferan-
tur, & imaginatio diminuatur, quæ omnia sub quiete, ac immobilitate re-
13. ducuntur: erit mouentibus, & excitantibus vtendũ, secundum Gal. prece-
Meth. ptum, cuius verba. *Quæ cum vigilijs lenire, quæ cum immobilitate excitare*.
C.21. Excitant animum torpidum, & alto sopore detentum omnia obiecta, quæ
excandescentiam, atque iram inducere possunt, & ideo increpandi sunt
ægrotantes, & acerbissimè obiurgandi, & hoc maximè agendum ab illis,
quos odio habent: hoc efficiunt etiam splendores, purpurei colores, & om-
nia quæ visum disgregare possunt, vt Aret. & ideo statuerunt lucido in cu-
Auic. biculo collocandos esse, sicut ei conueniunt illa, quæ sensum tactus excru-
ciare possunt, sicuti capillorum euulsio, nexus dolorosi, & frictiones asperæ

iubente

iubente Paulo, sic & aqua gelida vultui repente iniecta, ita *Quæ olfactui sunt iniucunda, offerenda, veluti capilli adusti, & galbanum carbonibus iniectum suasore Aetio.* Est etiam auditus vociferationibus repentinis exagitandus,& super linguam aliquid amari,& iniucundi imponendum: hæc enim omnia possunt animum ægrotantis exasperare,& in astantes insæuire,& ex consequenti opem afferre facultates omnes excitãdo,& ideo Paul. iubet extrema diù cædenda esse, & crura pungenda. Hæc existunt & quæ in animam, & postea in corpus, & quæ in corpus, & postea in animam agunt. Cæl.

Hos parciori cibo,& victu ad moderatè calidum, siccumque declinante nutries,vt Actuar. nam morbus est acutus,& materia morbosa frigida, atque humida existit,probat Paul. *Ptissanæ cremorem vel alicæ cum oxymelle, vel salibus, aut pulegio, quotidie, nunc vno die interposito.* Quos cum cibaueris iubente Auic. comprime eorum extrema aliquibus horis, vt vaporem impetus ad superiora impediatur, iubet Aet. nutriendos esse *Cibo tenui, incisorio, & exiccanti, vt perdicibus, palumbis, & auiculis.* At his non est vtendum,nisi vires imbecillæ, vel iam declinante morbo; tunc enim instaurantibus refocillandæ veniunt suasore Auic. Multi vinum probant, cum tempestiuo cibo datum, inter hos est Alex. cum morbus concoqui incæperit: sit,vt Aet. aquosum, tenue, album, & subastringens, ego tamen, cum caput repleat, humores exagitet, & febrem augere possit, nisi cocto omnino humore, illud omnino prohiberem. Alex. Auic.

De Insania seu Mania. Cap. X.

EST Insania, (quam Græci teste Hip. 7. aph. maniam vocant) *Ferox, & effrænę sine febre delirium à causa stimulante, ac mordente cerebrum sed maximè eius inuolucra obortum.* Symptoma hoc tale esse litteris prodidit Galen 6. aph. appellans hanc noxam audacem, ac temerariam mentis alienationem, quam 1. Pror. com. 1. ferocem dixit. Inuadere ægros sine febre legitur 2. de symp. Caus. etiamsi lib. 3. de l. aff. scribat deliramenta ferina modò adinueniri sine febre,& modò cum febre. Attamen statuendum venit illam à mania non dependere. Ortum trahere à stimulante causa, & morsum inferente habemus 6. aph. 2. sic. *Maniæ causa semper flaua bilis, aut melancholicus humor, cum supramodum combustus: ad sui enim generationem humore stimulante, ac mordente opus habet, & ideo nunquam à pituita conflatur.* Et 1. Pror. com. 1. hæc. *Propter atræ bilis malignitatem vehementes fiunt insaniæ, cum illa temperatura sit calida, tenui substantia, & qualitate mordenti.* Interdum quoque à sanguine bilioso, vt 5. aph. at non solùm ab humore mordaci insania suscitatur, sed nonnunquã etiam ab excedẽti calore, quatenus vel vellicat, mordet, ac pungit, quas omnes noxas inferre statuit Galen. 1. aph. dum de calore febrili verba facit, & ideo 3. de l. aff. decreuit. c. 5. *Maniam interim mordaces sequi succos, interim à calidiori cerebri temperatura gigni.* Dicamus igitur causam immediatam insaniæ esse morsum, & vellicationem humorum, à qua ita excruciantur ægrotantes, vt furore, & excandescentia quadam correpti temeraria agant,

Marginal notes: 5. Aret. — 53. — C. 7. — C. 5. — 56. — 21. — Com. 10. — 40. — 14.

&

& omnino rationi incōsona; non negamus tamen *calorem delirium excitare*, & materiæ tenuitatem coadiuuare,ac fouere : ille enim exagitat spiritum animalem, & humoris tenuitas totam partis læsæ substantiam subit, & permeat, & eius acrimonia morsum affert repentinum, atq; violentum admodum ægrum exagitantem, & præcipitem facientem, quæ respiciens Auic.hunc affectum agitationem, saltum, motionem,ac mutationem virtutum moralium ad ferinos insultus nuncupauit. Causæ huius passionis remotiores sunt vigiliæ,capitis morbi æstuosi,inediæ,superfluæ euacuationes, exercitium, & curæ, his adde excretiones aliquas retentas, aut lac in mammis,sicut scribitur 5.aph.sic. *Quibus in mammis sanguis colligitur, furorem significat, quod nunquàm affirmat Gal. se vidisse*. Mouentur vt plurimum vere,sicuti 3.aph. tali enim tempore omnes humores commouentur narrante Gal.& Autumno,vt aph.23. vel Aestate,& flante vento Septentrionali sicut Auic.

40. In com. 20.

Est symptoma imaginationis,nec non & discursiuæ facultatis, in genere deprauatæ functionis, non distinguit enim bonum à malo, & amicum ab inimico : Reducitur ad morbum in intemperie, quæ vt plurimum sociam materiam habet. Locus affectus est cerebrum,& præcipuè membranæ,cū hæ exquisito sensu sint insignitæ,putauit Auic.materiam,à qua mania producitur,contineri in parte anteriori cerebri, & eius substantia, at hoc aut nullum sensum, aut admodum imperfectum atque obtusum tenet.

Species.

Non rarò caput huius mali est in causa ; & interdum aliqua alia pars huius existit origo, sicut narratur 17. de Vsu part. præterea multiformis euadit aut ob maiorem,& minorem adustionem, aut diuersorum humorum complexum, à quorum permistione oboriuntur illæ duæ species ab Auic.in medium allatæ, Lupina videlicet, atque canina,quæ nomina talia sibi vsurpant pro diuersitate operationum.

Sig.

Qui tali noxa laborant, ferarum modo redduntur effrænes, vt etiā eos, qui imprudenter ipsis occurrant, manu violenter tractent, vt Paul.perpetuò omni leui de causa excandescunt, & ad immanes actiones impelluntur sine aliquo imminentis periculi timore, caliditas enim vnà cum siccitate homines audaces reddit, & ipsos exagitat vt Abynz. *at si humor magis aduratur, calcitrant, pedibus feriunt, mordicus impetunt, & excandescunt eos, qui ingrediuntur, tanquam hostes existimantes*. Hanc desipientiam ferinam appellauit Gal. vel ecstatim com.14. cuius verba. *Melancholicam ecstasim, idest mentis motionem aberrationemque intelligere oportet vehementem, & ferinam*. si humori bilioso adusto socius erit melancolicus succus, ægrotantes nunc audaces,nunc mæsti conspiciuntur.

1 Pror. com.1.

Caninam insaniam indicant, si credendum Auic. iræ impetus blanditijs admistus, obsequium astantibus, & societas quædam, & omnia illa, quæ mores demonstrant canibus attinentes: quapropter sentiendum venit acrimoniam retorridæ bilis ab aliqua sanguinis portione hebetari, atque obtundi. At si lupina insania homines exerceat, hi emaciati, mæsti, cogitabundi videntur, & nocturno tempore luporum more in homines, & non rarò in cætera animalia insæuiunt.

Prog.

Graue eſt hoc ſymptoma, cum ferè propriam naturam hominis in ferinam tranſmutet: immo interdum teſte Abynz. in metum aquæ miſeros ægrotantes inducit, quæ noxa canibus delirantibus rabidis, ſcilicet, contingere ſolet, ægrè, ac difficilè hæc paſſio curatur, reſpuunt enim vt plurimum mania detenti medica auxilia; adde parentes, agnatos, & amicos eorum congreſſus fugere, atque abhorrere timentes ne aliquid mali ab ipſis inferatur. Si autem Difficultas inteſtinorum, aut hidrops, aut ecſtaſis ſuperueniat, bonum referente Hip. 7. aph. ab alui enim fluore dyſſenterico humorum bilioſas prouentus retrahitur, atque euacuatur ab Hidrope, vt placet Auic. caliditas, & ſiccitas præcipuè iecoris remouetur: vel ſtatuendum eſt, vt ſcribitur lib. de loc. in homine ab humore illo iam, inſaniam procreante deffluxo retro ad uertebras, & in carnes hydropem gigni, ecſtaſim ſoluere talem paſſionem contingere poteſt narrante Gal. in com. ſic. *propter vehementem cauſarum maniam efficientium motionem: quemadmodum in morbis acutis vehementiſſima ſymptomata bonas interdum criſes efficere ſolent.* Fit præterea inſaniæ ſolutio, ſi varices, vel hæmorrhoides ſuperuenerint, ſicuti 6. aph. 21.

So.

Hæc quanquam intermittat, non eſt fidendum; *talis enim intermiſſio non eſt ſincera, niſi diligenti medela, aut anni clementia curetur; nonnullos enim qui penitus ſoluti morbo videbantur, veris tempus, aut error in victu, aut ira caſu aliquo proritata in furorem reuocauit.* hæc Aret.

Si corpus humoribus fuerit repletum, vena ſecetur, vt Haly. Auic. & Paul. vena ſit cephalica iubente Serap. Si poſt phrenitidem excitetur, vel in talo, vt Aret. tundatur, ſi retentæ fuerint menſtruæ purgationes, vel hæmorrhoidum excretio. ſemper enim docente Aetio ad ſuppreſſas euacuationes conſuetas dirigenda eſt medica manus; qui tempore veris gratia præſeruationis venam ſecandam eſſe ſtatuit. Item per antidotum picram vtilis eſt poſt ſanguinis emiſſionem purgatio; ſin autem delirantes purgantium medicamentorum potionem renuant, *Interim, vt facilius fallat ipſos, cibis, nempe buccellis, vel ficubus pinguibus, vel palmulis, interdum potionibus adijcienda ſunt.* hæc Paul. Quantitas picrę ſuaſore Aet. ſit quatuor drachmarum ex mulſa, qui etiam veratrum album probat ac Alex. *ante picrę vſum ſuadet ægros victu humectante nutriendos eſſe, qui ſolum picram non exhibet, ſed etiam ſcammonium, ſint picræ verò ſcrupuli ſex, ſcammonij ſiliquæ octo: cæterum ſi tali dato medicamento corpus non abundè ſatis vacuatum eſſe deprehendas, poſt paucos dies, & victum humectantem rurſus adhibitum balneo vtitor, & quiete, ægrumque iterum purgato aucto paulo magis medicamenti pondere: ſic enim optimè feceris: qui enim calidioribus antidotis, aut purgationibus in tali melancholia vſi ſunt, præſertim hiera, ægros magis furioſos, atque inſanos reddiderunt, dum ſanguinem ad ſiccius, & acrius conuerterent.* aliqui exhibent epithimi decoctum cum miro balanis, vt Ser. & Auic. qui pil. ex lapide Lazuli cõmendat: vel purgetur ſy. de polipodio, de fumoterrę, rhab. & confect. hamech. ſed ſi caliditas augeatur à pilillis, & medicamentis vehementibus eſt abſtinendum docente Auic. qui reuellendos eſſe humores, & vapores retrahendos frictione, nexu, & clyſteribus decreuit. hoc prȩſtare poſſunt

Modus piore exhib.

possunt & hirudines venis sedis admotæ. Interim tamen humores illi acres, calidi, atque mordaces frigidis, humectantibus & incrassantibus sunt parandi, quæ omnia efficere valet victus ab Alex. institutus: subductis humoribus sanguis à venis sub lingua extrahatur, vt Serap. vel à venis capitis, sicut Rha. & Paul. qui iubet hirudines capiti admouendas esse, aut fonticuli duo excitentur, vnus in capite & alter in collo. & per interualla humor per os detrahatur, & per narisusoria imperante Aet. per optimè purgato corpore, ac capite intemperies calida, atque sicca contrarijs deleatur per os sumpta serum caprillum, & aq. Villensis, uel Virginis: quod respiciens Auic. Ser. Alex. Rhas. & Paul. instituit humectantium, & frigefacientium usum, ut sunt capitis embrocationes & irrorationes papaueris decocto, uel perfundatur caput rosaceo tum vnguine, tum aceto vt Paul. prius tamen iubente Rhasi aqua tepida. At Aet. post aquæ tepidæ irrigationem commendat aquæ frigidæ reiteratæ effusionem. A tepore enim aquæ reserantur cutis meatus: vnde facillimè frigiditas aquæ non calefactę ad intima capitis permeat. *conuenit præterea dulcium balneorum vsus, præcipue si a iecore æstuoso originem furor trahat. Aliam enim partem bilis discutere, aliam humidorum qualitate contemperare, totum verò corpus aqua calida superfundere, caput tepida potiùs, & luteis ouorum abstergere, ac vniuersum corpus hydrelæo, caput autem rosaceo vngere conuenit. Aer sit temperatus & in calidam descendere cogantur; à balneo non statim bibant vinum, sed aquam tepidam, & talis dormituris rursus offeratur.* hęc Alex. balneo autem vtendum esse statuunt Aet. & Rh. iam declinante affectione.

Symp. Est aberranti animi passioni, atque agitationi oppugnandum cum his, quæ animum mulcere possunt, atque lenire: aut spiritum animalem, cum his, quæ somnum conciliant, retardare, atque consopire: tale existit diacodion ab Auic. celebratum, si verò cum his non mitescit insania, agenda veniunt, quæ à Celso proponuntur, quæ extant. *Eos, qui violentius se gerunt, vincire conuenit, ne vel alteri, vel sibi noceant, neque credendum est, si vinctus aliquis dum leuari vinculis cupit, iam se fingat sanum, quamuis prudenter, & miserabiliter loquatur, quoniam is dolus insanientis est, & vbi perperam aliquid dixit, aut fecit, fame, vinculis, plagis coercendus subito*, etiam terreri, & expauescere in hoc morbo prodest, & cogendus est attendere, & ediscere aliquid: sed interest, si ipse sine causa deinde rideat, an mæstus, & demissus sit: nam demens hilaritas terroribus cum dictis melius curatur. Multa verò silentio inuoluo, cum eadem sit melancoliæ, & insaniæ curatio, si credendum Paulo, & Orib. Proprietate quadam huic morbo aduersari uitem albam cēset Orib. & Auic. quam expertus est Rhasis. Victus sit humectans, & frigefaciens, vt Aet. probat Ser. prisanam, lactucam coctam, cucurbitam, attriplicem, oleo amigd. dulcium decoctam, pullos, & carnem hædinam, & ouorum vitellos, & quieti omnino, & somno se tradant. Præter hæc, *in prandio pisces saxatiles comedant, pepones, cucumerum medullam, & maluam, vinum, si vsus postulauerit, chrysarticum, eiusque modicum propinabis*. hęc Alex. à cuius sententia non abhorret Aet. sit aqua admistum; nam humectat, & somnum inducit, vt Auic.

Marginal notes: 3. Cont. (beside "ctis humoribus…"); Paul. (beside "veniunt, quæ à Celso…")

Si ventriculi sympathia erit huius mali origo, venit illi occurrendum: inter omnia, quæ ab Auic. celebrantur, est vomitus, qui affirmat hũc ægrotantes sępe sanare.

De Stolidate, & fatuitate. Cap. XI.

STOliditatem, fatuitatem, Amentiam, Dementiam, atque Ignorantiam sæpe, atque sæpè Medici Scriptores vnum, ac idem esse decreuerunt; quorum aliqua tamen maximè inter se differunt, atque distant, si diligentissim Gal. dictis acquiescere volumus: nam lib. de symp. Differentijs hęc scripta reliquit. *Atque in cogitandi functione Dementia quasi Resolutio quædam (l. ablatio)* Stultitia, siue fatuitas, veluti imperfectus, ac deficiens motus. quæ denotant genere inter se differre Dementiam, Stultitiam, atque fatuitatem; dementia enim sub genere ablatæ functionis continetur, stultitia verò, & fatuitas sub diminuto: præter rationem quoque à nonnullis ignorantiā appellari fatuitatem, aut Dementiam nos docet 2. Pror. com. 2. sic. *Fatuitatem menti inducunt. ea autem est symptoma citra delirium ægros naturalibus fatuis similes reddens. cui pathemati simile quidem est, quanquam non idem, quod vocant ignorantiam. de qua & Thucydides scripsit in his, qui ex peste seruati sunt hoc pacto. Ignorauerunt tum seipsos, tum familiares.* Et ideo ratione obliuionem statuit Gal. symptoma esse non cogitationis, sed memoriæ: etiamsi sæpè cum memoriæ noxa læditur quoque cogitatio; & viceuersa. Est igitur Dementia, si ad mentem Gal. loquamur, cogitatiuæ functionis ablatio, sicuti lib. de sym. diff. à cerebri perfrigeratione dependens, vt 4. de Præsag. ex pulsib. scribitur, & 2. de symp. Caus. quæ frigida dispositio si augeatur narrante ipso 3. de loc. aff. vnà cum ratione memoria deperditur. *Hæc intemperies interdum siccitatem sociam habet, & non rarò humidam, pituitosamque materiam, quæ ventriculum cerebri medium occupat, atque infestat.* Sicuti Auic. scriptum reliquit. quæ materia & sua frigiditate, & humiditate spiritum animalem ignauum, atque pigrum ita reddit, vt actiones animæ melioris, necnon etiam sensus aut aboleantur, aut propriam actionem mancam, & imperfectam edant, quæ conspiciens Aret. pronunciauit Amentiam esse sensus, mentis, rationisque marcorem, & ignauiam à refrigeratione prouenientem: sed potiùs stultitiam, ac fatuitatem dicerem ego ad mentem Gal. esse mentis ignauiam, atque languorem, quàm dementiam, sicuti adapertè lib. de differ. symp. litteris prodidit. hæc enim duo sub diminuta actione cogitationis collocantur, & non sub eius ablatione. etiamsi, nisi animus me fallat, sibi contradicat, nam lib. 2. de symp. Caus. sic. *Aboletur quidem in stultitia, vt vocant, & in obliuione.* & lib. 3. de l. aff. *Si cum memoria ratio quoque deperditur, hæc affectio Stultitia nominatur.* Hæc quidem omnino aduersantur illis placitis, quæ ab ipso scribuntur lib. de differentijs symp. nisi dicamus subterfugientes verum loquendi modum ab ipso propositum, impropriè cum loquutum fuisse.

C. 3. 59. C. 3. C. 7. C. 5. C. 3. C. 7. C. 5. C. 3.

Morbus est hæc noxa in intemperie, læsio principum facultatum co-

gnoſcentium, quæ extant imaginatio, atque cogitatio, in genere functionis ablatæ, aut diminutæ.

Signa. Facilè ab omnibus cognoſcuntur dementia detenti; nam non ſolum ab eorum ſermonibus, ſed etiam ab eorum operationibus noti euadunt. etiamſi ſicut narrat Alex. interdum hi cum torpore, ac ſegnitie multa maneant, vt ipſi loqui nolit ſtultorum modo, quos Græci vocant Moros.

Si frigida, ac ſicca intemperies hunc affectum proritat nulla exiſtente materia, iubet Auic. cerebrum eſſe calefaciendum, atque humectandum. Qui, ſi à materia ortum trahat, imperat euacuandam eſſe medicamentis vigoroſis, & vomitu; prius tamen parandos eſſe humores obnoxios ego exiſtimo, & poſtea educendos, & auxilijs illis medicis, quibus obliuio curatur, reuellendos, deriuandos, atque à parte morbida abducendos eſſe. quibus omnibus peractis, cerebrum, atque cor ſuaſore Auic. roboranda

Rha. veniunt, talia ſunt diamuſchum, Mitridatum, & lætificans: quæ intemperiem frigidam, ac humidam tranſmutare poſſunt, & calorem vnà cum ſpiritu ſopitum ſuſcitare.

Dieta. Repletionem vitent, cibis nutriantur tenue præſtantibus alimentum, exiccans, necnon etiam excalefaciens: lucido commorentur cubiculo, & vigilent maiorem partem diei. hæc Auic.

De Melancholia. Cap. XII.

Prog. MElancholicus affectus non tãtummodo grauis à me iudicatur, atque cenſetur: quoniam natura ſit diuturnus, atque chronicus, vt teſtatur Hip. lib. de Natura Hum. cum à materia pendeat viſcida, ac firmiſſimam

Gal. ſedem habente, quæ ægrè è corpore propellitur; Nec quia cerebrum animæ melioris domicilium ſit hoc in morbo ob læſum: Non quia periculum non leue immineat futuræ epilepſiæ, ſi enim in corpus repit hic humor Hip. docente, morbus comitialis ſcitatur, vel in furorem degeneret nar-

Actuar. rante Gal. ſi retorridus euadat: Nec quia nonnullis febricula quædam ſuperueniat, qua tabefacti pereunt: Nec quia à vigilijs coctionem intercurbantibus corpus gracile, & omnino excarne reddatur, & color ille ſuauis faciei, ac roſeus pereat, ac euaneſcat, & tandẽ non quia imaginatrix, atq; cogitatiua facultas circa aliqua tãtùm deprauato modo operentur, ita vt interdum tali noxa oppreſſi ea, quæ falsò animo conceperunt, ore promãt, & ad eorum executionem peruenire tentent; Sed quoniam mæſtitia quadam infelices ægrotantes, atque timore, abſque vlla manifeſta cauſa vexantur: vnde non ſolum pallenti aſpectu conſpiciuntur, ſed animo humili, atque demiſſo, & facti naturæ inimici hominum dulces congreſſus fugiunt, & ſolitudines amant, pro firmo ſtatuentes ſatis illis eſſe falſas imaginationes ſocias habere, imò ferè, vt ita dicam, Zelotypia quadam detenti formident, ne ab amicis à talium cogitatione abducantur, qui fruſtrà laborant, quotieſcunq; quærũt aliqua induſtria illas ab eorum animo de-

3. Ethi. lere, quid eſt miſerius, quàm continuò timore angi? qui ſæpe, atque ſæpe eſt in cauſa, vt homo etiamſi ſcientia exornatus, aut dignitate aliqua inſigni decoratus indigna quædam agat, & alijs ſit cachinnationi, & ludibrio;

brio; cum minimè formidanda formidet Arist. teste. 3. Eth. præcipuè cum non pauci, & maximè mulieres ignorata causa omni leui de occasione copiosis profundant lachrymas. hæc passio non solùm si inualescat in iam dicta transit, sed etiam in stoliditatem, atque amentiam, quæ fortè minimè timenda erunt, si hæmorrhoides, aut varices superueniant, sicuti reliquit scriptum Hip. 6. aph. *Non enim euacuationis ratione solùm, sed ipsa etiam humoris euacuandi qualitate eiusmodi affectus hæmorrhoides sanant: hæ enim crassum sanguinem profundere solent humoris melancholici plenū, talem in sanguine vim obtinētis, qualem in vinis fæx habet. hæc Gal. in com.* Si itaque tam molesta instant pericula, omni ingenio laborandum venit, vt eius naturam Causas, signa, atque differentias cognoscamus; his enim cognitis facilè præsidia medica adinueniemus. C. 9. ij. & 4. aph. 9. Diffinitio

Est melancholia principum functionum cognoscentium sine febre deprauata actio, comite timore, & mæstitia ab humore melācholico ortum trahens, à quo nomē is affectus accepit, sicut scribitur 2. Meth. appello ego impulsore tamen Gal. facultates cognoscentes imaginatiuam, atque cogitatiuam. Deprauatas esse reliquit scriptum ille 2. de symp. caus. sic. *Porrò omne delirium est principis facultatis motus, ac phrenitis nominatur si cum febre: mania vero si citra febrem.* & lib. de symp. diff. *Porrò accidit plerumque, vt ambas actiones turbet delirium: vt neque benè procedat imaginatio, neque debita fiat ratiocinatio; interdum vna tantum lædatur.* Imaginationem semper oblędi certissimū; hac enim pollent melancholia detenti: sicuti statuendum venit cogitatiuam plerumque vitiari, & præcipuè cum ægrotantes circa illa ab imaginatione fabricata decernant solerti quadam meditatione, quid agendum veniat, & quo tempore, & quo ordine, & quibus adminiculis, quæ omnia munera existunt cogitatiuæ facultatis: quæ si cognoscat imaginationem deprauatè circa rerum species agere, & non assentiatur illi, statuendum erit minimè læsam esse, quod raro contingit. & ideo Auic. decreuit & iure melācholiam esse mutationem æstimationū, & cogitationum à suo statu naturali. A melancholico humore produci, & non ab atra bile pronunciauit Gal. 7. de symp. Caus. his verbis. *Sola autem melancholica (vt vocant) dementia à frigidiori succo, vt causa euenire solet: mania autem à mordaci,* quod etiam statuit 3. de l. aff. affirmans ab altero bilis succo, qui præassata bile nascitur, ferina deliramenta induci, non dicitur itaque melancholia, nisi cuius euentus est à cholera nigra, & non ab adusta Auic. teste, quod etiam confirmatur lib. 6. aph. a Gal. dum demonstrat à crasso sanguine, qui correspondet fęcibus in vino existentibus, gigni. Hic humor non solùm vt frigidus, & siccus, sed etiam quatenus crassus, ater, atque tenebrosus hoc genus passionis procreat, sed maximè quatenus colore nigro præditus existit, si illi credendum hæc dicenti cap. iam citato. *Sanè quemadmodum externæ tenebræ omnibus ferè hominibus pauores inducunt, nisi admodum audaces, vel edocti fuerint: sic atræ bilis color mentis sedem tenebris similem reddens timorem efficit.* Quæ omnia etiam leguntur 2. de symp. Caus. sic. *Si igitur quidpiam tenebris simile rationali parti animæ circunfundatur, hominem timere semper necesse est, vt pote, qui semper timoris causam in corpore circumferat.* Humor C. 2. C. 7. C. 3. Cap. vlt. C. 7. ij. C. vlt.

igitur melancholicus, vt tenebroſus exiſtit, atque ater, timoris eſt in cauſa: coadiuuant tamen eius frigiditas, & ſiccitas, necnon eius craſſities: nam cum ſpiritus animalis, primum animę nobilioris inſtrumentum, natura fuerit temperatus, multus, tenuis, ac lucidus, erit procul omni dubio & lętitię, & gaudij autor, atque primordium: animum enim à lucis pręſentia gaudio affici, atque lętari quis ignorat? quę oculo duce ad potentias internas defertur: ſicuti etiam ſi cęlum atris inuoluatur nubibus, confeſtim inumeri homines mæſtitia quadam vexati languent: hic autem humor frigiditate ſua, atque ſiccitate à ſpiritu optimam aufert temperaturam, & quantitatem conſequenter opportunam, ſua craſſitie tenuitatem, ac mobilitatem, & colore atro ſplendorem, etiamſi difficile ſit etiam arbitrari cum præſentia materię frigidę, & ſiccæ ſpiritum animalem lucidum ſeruari, quapropter pigrities quędam in actionibus, & męſtitia quędam ſuſcitatur: ignauia, & tarditas à pauco, ac craſſo ſpiritu animali, triſtitia ab eius nigro, ac tenebroſo colore, quę oĩa cognouit Ser. & Auic. nigreſcit autem humor non tantummodo docente Gal. in Pręd. ob aduſtionem, ſed etiam cum ab aliqua cauſa refrigeratur, aut ab alimento gignitur aliquo terreſtri, atque craſſo, quod à natura opportuno tempore ab optimo ſeiungitur, atque ſeparatur, vel in ſanguine manens vltra modum adauctum illum totum atro colore ſuffundit. Non eſt autem arbitrandum Gal. credidiſſe, vt falsò Auer. ſupponit, animam triſtem euadere, & in angore quodam verſari: quoniam talem colorem videat: iam enim multis alijs in locis demonſtrauit illam oculis videre tantùm, & auribus audire: ſed accidere credendum eſt affirmaſſe ob animalis ſpiritus ſplendoris priuationem: quę quidem priuatio eſt quoddam ſimile illis tenebris, quę viſiuæ facultati interdum occurrunt, & ideo dixit. *Si aliquid tenebris ſimile*
Collig.
rationali parti animæ circunfundatur, hominem timere ſemper neceſſe eſt. Auer. autem huius cauſam in colorem humoris non retulit, ſed in eius proprietatem affirmans gaudium ſanguinem afferre non ob eius colorem, ſed naturam. cenſeo autem ego & primis, & ſecundis qualitatibus humores omnes ſuas proprias operationes efficere: nam bilis caliditate, ſiccitate, tenuitate, morſu, & colore tempore ſomni varia ſimulacra producere poteſt, ſpiritu tamen animali vectore, atque inſtrumento, quæ in animo placidè dormientis & iram, & rixam excitare ſolent, ſicuti melancholicus ſuccus timores, & pauores inducit, ab atro igitur colore mæſtitia illa oboritur, & imminentis periculi ſuſpicio ſine aliqua manifeſta cauſa; *Quòd ſi eos interrogaueris, quam ob rem triſtentur, non habent quid reſpondeant, vt* 2. *de ſymp. Cauſ legitur.* Et ideo aberrant, qui ſtatuunt ab obiecto triſti hoc morbi genus produci, cum multi eorum aliqua cogitatione non detineantur: ſed tantummodo ſuſpicione quadam futuri mali indeterminata ad hoc, vel ad illud, niſi aliquod obiectum illis occurrat, cuius præſentia ſuſpicio illa particularis euadat, melius autem eſſet affirmare à tali mæſtitia, atque timore aliquod obiectum ab imaginatione falſum fabricari, ſicuti contingit nonnullis nocturno tempore per ſylueſtria deambulantibus loca, qui vmbras arborum, feras, aut rapaces homines in ipſos impetum facientes cenſent eſſe timore cæco impulſi, quod mirum non exiſtit: timidi enim

omnia, etiam ſi non formidanda, formidant Ariſt. auctore 3. eth. c. 9. Reducitur hic affectus ad morbum in intemperie, etiamſi immediate ad colorem humoris ipſum gignentis. Multi enim ſunt frigidi, & ſicci morbi cerebrum obſidentes, qui timorem non inducunt, patefacit hoc Hipp. in fine li. 6. de Mor. vulg. his verbis. *melancholici magna ex parte comitiali morbo afficiuntur, & econtra: hoc autem accidit, prout vel in hanc, vel in illam partem infirmitas repit: ſi enim in corpus epileptici fiunt: ſi verò in mentem, melancholici redduntur.* Dilucidat hanc ſententiam Gal. 3. de l. aff. *Bilem, cum cerebro, veluti parti inſtrumentali nocet, ad cerebri corpus conuerti ait id quod in obſtructionibus fieri conſtat: cum verò temperamentum mutando, ei, vt ſimilari nocet, ad mentem eam repere dicit.* A cuius verbis concludere oportet melancholiam reduci ad morbum in intemperie, & ideo affirmauit ille 1. lib. de Temp. frigidum, & ſiccum eſſe morbum. Eſt ſymptoma principaliter imaginationis, & interdum cogitationis in genere deprauatæ functionis, vt Gal. decreuit. Humor, qui talis noxæ eſt in cauſa, interdum in venis totius exiſtens cerebrum lædit, nonnunquàm tantummodo in ipſo cerebro contentus inalteratur, & aliquando ab humore ipſo, quatenus vapores ab illo eleuantur, ſicuti in Hipochondriaca diſpoſitione, vel flatulēta euenire ſolet. hæc nos docet Gal. 3. de l. aff. dicens. *Ita & accidit cerebro, vt nonnunquàm vniuerſo in venis ſanguine melancholico affecto ob commune vitium, ipſum quoque lædatur: Nonnunquàm verò reliqui corporis ſanguine prorſus innocuo ſolus is, qui in cerebro contentus eſt alteretur, idque bifariam fit: aut enim aliunde in ipſum deriuatur: aut in ipſomet melancholicus humor genitus eſt, cum videlicet internus calor, aut craſſum vtrumque ſanguinem, aut flauam bilem ſuper aſſauit.* Et paulò infra cum de flatulentę melancholię cauſa, quę à vētriculo malè affecto oritur, hęc, poſtquam Dioclis ſententiam narrauit. *Atque videtur quidem in ipſo ventriculo inflammatio eſſe, ſanguis autem in parte inflammata eſt craſſior, & atrę bili magis conformis, itaque quemadmodum elato ex ventriculo ad oculos fulginoſos vapore ſimilia ſuffuſorum accidentia contingunt: eadem ratione ſublata ad cerebrum ab atra bile euaporatione melācholica eueniunt in mente accidentia.* At non ſemper ſtatuit ab inflammatione in tali parte ſuſcitata melancholiam oboriri, ſed interdum à confluxu melancholici humoris à ſplene ad ventriculum, quod ſcribitur 5. de l. aff. ſic. *Quidam ex illis, qui flatuoſo vocato morbo vexantur, ſplenetici fiunt, quocirca conijciendum eſt ex hoc viſcere vitioſam ſaniem in ventriculum irruere.* Quocirca talis paſſionis flatulentæ geminam eſſe cauſam ſtatuendum venit, & non vnicam tantùm, quæ à multis feruidus calor ventriculi, vel earum partium, quæ iuxta portam exiſtunt, inflammatio eſſe iudicatur, has duas cauſas peroptimè cognouit Rafis peritiſſimus Medicus, vt libro 1. Cont. Auic. dum ſermonem de tali noxa facit loquens ad mentem aliorum refert cauſam in apoſtema, vel obſtructionem venarū meſaraicarum, quod apoſtema non ſemper eſſe calidum dixit. Sed non ſolùm ab his partibus ſtatuit originem trahere, ſed etiam *Vteri interuentu, vt ſi ſemen, aut menſtruæ purgationes retentæ fuerint, ſicuti in viduis, quæ ſi atræ bilis naturam habuerint, mæſtitiam inducunt.* Vt etiam 6. de l. aff. ſic ſi conſueta euacuatio, quæ

C. 7. (margin, beside "Ita & accidit cerebro")
C. 6. (margin, beside "Quidam ex illis")
Ser. (margin, beside "Sed non ſolùm ab his partibus")

per venas sedis erumpere solet, supprimatur, interdum à frigida, & sicca cordis intemperie producitur, si credendum Auic. qui hæc. *Non enim est nouum, & mirum, si cordis complexio primùm corrumpatur, & sequatur eam cerebrum: aut corrumpatur cerebri complexio, & sequatur eam cor, & corrumpatur complexio spiritus in corde, & fiat tristis, & pauidus, & corrumpat quod ex eo penetrat ad cerebrum, & iuuet cerebrum ad se corrumpendũ, & non est mirum, si sit secundum plurimùm principium illius ex corde: licet non confirmetur hæc ægritudo, nisi in cerebro: cum tamen non sit possibile, vt fiat absque cordis communitate.* Materia hunc procreans affectum raro solitaria existit, sed fere semper ei admiscetur aut bilis, aut pituita, aut sanguis, quæ humorum miscela aut in venis residet, aut in cerebri substantia, sicut Abynzoar hęc interdum à iecore malè affecto producitur, aut à genere alimentorum: non raro à splene melancholia non attrahitur. quaprópter sanguini permiscetur: vel si attrahitur, ab ipso ad aliquod membrum expellitur, à quo eleuantur vapores atri caput ferientes. *Aliquando etiam à corde vehementer calido cholera nigra generatur, cuius impressio ab humido cerebro facilè suscipitur.* Interdum referente Abynz. producitur ab aliquo loco alimenti desumpto, sicuti ab aqua, in qua putrida caro, & exiccata fuerit imposita, vt ipse obseruauit, à qua censendum venit aliquid melancholiæ simile fuisse genitum.

Haly. Raſ. Auic.

Signa futuræ melãcholiæ. C. 1.

Hanc passionem iam futuram esse, atque imminentem arguit Taciturnitas teste Galen. 1. de Mor. vulg. com. 3. & aliqua inanis cogitatio, cuius verba. *Nam cum de nobis quidam mane de more ægrum inuiseret, totam ait noctem somnum se non vidisse, dum cogitaret quid sit nam futurum, si lapsus Atlas non ducat amplius sustinendum cœlum: ex cuius verbis intelleximus principium esse quoddam melancholiæ.* Hæc enim relata à Galen. duo arguunt fuisse in imaginatione talis ægrotantis falsum quoddam, & timorem futuri mali incipientem.

Indic.

At si mæsti, timidique maneant, & hominum optatas societates abhorreant, & ad solitudines, quæ omnino existunt omnium voluptatum inopiæ, se cõferant, statuendum venit melancholiam iam confirmatam esse. Duo enim propria esse huius passionis decreuit Hip. symptomata, quæ sunt timor, & mæstitia sine causa manifesta ægrotantes affligentia: omnes enim narrante Gal. 2. de Symp. Cauſ. *præter rationem mæsti sunt: quòd si eos interrogaueris quam ob causam tristentur, non habent, quid respondeant.* sic etiam & timidi, vt legitur 1. de Mor. Vulg. com. 2. sunt enim mæstitiæ timoribus cognatæ & timores mæstitijs, nec mirum. animo enim sunt humili, atque demisso mæstitia confecti, sicut etiam & timidi, qui à causa morbifica existunt tales, tristi, & turbato vultu conspiciuntur.

Com. 76.

Differ. ab humore signa.

Magis autem, & minus ab his excruciantur secundum variam humorum cum melancholia societatem: quoniam si sanguis admistus succo melancholico fuerit, nõ ita mæsti, sed interdum subrident, non est tamen arbitrandum vero gaudio detineri, sed potiùs tristi quadam lætitiæ vmbra; nam impossibile est melãcholicum animo lætanti permanere. Si autem bilis leuis portiuncula quædam ei admisceatur: non ita timidi, sed interdũ audaces euadunt: at si pituita, segnitie, animique ignauia occupantur.

A toto

A toto corpore tale malum dependere arguunt habitus corporis: *molles enim, candidi, & obesi nequaquam habent melancholicum humorem: macri verò nigri, & hirsuti, & quibus latæ sunt venæ, aptissimi sunt, vt in ipsis huiusmodi humor cumuletur: interdum & ruffo colore homines, & post hos flaui, idque maximè quando vigilijs, & multis laboribus, & solicitudine, & tenui victu fuerint educati. præcipuè si hæmorrhois aliqua fuerit restricta, aut alia quæpiam consueta sanguinis euacuatio, aut mulierum menstrua: aut illis cibis fuerit vsus, qui suapte natura melancholicum sanguinē pariunt, qui sunt caprina caro, hircina, bubula, & taurina, sed maximè asinorum: nam & his nonnulli vescuntur: item vulpinæ, caninæque carnes, sed præcipuè ex lepore cibus, sed multo magis ex apris, atque limaces quoque, si frequens sit earum vsus: præterea omnium terrenorum animalium carnes sale conditæ, aquatilium quoque, vt thunni, balenæ, vituli marini, canis, atque cætaceorum omnium. Ex oleribus brassica ferè sola, arborum germina, vbi vel muria, vel oxyhalme condiuntur, præcipuè lentisci, terebinthi, & rubi. Legumina verò omnia, maximè lentes inter melancholicos cibos numerantur, mox panis furfuraceus: Præterea vina crassa, atque nigra, præsertim si quis abundè ipsa ingerens oblata occasione in multo corpus calore contineat: Et vetus denique Caseus, si in corpore fuerit supercalefactus facilè huiusmodi parit humorem. Igitur si quis antequam in morbum inciderit, huiusmodi victus ratione fuerit educatus, maiorem quandam licet facere coniecturam. Si verò boni succi cibis vsus fuerit, considerare oportet exercitationes ipsius, mæstitiam, vigilias, & solicitudines. Sunt etiam nonnulli, qui per febriles morbos, melancolicum humorem contraxerunt; Atque ad efficaciorem notitiam non parum confert annitempus, & regio, & laborantis ætas.* hæc Gal. 3. de l. aff. Tēpus, quo melācholiæ suscitantur, decreuit Hip. 3. aph. esse autumnum, etiamsi aph. 20. in vere fieri statuat. quod euenire potest narrante Galeno, ob humorum omnium tali tempore commotionem. Aetas, quæ noxa hac vexari solet, est à vigesimo anno vsque ad quadragesimum, vt lib. de Natura Hum. præterea inuadit atrabiliarus morbus balbos, caluos, gracili voce præditos, aut fortiter hirsutos, si credendū Hip. lib. 2. de Mor. Vulg. vt plurimum viros infestat, rarò mulieres, at si illas, vehementiori modo teste Auic. qui decreuit secundum actiones nobis manifestas, illos melancholicos phlegmaticos censeri, quorum origo à corde calido, & à cerebro humido dependet.

A toto. 3. d. l. aff. c. 7.

C. 7. 22.

12.

Sect. 5.

Si cerebrum primigenio affectu laboret, omnia illa symptomata, quæ propria sunt tali passioni grauiora videntur: circa ventriculum verò nulla, aut pauca admodum. hi cogitatione vnica vt plurimum detenti oculos in terrā coniiciunt, vel ad sydera tollunt; ad hæc coindicant capitis dolor, capillorum nigrities, & ægritudines, quæ iam caput infestauerunt, tales existunt calidæ dispositiones, aut inflammationes, aut phrenitis, sicuti narrat Gal. libro iam citato, præterea melancholiæ indicium esse linguam incontinentem nobis reliquit scriptum Hip. 7. aph. cuius causam fatetur ignorare Galenus, qui incontinentem linguam nuncupauit aut infirmā, incertam, & titubantem, adeo vt inexplanatam vocem edant, aut immotam, aut omnino solutam. Aet. verò incontinentiam linguæ vocat velocē, atque

3. de l. aff.

40.

In com.

atque promptam eius mobilitatem, quam concitationem à flatu oboriri pronunciauit, quo quidem abundare solent hoc morbo detenti: potest etiam hoc symptoma contingere ob immodicum calorem talem partem exagitantem à retorrida bile excitatum. At Arist. 2. Prob. Aliam causam

Prob. 38. esse dixit his verbis. *Cur melancholici adusti balbutiunt? quoniam prę velocitate imaginandi lingua concepta assequi non possunt; quare præpediuntur in loquendo.*

Cum verò *circa Ventriculum prima inceperint accidentia, ipsisque auctis melancholica sequatur affectio, deinde alui deiectione, & vomitu, & proba*

3. de l. aff. *concoctione, ructibusque leuetur is, qui laborat, Hypochondiacum, flatuo-*

7. *sumque morbum ipsum nominamus.* Huiusmodi morbo laborantes, vt 5.

C. 6. de l. aff. post cruditates dictis accidentibus, tristitia, scilicet męstitia, ac desperatione, multò vehementius, infestantur: admiratur Auer. modum, nec immerito, quo ab ęstuoso calore acidi ructus, & rugitus illi, semper à flatu oborti, concitentur, cum hęc sint effectus imbecilli, ac infirmi caloris: præ-

1. Cont. terea inflammatas illas partes, & venas illas obstructas febrem non susci-

Auer. tare, & ideo ego decernerem cum maximo Experimentatore Rasi; ferè semper flatulentam melancholiam ab humore melancholico à splene ad ventriculum fluente gigni; maiori enim ex parte melancholici splenetici sunt: *Pręcipuè cum nulla siti excrucientur, immo saliua copiosa, atque acida ab ore fluat, ventriculus fluctuet, & interdum appetitus excitetur; ob talis succi presentiam,* Vt scriptum reliquit Auic.

Indicant succum melancholicum admistum esse humori calido sitis, & vomitus biliosus, vt Auic. sicut frigido, & pituitoso nulla sitis, & talis humoris uomitus, qui interdum sua aciditate dentes stupefacit.

Signa, quæ arguunt ab vtero hanc noxam produci, proposuit, ac patefecit his verbis Hip. 2. de Mor. Mul. *Cum mulier caput dolet, & sinciput, ac*

N. 64. *collum, & vertigo prę oculis obuersatur, & timet, & tristis fuerit, & vrinæ nigræ, & similia per vterum prodeunt, & anxietas, & mæror ipsam tenuerit: atra bilis in vtero inest.* Non est autem credendum semper hæc ita grauia symptomata ab utero læso suscitari, sed interdum mitiora, & interdum atrociora pro humoris copia morbosi, ac eius praua qualitate.

Differ. Multæ huius affectus extant Differentiæ, sed præcipuè censentur, quę discursiua facultate, ac imaginatione oblęsa desumuntur, & Hę

C. vlt. sunt uarię, ac multiformes teste Galen. 2. de Symp. Caus. dicenti. *Melancholicæ autem Dementiæ variæ sunt. species prout in ipsis particulatim dolosæ, suspectæque imaginationes apparent.* Sunt autem huius-

C. 7. modi infiniti eorum visa vt 3. de l. aff. *Si quidem alius testam se factum putauit, atque idcirco obuiantibus cedebat, ne collideretur. Alter gallos cantare audiens, vt hi alarum, sic ille brachiorum plausu latera quatiens animantium sonum imitatus est. Fuit item alter timens, ne Atlas, qui mundum sustinere dicitur, granatus sub tanto onere, ipsum à se excuteret, atque ipse cum illo collideretur, ac nos quoque cum ipso periremus: Aliqui mori cupiunt, sed non omnes: etenim hoc ipsum nonnullis melancholiæ caput est; quòd mortem pertimescunt. Quosdam etiam alieno admodum, atque extraneo videbis animo, vt potè qui simul & mortem metuunt, & tamen mortem sibi*

conci-

consciscant. Hæc Galen. sed multas alias species in medium attulit Aet. eorum causas pro viribus vestigans, quas perfectè tamen adinuenire impossibile est, cuius verba. *Quapropter omnium symp. singulas accidentium causas enarrare non possibile: plerumque difficultatem habent, veluti. Cur fugiunt tanquam horrenda, quæ horrenda non sunt, alia verò prosequantur tanquam bona, quæ non sunt bona, & cur alius domesticos timet, alius verò omnes homines. Plurimorum verò symptomatum causas medicum dicere nõ est difficile, veluti, cũ sibi videtur esse vas fictile, propter siccitatem hoc patitur; frigidus enim & siccus est melancholicus humor: similiter etiam, qui cutem suam siccis pellibus similem esse putat. Qui verò putabat se caput non habere, fortassis ob leuitatem hoc passus est, cum flatus ventosus sursum latus caput repleuit: occidunt seipsos, quia à maioribus malis liberari se putant*. Narrat Trallianus se mulierem vidisse, *quæ ea imaginatione vexabatur, vt medium manus suæ digitum constringeret, tanquam in ipso totum gestaret orbem: plorabat autem verita, ne quando digitum suum inflecteret, totus orbis corrueret, & omnia statim interirent.*

Etiamsi singulas omnium falsarum cogitationum, vel opinionum, quibus melancholici detinentur, causas recensere, ac adinuenire perarduum esset, & re vera longum temporis curriculum hoc expostularet: nihilominus quadam rationali coniectura, & vestigatione ductus omnium harum causas ad duas arbitror ego reduci posse; ad corporis videlicet aliquã passionem, à qua falsa illa cogitatio, atque imaginatio sensu aliquo particulari deferente illius speciem ortum ducat: Aut ad illa, quæ imaginationi, aut ratiocinationi occurrere possunt illæso corpore existente. Mouentur hæ geminæ facultates vel ab illis, quę memoria custodiuntur: vel ab illis, quæ actu aliquem sensum mouent. Memoria seruantur non solùm illa, quæ iam vidimus, aut audiuimus, aut alio sensu percepimus nos ipsi, vt reuera erant: sed etiam illa, quæ ab alijs nobis narrata fuere, aut quæ lectione assequuti sumus, aut aliqua pictura, qua sæpe oculi tenentur; sicuti cantibus aures, inanibusque fabellis. Sensum quemlibet obiecta propria mouent actu existentia, à quibus internæ illæ principes potentiæ excitantur, maximè si sint excellentia, vel saltem aliquam iucunditatem afferant, aut timorem incutiant. Præterea non est ignorandum melancholicos ab omni, quod futuri mali suspicionem inducere potest, angi, & affligi; immo etiam ratiocinari quid facere circa tale possit. Nec prætermittendum hos illa timere, & horrere, quæ minimè formidanda veniunt, quod timidorum est proprium Aristotele teste in Ethicis. & ideo minimas corporis passiones, aut animi, maximas, & periculi imminentis plenas iudicare solent: quibus omnibus quam facillimè, & prorsus animum adhibet, & fidem. His itaque iactis, & positis fundamentis ad singularia descendentes initium nostræ orationis desumemus ab illis, quæ ab aliqua corporis noxa, etiamsi leuissima suscitantur.

Si ergo flatus copia, aut vaporum in capite detineatur: confestim se sine capite esse pronunciabunt, aut ancipiti cura versari, ne illud ab aliquo obuiam venienti ob eius tenuitatẽ, & raritatem disrumpatur: si verò copiosus humor, & grauans, galeam plumbeam eius caput occupare.

Si autem suffusione eius oculi laborent, quo quidem in morbo videntur ægrotantes muscas volitantes, & saltantes culices videre, immo & interdum solent eas venari: affirmabunt exclamantes maximo timore correpti se intueri animalia rapacia aerem tenentia, quæ vnguibus impetum in ipsos facere tentant, & fugientes in obscuris locis se occultabunt. quod etiam illis eueniet, si strabismo vexentur, quæ quidem affectio est in causa, vt omnia visibilia geminata conspiciantur: vnde videns exempli gratia mulier proprium virum duos maritos, aut duas filias loco vnius; euestigio statuet videre; aut spiritus immundos aliquos ante oculos illi obuersari; quod etiam permittente omnium rerum Creatore contingere potest.

At si nares graueolentes, fætidique odores infestent, statuent cadauera putredine contaminata tali in loco proiecta iacere, quapropter semper loca noua quaritabunt. sic etiam si nasus in molem attollatur, arbitrabuntur oblongum, at maximum euadisse; & fortè rogabunt obuios, vt ab illis longè distent, ne nasum collidant eorum propinquitate.

Non rarò euenire potest, vt alimenta etiamsi suauia abhorreant, & fugiant ob aliquem succum amarulentum linguam obsidentem, censentes venenum, aut aliud simile ab aliquo illis exhibitum fuisse.

Mirum præterea non est, si musculis dorsi humore repletis arbitrentur montem, aut grauissimum onus super humeros ferre.

Sicut etiam, si sibilo aurium, aut earum tinnitu vexentur, affirment se tonitruum, aut maris bombum, aut gemitum multorum, aut tubarum clangorem audire, exemplo sit nobis Theophilus à Galeno relatus, qui tibicines quosdam arbitrabatur esse in angulo cubiculi, & proinde assiduè clamans iussit eos à cubiculo expelli, quod quidem auris erat offendiculum, vt 1. Pror. com. 1. scribitur.

C. 27. Eodem Pror. loco

Sic etiam contingere potest, vt aliquis horum *Iubeat sustolli aliquod incumbens, tanquam graue admodum, vel calefaciens, vel mordens vel refrigerans sensu tactus oblæso*. Et ideo interdum aliqui affirmant flammis immorari, & consumi: aliqui aqua perfundi gelida dicunt: qui supplici, demissoque vultu rogant astantes, vt illis quamprimum sint auxilio nociua illa auferentes.

At si tumor leuissimus ventrem occupet, hydrope se laborare asserunt, nec posse propter onus deambulare, nec propter auctam molem ingredi fores.

Si ventriculi morsus aliquem excruciet eorum, venenum se desumpsisse statuet, aut viperam nocturno tempore, dum ore hianti iacebat, deglutisse, sed præcipuè hæc pro certis habebit, si ei aliquis erit inimicus, aut si audiuisset viperam iam per os ingressam alicui mortem attulisse.

Ita quoque si stupor occupet illis aut manum, aut pedem, aut aliam quampiam particulam, confestim aut manu, aut pedes priuatos se esse pronũciabunt. Deniq; vt finem imponam omnes corporis passiones parui momenti grauissimas esse decernent; febrem. n. tertianam malignã; pituitosa tussi reiecta, saniosa; tumorem aliquem Cancrum, febriculam hæcticam, & dolores mites sæuissimos, & acerbissimos esse comite tamen semper interitus imminentis timore, & hæc de illis, quæ ab aliqua noxa corporis.

poris originem trahunt, satis. At non tantùm à iam relatis melāncholicum delirium suscitatur: sed etiam ab illis, quæ imaginationi, atque ratiocinationi occurrere possunt, quæ vel memoria seruantur, aut ab aliquo sensu illis offertuntur, aut ab imaginatione de nouo fabricantur. quapropter si aliquis interdū tali genere morbi affectos iā vidit, aut videt pictura delineatum Atlantem Mundum sustinentē, & id pro vero animo concipiat, & circa tale ratiocinetur, confestim dubitabit, quin ille sub tanto onere grauatus mundum à se excutiat, ac nos cum ipso perituros esse. semper enim melancholicus timet de aliquo futuro malo: ita etiam si milij granum videat ab aliqua aui deuoratum, aut formicam, aut vermem, & animo voluat nō solùm hoc, sed etiam incipiat cogitare, si granum milij esset, aut formica, ab aui deuorandum se esse, tunc & gallinas & omnia animalia milium, aut formicam comedentia fugiet. Nec mirum: multi enim immo ferè omnes homines sæpe, atque sæpe etiamsi melancholia non sint detenti imaginantur varia, atque multa, quæ impossibilia sunt illis accidere: attamen aliqui mente fingunt aut esse Duces, aut Reges, aut diuites, aut à mulieribus, aut alijs mirum in modun amatos, aut aliqua re tristi confici, & affligi, aut aliud simile animo concipiunt, circa quod etiamsi fictitium, ore promunt quid agerent, & manibus patefaciunt, scriptisque mandant. sed breui temporis spatio hæc falsa cognoscentes ab animo, vt ita dicam, deliranti deponunt. At si melancholica affectione angantur, animum tenaciter illis adhibent, & falsa pro certis, & veris accipiunt, & circa talia ratiocinantur, & ideo nonnulli horum si audiant aliquem graui morbo laborare, aut carcere esse detentum, aut aliquam pænam scelerū commissorum sufferre, vel sine aliqua causa ab aliquo affligi, hi tali cogitatione detenti arbitrantur quam primum illis se posse excruciari malis, quibus tales vexantur: quinimmo auxilia ab amicis lachrymas effundentes, ac preces petunt. sic etiam si audiunt Nepotem iam dedisse venenum patruo, aut auo, vel agnato, aut filium matri, vel vxorem marito, vel agnatum agnato ob aliquam futuram vtilitatem, aut voluptatem capiendam, vel aliam ob causam, illico abhorret filios, vxorem, & finitimos, & ad amicos confugiunt, vel hilari fronte viris se omnino credunt ignotis. & hæ sunt causæ, à quibus tam variæ cogitationes me quidem iudice in melancholia detentis suscitantur, quæ augentur, atq; fouentur ab internis caussis, vt ab humoribus spiritibus, temperamento, conformatione partium, & ætate, necnon etiam ab externis, vt ab arte, exercitatione, vel longa assuetudine, atque admiratione circa quædam, à quibus faciliùs ad hanc, vel ad illam cogitationem sequendam impelluntur. vt plurimum autem circa illa, quæ animo voluebant, dum sani erant, delirant; aut illis occurrere, aut narrata fuere, quæ etiamsi inania imposibilia, & fabulis similia, attamen illis creduli facti pertinaciter, animum adhibent.

Sunt præterea nonnulli, qui statutis temporibus, veluti per circuitus quosdam hoc morbo corripiuntur: aliæ etiam reperiuntur differentiæ, quarum quædam à diuersitate materiæ, & quædam aliæ à locis affectis varijs desumuntur. Auic.

Si in vniuersi corporis venis melancholicus sanguis contineatur, cubiti

venam seca, præcipueque mediam, quæ communis est, & quæ humeralis no-
Gal. 3. de l.aff. *minatur, & quæ per axillam ad manum fertur, & si sanguis fluens non vi-*
deatur melancholicus, statim supprimendus: si verò talis appareat, vacua
quantum pro laborantis corporis habitu satis esse conieceris.

Si necessitas vrgeat, quocunque tempore hæc molienda: sin minus vere:
Gal. enim tantam narrauit sumere ægrotantes à venæ sectione, si plethori-
ca fuerit dispositio vere ineunte facta, vtilitatem, vt multi seruati sint inco-
47. lumes, qui multos iam annos antea quotannis ægrotabant, vt 6. aph. pro-
bat Aret. extrahendum esse pauca quantitate, & tutius repetere sectionem
non eadem die. Foramen sit amplum, vt sanguis crassior foras faciliùs
erumpat docente Mesue, & Ser. reiterandam esse suadet etiam Auic. si cor-
pus sanguine abundet. Alex. verò, si vires imbecillæ, bis, aut sepiùs auferre
Ras. decreuit. At si à brachio vacuatio fieri non potest, *Tentandum est à popli-*
Haly. *te, & talibus partibus moliri, atque hoc magis in mulieribus faciendum:*
quippe menstruā purgationem prouocat. Quod confirmat Paul. Sicuti etiam
si hæmorrhoidum consuetum effluuium retentum excitandum venit sua-
sore Aret. *Non euacuationis ratione solùm, sed etiam ipsa humoris euacuandi*
qualitate eiusmodi affectus hæmorrhoides sanant. Hæ enim crassum sanguinē
effundere solent humoris melancholici plenum, talem in sanguine vim obti-
ij. *nentis qualem in vinis fex habet* Teste Gal. 6. aph. Vena secta, & reiteratis
vicibus, si occasio postulabit, digeratur humor syr. de fumoterræ, de lupu-
lis, buglossa, pomis Sabor, & de corticibus citri, ac si admodum crassi, quod
vt plurimum contingit, & sedem altam habentes, erunt incidendi, ac at-
tenuandi narrante Aret. hæc præstant oxymel, vel syr. de limonibus, cum
Aceti v-sus. aliqua leui portione syr. è buglosso, etiamsi vt imperat Gal. 1. de simpli-
cium med. fac. ab aceto omnino hoc in malo sit abstinendum, cum frigi-
dum sit, atque siccum; attamen cum lentos, crassosque humores incidere, &
exterminare possit, qui admodum rebelles, ac pertinaces existunt ad eua-
cuationem, illo procul omni dubio vtendum est, quod respiciens ille 1. ad
Glauc. cap. de Quartana, commendat vsum sinapi, atque salsamenti, quæ
exiccandi, vim, & calefaciendi possident, sed præterea incidendi. Probat
aceti vsum Paul. *Præcipuè acerrimi, cum ægri post cænam se tradere volunt*
somno: præstantius tamen, in quo scilla, polium, & tenuis aristolochia com-
maduerint. Quod etiam laudat Auic. si mansit bilis adusta, aut si hæc noxa
ortum ducat à splene. Maturato, ac digesto humore è corpore extrudatur
gal. sirup. mod. confectione Hamech, syr. de polipodio, vel epithimi decocto tantū à Mes.
celebrato, & à Rasi ad Alm. aut senæ infusione, semper tamen est à leuiori-
bus inchoandum, & prius corpus humectandum, ne à medicamento pur-
ganti exiccetur, vt Haly. at si vires imbecillæ per vices purgandi noxij
humores suasore Rasi, & ideo Paul. hæc scripta reliquit. *Itaque purgetur*
per initia epithimo, & aloe: nam vel pauxillum ex his sumptum quotidiè
maximè iuuat, & aluū leniter subducit; Medicamenta enim effrænia, vt
Mes. ac vigorosa attrahunt subtiliores humores, & crassiores in corpore ma-
nent, atque illud exiccant, & ideo illis admiscendum aliquid humectatiui, ac
lenitiui. At si firma sit melancholiæ sedes, ad vigorosa confugere debemus,
acuti ad veratrum, mirum in modum probatum ab omnibus Græcis, Ara

bi-

bibus, atq; Latinis, vnde Gal.6.de Mor.vulg. com.1.hæc. *Veratro quidem* 6.
purgare, si valde antiquus affectus, qui ceu vectibus, vt dicam, extrudendus.
Sed antequam exhibeatur, parare oportet & humores, & corpus, ne con-
uulsione mæsti ægrotantes tententur. Modum nos docet Hipp.lib.4. aph.
ita. *Qui ad veratrum non facilè suprapurgantur, eorum corpora ante potio-* 13.
nem copiosiori alimento, &, quiete præhumectanda. Toto helleboro corpus
mouendum potius, quàm somno tradendum, aut quieti: nam nauigatio indi-
*cat motione turbari corpora, vt aph.*14 *cum verò sistere vis, somnum conci-*
*lia, nec moue, aph.*15. *is periculosus carnes sanas habentibus, conuulsionem*
*inducit, vt aph.*16. Et Gal.6.de Mor.vulg. iam dicto sic. *Dictum est autem*
tenuare de humoribus, illos enim tenuare conuenit; molire de membris soli-
dis; si quidem vtrumque veratrum hausturis percommodum est: vt tutò
purgatio fiat, quapropter nisi humores prætenuati fuerint, & membra, per
quæ fit vomitus, mollia reddita, antequàm exhibeamus veratrũ, tractabi-
lia effecta in suffocationis discrimen ob humorum crassitiem ægrum adduce-
mus: aut neruorum conuulsione in vellicationibus ob membrorum in dila-
tando duritiem, qui purgatur, capietur, aut vasculum quoddam disrumpetur.
exercendus est æger ad vomendum leuibus medicamentis, quibus tentare
debemus, quomodo vomitiones ferat: si enim non facilè purgari videatur,
non oportet eiusmodi hominem ad helleborum adigere ante legitimam præpa-
rationem & assuetudinem ad vomendum. Quantitas, vt Aret. ait drachma Galen. 4.
vna ex aqua mulsa. aliqui prius infuso, quod radicibus eius paratur, dein- aph.13.
de ipso helleboro vtebantur: recentiores extractum probant, cuius grana
vi. aut septem exhibent cum cremore ptisanæ, aut sero caprino, alij pilulas
è fumoterræ cum tribus granis antimoni. Alex. Lapidem Armeniacum
ad sydera extollit dicens. *Noui ex veteribus antiquiores ad veratrum albũ*
properasse, vbi affectum ab alijs purgationibus nihil penè imminui conspice-
rent, verum ego lapidẽ armeniacum veratro albo præfero, atque licet vten-
tem ipso experientia cognoscere, quomodo præterquàm efficaciter etiam sine
molestia, & periculo purget, quorum nihil veratrum album habere nouimus:
si igitur res postulat non modò infra aluum, sed etiam per vomitus purgatio-
nes fieri, lapidem illum exhibere conuenit, sit autem modus ipsius scrupuli
tres, aut quatuor, minusue pro virium simul, & copiæ humoris ratione: si ue-
ri, per infernam aluum ducere cupis, lapidem abluere oportet ad quinquage-
nas vices vsque: vbi enim sic feceris, neque turbationem stomachi, aut
compressionem excitare potest. Qui Alex. ex ipso pilulas parat, cuius descri-
ptio habet picræ vnciæ dimidium, epithimi dimidium, agarici scrupulos
quatuor, lapidis armeniaci quatuor, scãmonij vnciæ dimidium, cariophil-
los numero viginti, contusa excipiantur rhodomelle, dentur scrupuli duo,
plurimum quatuor. Potius verò purgandi sunt melancholici per inferio-
ra, quàm per superiora: talis enim humor propter insitam grauitatẽ deor-
sum tendit, vt narrat Galenus in com.9. aph. quo scribit Hipp. *Melancho-*
licos infra vehementer purgabis, & hoc agendum non solùm vere, sed etiam
autumno, ex purgatione enim hęc duo commoda eueniunt, vnum, quod expur
gentur superuacanea: alterum quod excretorum acrimonia reserantur hę-
morrhoides. Hoc Galen.6. aph. Exhibeantur hæc per interualla, vt interim 47.
vires.

vires instaurentur, & corpus humectantibus paretur, & humores attenuantibus.

His absolutis frigidam, & siccam intemperiem calidis, & humentibus remouendam esse arbitror, hoc assequitur alimentis humectantibus, ac tẽperatis, & balneo, cuius vsum, vel ingressum omnes scriptores vnanimes celebrant: hæc duo nobis imperauit Aret. & Ras. imò Alex. decreuit potius victu humido sanari melancolicos, quam medicamẽtis: ò balneis enim inunctionibus, leuibus deambulationibus, ac optimis cibis humectatur corpus, distribuuntur alimenta, & conueniens, ac temperatus gignitur sanguis, qui postea est in causa, vt corpus pĩgue, ac carnosum reddatur, quod mirum in modum exoptandum decreuit Aret. & Ras. à quibus omnibus impeditur etiam noua melancholici humoris generatio. Imperanda est quies, & moderatus somnus: vitent omnia, quæ exiccare possunt, & squallidum reddere corpus, ac imbecille: Vinum album, tenue, ac odoratum bibant, minimè crassum, nec vigorosum, tale sit, quod facilè permeet, distribuat alimenta, vires refocillet, ac spiritus odore ferè sopitos, excitet, ac instauret.

Auic.

At frustra hæc omnia ferè tentantur, si infirmi mæstitia illa sine causa detenti, & cogitatione aliqua inani oppressi non quærant omnibus suis viribus has ab animo infirmo depellere, ac euellere. Hæc duo facilius assequemur, si diligens, ac prudens Medicus mæstitiam tentet lætitia, veluti suo contrario propulsare, hoc præstant omnia illa obiecta, quæ delectationem afferre possunt, vt suaues audire cantus, qui moderata pronunciatione dulciores euadant, vel variorum instrumentorum sonos, quos manus apta promptè à pulsatis neruis eliciat: quærenda præterea est delectatio ex fabulis, & ludis, quibus maximè capi sanus assueuerat, relaxant præterea animum se ad amęna vireta transferre, vel per hortos deambulare varijs non solùm floribus exornatos iucundum spirantibus odorem; sed cum varijs auiculis, quæ gutture tremulo, atque garrulo delicatos, ac molles fundant concentus: quibus in locis non iniucundũ erit etiam choreas ducere, & vt paucis me expediam, dicam cum Actuario illis opem ferre omnia animi oblectamenta, quæcunque aspectum, atque auditum mulcere, & delectare possunt, sed maximè amicorum colloquia, atque conuiuia. At non tantùm his gaudium affertur, animusque relaxatur, quæ tanquam obiecta in animam agunt: At alijs, quæ cum in corpus operentur, spiritum animalem, multum, agilem, ac splẽdidum procreantibus, in causa lætitiæ existunt. talia à Medicis omnibus reputantur confectio Alchermes à Mesue ad hoc malum descripta, Diamuscũ, Diambra, lætificans ad Alm. confectio de Hyacintho, de Margaritis, e toto citro, sumantur confusa cum stillatitio rosarum, vel è floribus citri stomacho ieiuno, horis matutinis. Probantur præterea flores citri sacchoro conditi, buglossi radices, vel boraginis, syr. è succo melissæ, vel de corticibus citri musco paucissimo, aut ambra iniecti, aut santalis, pomorumque dulcium succo. Hæc symptomati, vt symptoma est, non aduersantur, sed potius morbificæ materiæ. quæ tenebrosum, paucum, atque tardum spiritum animalem reddit. Adde hæc omnia cerebrum, atque cor roborare, quæ duo maximè à Medico memoria

tia custodienda veniunt teste Auicen. qui ad hæc duo obtinenda odorata suauia mirum in modum commendat. Nō satis autem est tristi animi affectui oppugnasse, sed operæ precium est falsas illas cogitationes ab ægrotantis animo solerti quadam industria depellere, quam cæteris alijs auxilijs potiorem curationem statuit esse Rasis. Ad hoc assequendum varia mihi occurunt, quæ terno distinguuntur discrimine. Vel enim fingendum est hilari animo, atque vultu nunc procul omni dubio illos adepturos esse, quod iam multo tempore optabant. Vel placidis verbis ab aliquo prudenti, ac venerando viro corrigendi, atque reprehendendi, ita vt pudore quodam detenti erubescant. Vel Cogitatio illa grauiori alia cogitatione abducenda. Primum modum nobis ante oculos ponit Alex. his verbis. *Considerare oportet tunc imaginationis speciem, aut rationem, aut aliud quiddā eorum, quæ subitam motionem efficere, possunt: plurimi enim sic curati sunt quodammodo, vel cum vidissent, audissentque ea, quæ consequi desiderabant, ita ergo Philodotus Medicus quendam, qui sibi caput amputatum esse, quod tyrannus factus fuisset, putabat, casumque deplorabat, curauit imposito capiti ipsius plumbeo pileo, vt grauitatem sentiens caput se recepisse rursus putaret, gauisusque sit plurimum, atque ideo vana illa imaginatione liberatus, & postea iam Mulierem quidam curauit melancholia laborantem hoc pacto, cum putaret serpentem se deuorasse, vomitum medicamento excitauit, atque in id, quod reiectum fuit, paruam bestiam per omnia imaginationi illius, & descripta à vana imaginatione feræ similem imposuit, quare huius quoque affectum, quia ob tristitiam eius, quod putarat, euenit, gaudium nimirum subitò accedens dissoluit.* Secundum præcepit Auic. his verbis. *Et eis sint præsentes, de quibus verecundentur.* Vltimum sumitur à dictis Aretæi, cuius verba. *Fama est ex his, quendam insanabiliter se habentem, cum puellam deperiret, medico amore sanitatem recuperasse.* Nec me iudice hoc mirum: à maiori enim insania, vel cogitatione minorem depelli notissimum est, sicuti ab acerbiori dolore minorem, at quis ignorat insanam illam cupiditatem amicam amplectendi alias omnes excellere?

Si verò solùm Cerebrum huius passionis fuerit origo *infirmus quo ad hanc dispositionem attinet, sanguinis detractione non indiget: quamuis ob aliam quampiam causam mitti possit.* Hæc Gal. 3. de l. aff. putauit Haly. causam illam esse sanguinis copiam: vnde suadet saphenam tundendam esse: prohibet venæ sectionem Auic. si materia sit pauca, in cerebro tantū, & siccitas dominetur, quod probat cum Orib. attamen, vt aliqua fiat reuulsio, non inutile erit venam in cubito secare, & paucam sanguinis quātitatem extrahere, hæc sit caphalica imperante Rasi ad Alm. alia præterea omnia genera reuulsionum, quæ capite de phrenitide narrauimus, conueniunt: humorum prohibito influxu, atque attractu ad superiora vena in fronte incidatur, vt Alex. & Mes. præcipuè si facies sanguinis indicium patefaciet, sicuti Haly. hanc tamen vituperat Auic. vel hirudines naribus, & fronti admoueantur iubente Mes. his enim auxilijs materia illa morbifica à capite educitur, cui postea abraso cucurbitula affigatur, veluti Aret. & Alex. qui decreuit caput esse cruentandum. Erit etiam melancho-

C. 7. Mes.

Alex.

licus.

licus humor pilulis cochijs cum helleboro, & alijs similibus purgandus, prius tamen digeratur, atque maturetur iam supra narratis: attamen à talibus omnino abstinendum, dummodo hæc passio non sit inueterata: quod litteris prodidit Gal. loco iam citato sic. *Interim monendi sunt mihi amici, qui me curantem viderunt, frequentibus balneis, victuque humido, bonique succi, nullo alio adhibito auxilio, huiusmodi me morbum curasse: vbi nondum ob longum temporis tractum, Nocuus Humor multùm euacuationi resisteret, Cum enim Diuturnus iam factus est morbus, fortiora prædictis oportet adhibere remedia*. A cuius verbis manifestum euadit illos irridendos esse, qui iam firmatum hunc tantummodo cassia, & tamarindis, & victus ratione humida curare tentant; vigorosiora enim expostulant auxilia, vt præcepit Galenus.

Interim cerebri intemperies contrarijs debellanda venit. At si hypochondriorum interuentu talis noxa adoriatur hominem, si intemperies, ac dispositio fuerit calida, atque æstuosa, vena basilica secetur, vt Ras. ad Alm. & cucurbitulæ cute incisa admoueantur: loca, quibus affigere debemus, ante oculos nobis ponit Aret. sic. *Iecori, ventriculo, & tergis inter scapulas toto euacuato. Deinde iecur refrigeretur, & caput oleis confortantibus, & humectantibus inungatur, ne recipiat vapores, qui ipsum petere tentant*. Hæc Auic. hepar feruidum refrigerant serum caprillum, oxigala, decoctum boraginis, endiuiæ, lactucæ, buglossi, violarum, & hordei: si maiora desiderantur, aqua Villensis, vel Virginis; Hoc temporis cursu lenire aluum tantummodo opus est Cassia, manna, tamarindorum pulpa, & syrupo violaceo solutiuo: hæc enim placidè, & sine aliqua ad læsas partes attractione humorum superfluitates in primis vijs commorantes educunt, & partibus illis humiditatem quandam imprimunt. Balneis, & victu humido, ac frigido utendum, vt viscera refrigerentur, quibus admoueantur epithemata ex aqua rosacea, santalis, cicorij succo, & pauco aceto rosaceo.

Fræquentissimè etiam contingit, vt à splene talis affectus producatur: quapropter uena saluatella sinistræ manus docente Rasi tundatur: vel hirudines uenis sedis admoueantur. Parentur humores, & postea extrudantur à corpore cum his, quæ iam diximus, & hoc repetitis uicibus: deinde splenẽ rubificãtibus illinire oportet, tale erit sinapi, ut Auic. hæc. n. narrãte Rasi impediunt impetum humorũ ibi existentium, ne ad uentriculum ruant, & ne uapores caput feriant ab ipsis eleuati: nec inutile erit splenis regionem inurere, & cucurbitulas affigere, ut Mes. sicuti etiam celebrantur urinam cientia ab Oribasio, & Paulo. hoc præstare potest sassafrassi decoctum, & scolopendrij; quem si aliqua durities occupabit, emollientibus, atque extenuantibus remouenda erit. Auic.

Cum Ventriculus talis offensæ est principium: omnibus uiribus est incumbendum, vt ille humor, qui in ipso continetur, abducatur, quod uomitu præcipuè assequimur, si incisus, atque attenuatus prius fuerit, auxilium a Rasi probatum: aut aliquo medicamento purgetur, sicuti confectione Hamech, & hieræ speciebus, uel syrupo de polipodio, & nigris mirobalanis. Sed quoniam ob eius crassitiem impossibile existit unica uice

ipsum

ipsum expellere, iterum digerendus, & iterum purgandus erit: potest etiã euacuare humorem inibi residentem Tecutij aqua cum aliqua mellis rosacei solutiui portione, & eodem tempore sua salsedine uentriculum languidum, atque imbecillum roborare. *Postea acria smegmata & dropaces dorso, ac ventriculo imponantur* Suasore Orib. Paulo, & Rasi; qui ventri toti ea imponere iubet. Per os desumptum calfacit, & roborat absinthiũ, & præcipuè ponticum: probat absinthij succum ad fabæ magnitudinem deuoratum Aret. Foris hoc efficiunt stillicidia, vel embrocationes, vel fotus ex decocto absinthii, menthę, lambruscę, & stęcados, vel oleo absinthino, menthino, masticchino, & spicaceo, ac si maiorem cupis vtilitatem afferre ęgrotantibus, fiat gutturnium ex aquis sulphureis in agris Patauinis scatentibus, a stillicidio inungatur ventriculus oleo e nuce miristica, aut balsami, quod ad nos ab Indis defertur: vel illi admoueatur *Emplastrum e semine agni castii, rutæ, & radice lilij confectum:* vel alio simil Cum hæc admoues, *Longo tempore per diem & pasto, & ieiuno adhęrere sines. vbi ademeris aliud quoddam operimentum accõmodato lanã scilicet latiorẽ.* Ita Paul. loco cuius candidi Oloris pellis, aut vulturis edacis superponatur, vel sacculus sericus e rosis rubeis, cariophi. ligno aloes, corticibus citri, melissa, absinthio, mentha, ac cinnamomo simul contusis plenus. his accommodatis auxilijs non tantummodo ventriculus incalescit, sed etiam flatus dissipantur, qui perpetuò suo impetu, & agitatione melancholicos infestant. ideo Orib. iubet medicis vti discutientibus. Dissipant flatulentam materiam per os desumpta semina citri, fœniculi anisi, vel rotulę parentur oleo fæniculi, vel anisorum, & zucchuro: vel oleo e corticibus citri, & cinnamomi stillatitio, hoc præstant aqua ardens, & tabellæ e speciebus trium piperum, aut diacimini, vel theriacæ, & mitrhidatum. Summoperè etiam conueniunt clysteres electuario de baccis lauri, vel'elescoph, vel indo, aliquo decocto parati. hoc etiam efficiunt cucurbitulæ inanes ventri affixę, vt Paul.

Auic.

Paul.
Auic.

Quo ad alimenta, ac cibos attinet, vitent ægri omnia frigida, ac humida flatum gignentia, acerba, & quæ tardè, & ægrè concoquuntur, vinum bibant potius vigorosum, quam secus, vt facilius cibi ab infirmo ventriculo concoquantur, & cocti distribuantur.

Non raro in mulieribus, & præcipuè virginibus, ac viduis vterus huius morbi est in causa: quapropter medicus debet pro varietate eius affectuum curationem instituere non prætermittens illa, quæ cor cerebrum, nec non etiam vterum roborare possint: & similiter illa, quæ tristem animum, & cogitatione inani deuictum exhilarare, & relaxare valeant.

Affert in medium Aretęus aliorum impulsus opinione amuletũ quoddam omni generi melancholiæ contrarium, cuius verba. *Maluæ seminis pondo drachmam vnam exhibere experientia compertum est.* Quod genus auxilij me iudice tentandum venit: cum nullam noxam ægrotantibus inferre possit.

De Ephialte, aut Incubo. Cap. XIII.

ETiamsi Incubus à latinis ab incubando sic dictus Actuario teste, & à Græcis Ephialtes, sit sensus tactus, ac motus offendiculum quoddam, vt eius signa indicant; vnde sub noxis ad tactricem, ac motricem facultatem attinentibus, collocandus esset: attamen, vt medicorum omnium vestigia sequar, inter illas passiones, quæ imaginationem principem functionem oblædunt, enumerandum esse decreui. Est Ephialtes sensus veluti ponderis cuiusdam opprimentis, & suffocantis, & difficilis motus thoracis, & earum partium, quæ respirationi deseruiunt ob impeditum transitum facultatis læsa per accidens imaginatione tempore somni.

Conc.

Cognouit Rhas. rem ponderosam, aggrauantem, & comprimentem, veluti suffocantem tempore somni sentire, & difficilè moueri, quod vera est offensa sensus tactus, sicut nos docet Gal. 1. Pror. com. 27. dum de phre. sic. *Sunt qui iubent sustolli aliquod incumbens, tanquam graue admodum sensus tactus oblæso*. Pronunciauit Auer. oriri ob priuationem facultatis: cuius transitus impeditur ob meatuum clausionem, sicut Auic placet, qui meatus superueniente vigilia subito referantur: vnde censendum venit obstructionem, quæ in tali morbo suscitatur, differre ab illa, quæ fit in comitiali morbo, non solùm loco, sed etiam materiæ quantitate; in illo enim ventriculi cerebri occluduntur, in hoc verò tantummodo neruis illis, qui voci, ac respirationi deseruiunt, impedimentum accidit: præterea & minor materiæ quantitas, & illa subtiliter. & ideo cum ægrotantes expergiscuntur, euestigio hæc noxa aboletur. *Hic vapor vt plurimum à materia crassa eleuatur, quæ sanguinea, aut phlegmatica, aut melancholica existit*: Si Auic. credendum: hæc verò materia à crapulis, & continua stomachi cruditate constituitur, vt Paul. à qua vitiosi, corruptique humores in ventriculo coguntur Actuario docente; reliquit scriptum Auic. quandoque oboriri à frigiditate nocturno tempore capiti occurrente, à qua cerebrum constringitur, & densatur. causa igitur immediata talis affectus est vapor crassus,

Act.

qui ad mentem Haly. Auer. Auic. & Ras. caput ferit, ac replet. sed hoc pace tantorum virorum mihi à ratione alienum esse videtur: nam cum ventriculi cerebri aut vapore, aut aliqua materia clauduntur, non tantummodo Principes facultates abolentur, vel minuuntur, sed etiam sensitrices, ac motiua functio: at in Incubo illæsæ manent excepta imaginatione, quæ per accidens vitiatur: Non auferri motum indicat manuum motio, quibus comprehendere tentant, quem putant impetum in seipsos fecisse, sicut ab Actuar. & Paulo habemus: sensum tactum manere hebetem tamen, & diminutum arguit sensus illius ponderis opprimentis: cuius quidem causa est imbecilla, ac pauca facultas respectu partis, quæ sua mole aggrauat seipsam, & finitimas premit: vnde nõ est mirum, si dum à somno excitantur tali morbo vexati percipientes tale pondus circa pectus in quo residet vita, timore repentino detenti imaginãtur aliquem supra thoracem incumbentem, ac strangulantem. Imaginantur enim vt peroptimè dixit Paul. ab aliquo se inuadi. cum igitur imaginatio non læso propria

pria sede oberret: sed tantummodo ab obiecto illo sensus tactus nocturno tempore occurrente illi, dum somnus corpus incipit occupare, quod etiam illo tempore ægrè mouetur: sanciendum venit imaginationem ex accidenti offensam illam pati.

Est Incubus symptoma sensus tactus, & motus sub diminuta actione contentum, & ad morbum potiùs in via reducitur, quam secus.

Morbum talem hæc præueniunt, vt Orib. suffocatio, vocis suppressio, & grauitas. comitatur, vt Paul. difficilis motus, & torpidus in somno sensus & nonnulli in se grassatos etiam audire, & ab eis venerem exigere putant. quibus non semper vox supprimitur, sed incerta, indiscretaque editur. humores varios, à quibus vapores illi producuntur, demonstrant phantasmatum varietates. Auic.

Hic affectus sua quidem natura narrante Actuario, non admodum prauus est; verum magna quædam mala portendit. nam, vt ait Orib. *Perseuerans, & singulis noctibus incidens morbum aliquem magnum, vt apoplexiam, aut insaniam, aut morbum comitialem nunciat: idque cum capiti causa tribuitur: quæcunque enim comitiales interdiu patiuntur, eadem Ephialticos dormientes infestant.* Hæc ad litteram Paul. qui ab Oribasio omnia desumpsit. Prog. Leuiora tamen.

Ne igitur insequiens illos prorite morbos, materia, à qua vapores suscitantur, remoueantur sanguinis missione, & si corpus sanguine repletum, prius tūdatur saphena, sicut Ras. ad Alm. qui cucurbitulas tibijs admouere iubet: purgetur corpus, sed prius parētur humores incidentibus, & attenuantibus, cum crassi, ac viscidi existant, hoc efficiunt oxymel, syr. de lupulis de fumo terre, & de betonica: deinde expellantur vigorosis medicamentis: Auic. probat pil. e lapide lazuli; hieram magnam, & præcipuè Rufi. Paul. hieram diacolocyntidos, sed maximè nigri veratri denarium, cui scammonij oboli tres sint adiecti, & nonnulla ex odoratis anisum, daucum, & petroselinum: à Rasi ad Alm. probantur maximè pil. fætidæ. qui lib. 1. Cont. narrat Alex. hoc genere auxilij maximam attulisse vtilitatem ægrotantibus. Quod habet diagridij drag. iiij. ellebori drag. ʒ. euphorbij, nitri an. drag. ʒ. bdellij, aloes epat. an. drag. 1. pulpæ coloquintidæ drag. iiij. dosis adolescentibus sit aureus vnus: post cuius assumptionem iubet partem læsam fricari, ita vt sudor prouocetur. Interim non sunt omittenda omnia genera reuulsionum. His absolutis exhibenda veniunt, quæ materiā à capite abducunt. hæc sunt & mansa, & naribus infusa, commendantur lib. ad Alm. sternutamenta mouentia. deinde exibenda, quæ excalefacere possunt, ac roborare, à Rasi ad sydera extollitur piretri cochleare vnum cum mellis æquali portione, assumatur per curriculum vndecim dierum, auxilium expertum, & minimè spernendum: hoc & excellentiùs præstare possunt & theriaca, & mithridatum. probantur ab Auic. peonię grana: quorum quantitatem describit Orib. dicens. *Adiuuat etiam eos pæoniæ semen: eius autem grana quindecim nigra trita ex aqua continuè potui dentur.* Victus sit tenuis nec inflationes pariat, vt Paul. Tempore nocturno, quo is morbus solet inuadere ægrotantes, sit aliquis vigilans, assistens, qui excitet ipsum, & frictionibus, nexu, & vociferationibus, & cum his, quæ A materia. Paul. Auic. Orib. Ras. C. 6. Lib. cont. Paul.

vim habeant vapores crassos, & flatulentos expellere, & præcipuè, si vt
aliqui arbitrantur, à vapore crasso à crudis eleuato cibis pulmonem re-
pleat, à cuius repletione cor premitur, & motu suo naturali quoquomodo
impediatur, vnde anxius euadit infirmus imminentem strangulationem
timens.

De Vertigine, & Scotomia. *Cap. XIV.*

MVlti non solum recentiorum Medicorum, sed etiam vetustiorum pro
certo, ac firmo habuerunt Vertiginem deprauatæ imaginationis
symptoma esse vitiata arce, in qua ipsa refulget, & residet, at ni fallor, lon-
gè isti à veritate recedunt, si Hippocratis, Galenique dictis aliqua venit
præstanda fides: visiuam enim facultatem, & oculos oblædi decreuerunt,
à quorum noxa per accidens imaginatio etiã vitiatur obiecti visibilis re-
17. præsentati causa. Oculos pati hunc affectum lib.3.aph. ab Hip. habemus
dicente. *Austrinæ tempestates auditum hebetant, & vertiginem Oculis
adferunt:* Quo in loco aliquam mentionem de cerebro, vel imaginatione
17. non facit & Gal.4.aph. hæc, *Scotodinos, idest, vertigo fit, cum simul quæ*
4.aph.17. *Cernuntur circumagi videntur, & derepentè sensus, qui visu fit, euanescit,
putantibus qui id mali patiuntur sibi offusas esse tenebras.* Dilucidiora exo-
Com.42. ptantur? quæ & com.4. de victus rat. firmantur, & 3. de l. aff. *Affectus au-*
C.8. *tem qui scotomaticus, idest vertiginosus vocatur, ex ipsa appellatione, qua-
lis sit, manifestatur: quippe à parua occasione hebetantur (*scilicet, *obtene-*
Scilicet oculi. *brantur.)* Est igitur Vertigo videndi actus deprauatus ob motum circu-
larem spiritus animalis obiecta visibilia deferentis vitiata per accidens
D.ffi. imaginatione. In gyrum vertitur spiritus animalis ad vaporum non solũ
motum, sed etiã humorum in cerebro contentorum, sicut nos docet Gal.
com.4. de victus rat. dicens. *Fit vertigo ob inordinatam spiritus flatuosi
42. motionem.* & lib.3. aph. *Fit moto humore in capite cum crasso spiritu.* & 3.
17. aph.31. hæc. *Vertigines verò spiritus cum multo vapore in ipso cerebro con-
tenti inordinata, & turbata motio sæpè excitat,* vt in trãs. Leoniceni, at in
C.8. illa Plantij Cenomani, sic. *Fit, dum crassus spiritus humore permistus mo-
uetur in cerebro.* & 3. de locis affect. posita quadam couenientia inter ver-
tiginem quæ suscitatur à motu, dum aliquis se vertit in gyrum hæc. *Atqui
vbi quis crebrò vertitur, inæqualem, & turbulentum, & inordinatum mo-
tum tum humorum, tum spiritus in eo fieri in confesso est, rationi igitur con-
sonum est huiusmodi accidentia vertigine affectis itidem euenire.* A motu
igitur in orbem vaporum, necnon etiam humorum spiritus animales mo-
uentur, qui tali modo exagitati vertiginem inducunt, quod omnes Ara-
bes, Græci, atque Latini cognouerunt; sed diligentissimè modum, quo fit,
ante oculos nobis posuit Auic. his verbis. *Cum ergo mouentur vapores illi
mouent suo motu spiritum animalem, à quo omnes pendent operationes sen-
sitiuæ, in quo remanet forma cuiuscunque sensati, si validè imprimatur illo
iam absente; interdum etiam oboritur spiritus motus agitabilis ab inæquali
intemperie nullo concurrente corporeo motore ipsum exagitante: sicut etiam
interdum fit à motore extrinsecus adueniente, sicuti à cranei fractura: ab*

osse

esse enim comprimitur cerebrum; vnde spiritus quiescens diuersis circularibus, ac vndosis motibus exagitatur, sicut in aqua videre licet, si aliquod corpus in ipsam cadat. Ab his patet causam immediatam perpetuò esse spiritus animalis circumuolutionem, quæ tamen ferè semper à vaporibus originem trahit: ab illa autem inæquali intemperie vapor producitur, sicuti litteris tradidit Gal. 3. de l. aff. sic. *Atque fieri etiam potest, vt inæqualis cerebri intemperies huiusmodi spiritum producat.* Quapropter non est affirmandum, vt multi somniant, ab illa immediate sine vaporis interuentu produci, sicuti etiam non affirmarem ego à motu solius humoris gigni: nam tam veloci motu per substantiam cerebri ipsum moueri mente concipi non potest, etiamsi Paul. ab humoribus commotis, aut spiritu suscitari hanc passionem affirmet, & ideo Actuarius lib. 1. Meth. hæc pronunciauit tanto viro digna. *Huius mali causa sunt vapores, vel humores, qui Exhalantes anteriores cerebri ventriculos petant, & spiritum interturbāt, & concutiunt.* Qui præterea à calore commouente, aut ab aspectu, & intuitu rerum in circum commotarum, vel à circulari motu ipsius patientis exagitantur, vt Paul. Isti vapores aut in ipso capite localem habent generationem, vel sursum ex infernis feruntur partibus, vt Com. 4. de Vict. rat. *Sæpius verò in ventriculo vitiosis superfluitatibus aceruatis ad cerebrū fertur vaporosa exhalatio.* Sicuti 3. aph. sed hi non tantummodo à ventriculo elati caput feriunt, *Sed etiam à cisti fellis, vesica, vtero, & velamine.* Auic. narrante. Qui quidem vapores vt plurimum per arterias deferuntur, si credendum Gal. cuius verba 3. de l. aff. dum de arteriarum sectione sermonem habet. *Quamobrem nonnulli horum ab arteriarum sectione præsidium petierunt, arterias ponè aures secantes. Sed constat non omnes huius auxilij benificio fuisse curatos: etenim aliæ arteriæ ijs maiores ad cerebrum ex ipsius basi per retiformem plexum ascendunt: per quas huiusmodi affectionem fieri rationi consentaneum est, elato per ipsas vaporoso, calidoque spiritu, atque implente cerebrum.* Aliquando etiam per ipsos neruos, vt Auic. placet, qui hæc. *Et quandoque fit ascensus eorum ad ipsum, aut in transitibus neruorum.* Haly. autem in venis circumuolui humores decreuit, aut f atum crassum, qui dissolui non potest. Locum, in quem circumuaga. t ir, statuit Act. & Paul. anteriores ventriculos cerebri. Nos ab ipso cerebro ad oculos deferri arbitramur, qui à tunicis humores ambientibus detenti retrocedere tentant; sed quoniam exitum non habent, in orbem vertuntur; qui si ad aures feruntur, tinnitum, ac sibilum etiam procreant; cognouit Gal. interdum vaporem à cerebro ad oculos transferri 4. de l. aff. dicens. *Cum in cerebro biliosus succus abundat, is afficitur perinde, ac si ad ignem torreretur, oriturque tum fumus, veluti in lucernis ab o'eo, qui per vasa, quæ ad oculos tendunt delapsus visorum in ipsis causa censetur.* Præterea exemplo sit nobis ægritudo illa oculorum, quæ ab Arabib. imaginatio appellatur, & à Græcis initium suffusionis, in qua quidem ob oculos multa obuersantur, & ita interdum decipitur imaginatio ab obiectis visibilibus ab oculo illi oblatis, vt ægrotantes volitantes muscas ab oculo infirmo falso visas venentur, vel alia similia manibus ab oculis tentent auferre, atque delere, quæ cum munera imaginationis existant, Arabes no-

men

C. 8. T. 42. 31. C. 8. C. 2.

men hoc imposuerunt tali passioni Imaginationem: tali modo loquendi
C.4. vsus est etiam Gal. vbi de auditu sic. lib. 1. de Symp. Caus. *Aut vbi sonum aures percipiunt nulla re forinsecus obstrepente, sed ipsa circa membranas motione Phantasma transmittente*. Phantasma enim non singulari sensui attribuitur sed alicui potentiæ internæ, vt imaginationi. Dicamus igitur à vapore, qui ab infernis partibus ad caput, & oculos sit delatus, vel ibi genitus, & in oculis detentus, circulariter vna cum spiritu commoueri & cum idolis rerum, quæ ad imaginationem delata ipsam decipiunt, & deprauant per accidens tamen. Nec obstat si per aliquod temporis spatium breue oculis clausis infirmus vertiginoso affectu conflictetur: nam peroptimè vt reliquit scriptum Auic. manent in spiritu species rerum visibilium per aliquod tempus, cuius verba. *Sicut cum reuoluitur vas aquam continens aliquo tempore, quod etiamsi a motu quiescat, remanet tamen, quod reuolutum est tempore aliquo: sic manet in omni sensato forma rei sensibilis post eius separationem, si sensibile est forte, vel corpus languidum.* Sic etiam irridendos illos arbitror esse, qui statuunt infirmos tempore nocturno lumine absente, & oculis clausis in cubili iacentes vertigine corripi ignorantes hanc solum esse oculorum passionem, vt abundè demonstrauimus; non negarem tamen illos motum quendam vaporum in capite sensu tactus sentire. Capiti semper adscribenda venit hæc passio, etiãsi
C.8. à ventriculo ortum ducat, vt Gal. 7. de l. aff. cum vapores vt plurimum ad caput transferantur, & postea ad oculos.

Est hæc noxa symptoma deprauatæ visionis ac per accidens imaginationis, quæ tandem reducitur ad intemperiem, à qua creantur vapores, aut humores, qui huius mali sunt in causa.

Quod vbi ex primaria capitis affectione dependet, aurium sonus, capitis grauitas, & dolor præcedunt; item Olfactus, atque alterius cuiusque sensus inde prodeuntis oblæsio. Vbi verò ab ore ventriculi oritur, cordis mor-
Paul. sionem, & nauseam præsentiunt, hæc 3. de l. aff. Archigene impulsore. Si-
Haly. gna generis prætermisi; omnes enim sciunt, caput in turbinis modum ocu-
C.8. lis læsis circumuerti.
Auic.

Humorum diuersitatem varia indicant, nam si pituita sit in causa, capitis grauitas, in somnum propensio, & difficilis motus tenent ægrotantes. Si bilis vigiliæ, & imaginationes aureæ. Si sanguis venæ tumidæ, oculi ardentes, & facies rubea. At si melancholia vigiliæ, timor, & imaginatio corrupta exercent infirmum. Detineri humorem, vel vaporem in arterijs denotant earum pulsus, & tensio.

Variantur eius species non solum pro materiæ diuersitate, sed etiam ob vehementiam, & sæuitiem symptomatum. in vna enim specie, quæ Scotomia vocatur, non solùm vertigine ægri exagitantur, sed etiam tenebræ visum inuoluunt, à qua obscuritate vertigo nomen Scotomiæ desumpsit, vt
42. lib. de vict. rat. com. legitur. sic. *Cum caput circumagi videtur, vertigo vocatur affectio, cum autem tenebrosa simul fuerit visio, tenebricosa vertigo appellatur.* De qua vt plurimum Gal. sermonem habet, cum vulgari vertigi-
C.8. ne sit grauior: nam vt lib. 3. de l. aff. interdum cadunt, quàm Scotodiniam dixit 3. aph. 17.

Est vertigo teste Gal.aph. iam dicto,proxima epilepsiæ, aut Apoplexiæ affectio : vnde hæc interdum illas præcedit, est aliquando initium melancholiæ,aut furoris,vt Aret.quæ grauior,si cephaleæ succedat,aut ex vetusta ægritudine oriatur : Aliquando futuram crisim nunciat,vt Auic.& Gal.

Si à sanguine,aut materia illi admista producatur, vena secetur in cruribus,vt Gal.lib.de sang. Miss.quàm probat Ras.1. cont.si totum sanguine affluat, venam secant Orib. Paul. & Aret. Tundit cephalicam Auicen. & Mes.si pauca sit sanguinis quantitas : at aliqui prius communem tundũt. Reuellunt & venæ sedis reseratæ, vt Mes. præcipuè si suppressæ;hoc præstant omnia genera reuulsionum,& cucurbitulæ tibijs admotæ, vt Ras. & Haly. deinde occipiti Orib. & Paul. & capiti Auic. Mes. verò spatulis, & collo.ego prius tibijs affligerem,deinde spatulis,postea occipiti, & tandem capiti : prius enim tentarem reuulsionem, postea deriuationem, & tãdem euacuationem, quæ agenda veniunt, si caput erit huius mali origo. Sicut etiam maximam vtilitatem sumunt, si ab arterijs ab aliquo diligenti chirurgo sanguis educatur, maximè si à vaporibus per ipsas ad caput elatis suscitetur,vt Paul. At non semper à sectione earum, quæ existunt post aures,fructum accipiunt ægri narrante Gal.lib.3.de l.aff.cuius verba. *Quamobrem nonnulli horum ab arteriarum sectione præsidium petierunt arterias ponè aures ad tantam scilicet altitudinem secantes, vt medius inter duas partes locus cicatrice induceretur. Sed constat non omnes huius auxilij beneficio fuisse curatos, etenim aliquæ arteriæ ijs maiores ad cerebrum ex ipsius basi per retiformem plexum ascendunt : per quas huiusmodi affectionem fieri consentaneum est elato per ipsas vaporoso,calidoq; spiritu cerebrum implente.* Commendat Auic.venæ,quæ est post aurem, cauterizationem in omni vertiginis genere,at Haly.earum amputationem. His actis Orib.caput ipsum ad occipitium scalpello conuulnerandum. Et Aret.radendum esse,& rubificanti medicamento illinendum : vt fortè ampullæ excitarentur : auxilium me quidem iudice in materia frigida tentandum, hoc ex nitro,iunco odorato, sinapi, & cantharidibus parandum; foris enim educit humores, & intemperiem transmutat. Vel aurium Cartilagines scarificandæ veniunt,vt Mes. Denique in occipitio fonticulus excitetur, vt deriuentur humores,& alter in coxa, vt reuellantur,hæc sunt auxilia,quæ à fonte Chirurgico haurientur. Nunc ad pharmaceuticum me transfero,à quo multiformia,atque varia emanant præsidia: aliqua enim materiam indigestam,ac rudem parant : nonnulla paratam e corpore extrudunt : aliqua intemperiem remouent,& robur partibus addunt. Si lentus,& viscidus fuerit humorum prouentus digeratur oxymelle,syr.de hissopo,calamento,stæcade, & melle rosaceo. Si calidus syr.de oxalide, endiuia, boragine, & acetoso. Pituitosus purgetur hiera,vt Paul.Orib.& Auic.vel hiera,agarico,stæcade, & sale indo vt Rhas.probat Mes.pil.cochias. Si calidi, Myrobalanis citrinis,& epithimi decocto,vt Auic.vel electuario ros.& Mes.vel rhab. & diacatholico.Si melãcholicus cõfect.Hamech, syr.de Polipodio,de fumoterræ composito,elleboro,& pil.aggregatiuis interiecto aliquo spatio ad humores reuellendos clysteri acri,ex centaurij, & colocynthidis decocto vtẽdum esse decreuit Orib. postea quæ pituitam per os eliciant,assumere debent,& ster-

Paul. Auic. Raſ. Haly. A vētric. 17. Raſ. Tales.

ſternutamenta mouenda ſuaſore non tantummodo Paulo, ſed Auic. Orib. Raſ. & Haly, Vomitus ab omnibus ſcriptoribus celebratur, ſi ventriculus humoribus repletus fuerit in cauſa, probat Hip. 4. a ph. ſi oris adfuerit amaritudo. Si craſſi humores oxymelle, ſinapi, & pipere excitetur docente Meſ. Intemperies ſuis contrarijs remouenda, ne humores, aut vapores producantur, quod peroptime conſiderauit Auic. dicens. *Cura per contrarium vt temperetur complexio*. Et ideo in frigida probat attuactiones odorum, muſcus, caſtoreum, nigella, & amaracus, embrocationes, ſi caput erit origo, recentiores ſtillicidiū ex aqua Aponenſi. Inalterat, & roborat theriaca tàm probata hoc in morbo à Gal. ad Piſonem. Sed quoniam non ſatis eſt morbidam humorum illuuiem è corpore propulſare; operepretium erit toto pectore, eius nouam generationē prohibere, hoc aſſequimur cum his, quæ à Dieterico fonte deſumuntur. Sint alimenta optimum ſanguinem procreantia; concoctu facilia, & morboſæ intemperiei aduerſantia: omnia fumoſa, vt aromata, & acria vitanda, ideo vinum vigoroſum omnino fugiendum: ſicut etiam laborioſum exercitium, & deambulatio ſub ſole, & venereus amplexus; ab his enim liquantur humores iam exagitati: ſicut ab aſpectu profundarum fouearum, & rerum circumuolutarum ſpiritus commouentur. Hæc ſunt, quæ ab acceſſione præſeruant ægrotantes.

In Acceſ. At cum repentino inſultu inſequit, & inuadit infirmos, inuigilandum eſt, vt humores vnà cum vaporibus retrahantur; Vel vapores incraſſentur; Aut ſi à ventriculo exinanito eleuantur, reprimantur. R*etrahunt humores, & excitant ægros frictiones extremitatum, & ſi cauſa ventriculus, vomitus,* Vt Auic. excitandi præterea docente Orib. his, quæ odorem mouent, & alijs generibus reuulſionum. Incraſſentur vapores, ſi calidi, & vagantes oxyrrhodino ſuaſore Rha. Reprimantur, ſi à ventriculo exinanito buccella panis omphacio, vel granatorum vino infuſa.

De Apoplexia. *Cap.* XV.

APoplexiam Hippocrates interdum ſyderationem, nuncupauit, vt in aph. Non raro ſub nomine aphoniæ, vel alio mutos ſignificante infirmos eſſe eam locauit, ſicuti aph. 51. Mutos enim narrante, Galeno 6. aph. ſolet Hip. non ſolùm eos nominare, *Quibus læditur vox, ſed etiam quibus cum hac noxa principes affectiones, & talem affectum apoplexiam vocant.* Aliquando Paraplegia ab ipſo 1. Pror. & ideo ſtatuit 3. de l. aff. & libro de ſymp. diff. eſſe apoplexiam totius corporis Reſolutionem: Nonnulli etiam Attonitum morbum eam appellauerunt, inter quos eſt Paul. non ſolum ſententia Hip. impulſus, ſed etiam Gal. qui 1. Meth. hæc litteris prodidit. *Si toto corpore aliquis ſit arreptus, vt neque ſentiat, neque moueatur, hunc nos apoplecton, ſiue attonitum dicimus.*

Eſt ſyderatio repentina principum facultatum, nec non etiam ſenſus, & motus latio ob impeditum facultatis animalis trāſitum ſpiratione grauiter oppreſſā. Omnes actiones animales auferri legitur 4. de l. aff. vna cū reſpirationis offenſa ſic. *Si aliquando tota anterior pars cerebri afficitur, ſupremum ipſius ventrem ei conſentire neceſſe eſt, atque cogitandi actionem*

vitia

*vitiari: proinde qui ita affectus est, neque sensus, neque motûs munere fun-
gitur: spirandi tamen facultas haud quaquam læditur, vocatur is affectus
Caros: si verò adeo vehementer spirationem opprimat, vt quis vel magno co
natu vix spirare possit, ita vt stertat; apoplexia vocatur.* A cuius dictis ma-
nifestò notum euadit omnes actiones aboleri vnà cum respirationis no-
xa. Impeditam esse facultatem legitur 2. aph. ita. *omnis apoplexia fit facul- 42.
te animali influere ad partes prohibita.* Vetatur eius influxus, aut cerebro
quo ad eius corpus malè affecto, aut eius oppletis ventriculis; vt capacita-
tes quædam existunt. Cerebrum huius mali erit in causa, si ita erit repletũ,
aut constipatum, vt cæci ductus animalis facultatis distributionem impe-
diant. Ventriculi, si humoribus crassis, ac viscidis repleti. has duas causas
ante oculos nobis ponit Galen. aph. iam citato dicens. *Idque vel propter
quandam affectionem à calida materia, sic enim hoc loco phlegmonodi
diatesin interpretari placuit, in ipso cerebro consistentem, vel eius ventri-
culis pituitoso humore oppletis.* Non prohibetur autem transitus facultatis
ab illa materia, vt calida existit, sed vt cerebrum refarcit, quod euenire ẽt
potest à frigido humore, vt testatur Auic. in ipso cerebro existente: qui ip-
sum constipare potest, Constipationem enim maximam esse inter causas
huius passionis affirmat Gal. lib. 1. de Caus. Mor. sic. *Cæterum maxima con-
stipatio & graues sopores, & veternum, & apoplexiam afferre solet.* hæc C.3.
facillimè suscitari potest ab excellenti frigore, quod denset, & in vnum cere
brum cogat, aut ipsum exprimat, ita vt ventriculos repleat humore iam
expresso: impossibile est enim à frigore externo etiamsi ad modum algen-
te capacitates illas in vnum constringi multo humore fluente. à sola frigi-
ditate vehementi apoplexiam concitari cognouit Auic. Sed ante ipsum
Gal. lib. iam citato. cuius verba. *Sic Natantes in aqua frigida, aut infelici-
ter loti, aut per loca frigida ambulantes periculum subierunt. quippe noui
quosdam, qui priusquam domum reuerterentur, extincti sunt: ob eam verò,
quam secundo loco diximus causam, nonnulli apoplexia, aut morbo comitia-
li laborauerunt, aut sensus, & motionis incommodum subierunt.* Cerebrum
igitur aut specie quadã phlegmonis laborans, quæ à sanguine ortum tra-
hit, quod fortè respiciens lib. de sang. mis. Gal. decreuit à sanguine hunc
morbum fieri sic. *Nam apoplexiæ fiunt multo nimirum sanguine in princi-
pium animantis confertim incumbente*: aut pituitoso succo repletum, aut
frigore constipatum; vel alio simili, est huius origo. Humores verò ventri- C.7.
culos replentes, vt plurimum pituitosi existunt, sicut legitur 2. de sympt. 31.
caus. sic ob pituitæ multitudinem, & 3. de l. aff. pręcipuè autem in senibus:
in ætate enim illa caput repletur pituitosis excrementis teste Gale. 3. aph.
quo legitur: senibus Apoplexia aliquando etiam à Melancholico succo or- 57.
tam trahit, sicut 6. aph. quo habet Hip. *Apoplexiæ fiunt à 40. anno ad 60.*
in hac enim ætate dixit Gal. atram bilem abundare. Ab vtroque igitur hu
more, & pituitoso, & melancholico, quatenus crassitie quadam, & lento- 56.
re isti sunt insigniti, apoplexia producitur, quod reliquit scriptum 6. a- 23.
phor. vt plurimum tamen à pituita, quæ præcipue, & gignitur, & augetur
hyemali tempore, vt 3. aph. quo. *Hyeme Apoplexiæ*: sicut etiam ab inglu-
uie, venereo amplexu immoderato, & alijs multis pituitosa illuuies pro-

creari potest, quæ abbreuitati studens omittam.

At non tantummodo arbitratus est Auic. gigni talem affectum ob læsionem cerebri, & eius ventriculorum, sed etiam ob obstructionem venarum, & arteriarum ad cerebrum peruenientium: cuius verba. *Aut est repletio in meatibus spiritus ex cerebro, aut in meatibus spiritus ad cerebrum, hæc autem est, cum oppilantur arteriæ, & venæ, & spiritus transitum non habent.* Hanc opinionem sequutus & Auer. affirmans in prima prohiberi influxum spiritus à cerebro ad alias partes; in secunda verò eius transitum à corde ad cerebrum quorum sententiã præuidens fortè Gal. destruit

C.6. lib. 2. de Decret. Hip. & Plat. demonstrans arterijs illis, ac venis omnino occlusis animam mutũ non euadere, neq; sopitum, dicens. *Si verò arteriæ, vel interceptę laqueis, vel eo, quo dixi modo abscissæ fuerint, animal neq; mutũ neq; sopitũ euadet: sed tantùm efficeretur, vt omnes, quæ supra vulneratam partem fuerint, arteriæ penitus pulsu priuentur. At si nerui, aut colliduntur, aut laqueis, aut digitis cõprimuntur, animal statim mutũ efficitur.*

C.3. Attamen, nisi animus me fallit, Gal. sibi contradicit: nã lib. de caus. Morb. 1. hæc. *Cæterum maxima Constipatio apoplexiam afferre potest. Atque hoc est, quod Hip. ait si derepentè quis obmutuerit, venarum interpretationes corpori molestiam inferunt? quandoquidem arteriæ quoque in animante intercipiuntur, id est adeo implentur sanguine, vt nullum in ipsis supersit vacuum spatium, in quod inter dilatandum externum aerẽ illicere queant, atque ob id intimus calor tùm præfocatur, extinguiturq; & eorũ qui sic afficiuntur corpora, subitò mouendi, sentiendique viribus priuantur.* Forte aliquis dicet non apoplexiam suscitari, sed potius animi deliquium: sed longè discedet ab Hip. & Galen. dictis, qui statuunt illam à tali clausione oboriri: sed non ob prohibitum aditum spiritus vitalis ad cerebrum hoc contingere asserit Galenus, sed ob aeris, quo cor refrigeratur, priuationem.

Est is affectus morbus non in intemperie, sed in via, sicut ille nos docet

C.7. 3. de loc. aff. ita. *Apoplexiæ autem, quòd subitò eueniat, aut frigidum, aut crassum, aut viscidum quidpiam, quod principes cerebri ventriculos affatim implet, non totius substãtiæ intemperiem, causam esse manifestum est.* Proin-

C.7. de, vt 2. de symp. Caus. *Huius morbi tùm generatio; tùm solutio subitaria: quod per intemperiem corporis haud fieri potest.* Decreuit Auic. vt plurimum esse ventriculos posteriores obstructos: sed si verba Gal. perpendamus lib. 4. de l. aff. c. 2. & ventriculos, & cerebrum ipsum noxa affici, affirmabimus, & magis cerebrum, quàm ventriculos: & hæc sunt. *In caros & epilepsia ventriculi magis, & cerebri corpus minus, in apoplexia corpus magis.* à cuius verbis apertè patet & cerebri corpus, & ventriculos affici. Est symptoma in genere functionum omnium animalium ablatum. Pręcedunt hoc malum teste Paulo, & Auic. *Capitis turbatio, acutus dolor, &*

Signa futuræ. *venarum circa guttur extantium thoruli prominentes, tenebræ oculis offusę: itemque splendores ijsdem oborti, algores extremarum partium, totius corporis palpitatio stridores dentium inter dormiendum, & vrina veluti ęruginosa, & quod in ea subsidet, farinę speciem refert.*

Præsentis At cum hominem inuadit, confestim Mens, & corpus obstupet, quod

omni

omni motu priuatum,& sensu eneruatum iacet,ac stertit:quæ si concomi-
tentur facies rubea,& oculi,& venarum colli tumor,ac tensio,statuendum
erit à sanguine originem ducere : sicut si plumbeus color, oculi concreti, Auic.
lacrymę frigidæ, & excrementa à naribus erumpentia pituitosa, à frigida
materia. Phlegmonem arguunt febris, & alia symptomata ipsam inse-
quentia.

Differentiæ ab eius vehementia, & imbecillitate, à varietate materiæ
non solùm desumuntur, sed etiam à loci læsi diuersitate; censuit enim
Auic.fieri apoplexias per consensum, vel communitatem alicuius partis,
sicut etiam putauit periodicas adinueniri cap. 12. prætermitto illas, quæ
ab ictu, aut percussione narrante Aret. & Auic. fiunt; nam ad cerebrum Cap. 13.
per se læsum reducuntur,etsi à causa externa procreētur: immediata enim Galen. 6.
causa est impedita cerebri facultas, quæ interdum ab aliquo prohibetur aph. 47.
esse ab ictu compresso.

Est morbus Syderatio planè validus,& acutus. infirmi enim in omni-
bus exanimes conspiciuntur viribus absumptis. quæ *si fortis existat, im-
possibile est ipsam soluere, sicuti si debilis non facile*. Teste Hip. 2. aph. co- 42.
gnoscuntur hæ à respirationis offensa. Nam narrante Gal.in com. *Si pro-* Quatuor
hibeatur respiratio, Acutissima, & maxima esse solet apoplexia. Quibus ser- species
uatur, sed cum magna violentia procedit, ea est Fortis, & Vehemens. Vehe- Apopl. à
mens, sed minus ijs, qui neque contentam, neque violentam, inęqualem ta- respiratio
men, inordinatam, & intermittentem habent respirationem. Debilis est cen- ne.
senda, in qua respiratio ordinem seruat. Ab his colligitur quatuor adinue-
niri species apoplexię secundum quatuor iam dictas respirationis indif-
ferentias. Signum fortis apoplexiæ stertere esse decreuit Gal. 6. Aph. at 84.
non maximæ,& acutissimæ. sicuti ibi legitur. *Qui valentes capitis repen-
tè doloribus corripiuntur, & protinus muti fiunt, & stertunt intra septem
dies intereunt, nisi febris interuenerit; non tamen vltra septimum protrahi-
tur morbus; pars enim quę laborat, principalis est, & vehemens est affectus.
Febris autem superueniens & flatuosum spiritum, & humores pituitosos
excalfacit, attenuat, & resoluit*. Hæc in com. ille. perniciosa igitur, & acu-
tissima, in qua respiratio omnino deficit: etiam Auic. narrat. *Nonnullos
seruatos fuisse omnino ablato anhelitu; quorum pulsus integrè non decidit*.
Mirum re vera,cum mori contingit apoplecticos ob id; quod spirare non
possunt: calor enim ventilatione priuatus deficit, & extinguitur Gale-
no docente. attamen non est impossibile per aliquod breue temporis spa-
tium animal in vita seruari respiratione ablata; arteriæ enim per corpus
deriuatæ aerem externum quoquomodo attrahunt, vnde refrigeratur ca-
lor exemplo sunt nobis mulieres vterino strangulatu correptæ, quæ pror-
sus respiratione priuantur,vt reliquit scriptum Gal. lib.de l.aff. Cognosci-
tur ergo periculi magnitudo etiam respirationis noxa; quod consonum est
rationi solum,quia vitam sine respiratione permanere impossibile sit: sed
etiam quoniam ad eius maiorem, vel minorem offensam, vt habemus 3. de
loc.aff. *Paruam, aut magnam in cerebro noxam esse conijcere oportet*. Si C. 10.
enim cerebri leuis fuerit affectus, respiratio etiam naturali statu parum
recedet: facultas enim ad partes respirationi deseruiens copiosa migrabit:

at in eius maxima læsione, aut omnino impeditur, aut ægrè, & imbecillè
ad partes distribuitur. Magis periclitantur, quorum naturæ calidæ, & sic-
cæ existunt, vt Auic. à magna enim causa hoc malum gigni censendum
venit. perniciosè omnino agunt, quibus spuma ab ore exit, vt Rhas. Opti-
mum est signum, si ante septimum febre corripiantur, vt superius impul-
sore Hip. pronunciauimus: attamen omnis apoplexia nequaquam, aut
rarò curatur, vt quæ mortem in propinquo minetur, vt Paul. & ideo Aret.
hæc litteris prodidit. *Si æger senex sit, quibus familiare est hoc vitium, non
liberatur, & morbi magnitudine, & ætatis miseria oppressus. Si ætate sit
florida, & debilis sit apoplexia, non tamen facilè remouetur.* Fortè hęc a
42. Gal. desumpsit, qui debilem apoplexiam 2. aph. decreuit. *Fortasse curari,
si quæ ad eius curationem pertinent ritè administrata fuerint.* Vt plurimum
in paralysim degenerat, sicuti 4. de l. aff. ita scribitur. *Atqui solutæ apople-
C. 2. xiæ creberrimè succedere solet vocata paralisis.* Vel, vt Celso placet, mise-
rum spiritum diutius viuentes trahunt memoria quidem amissa.
Cura. Tentanda igitur quamprimũ Curatio: ęquale sanè adiutorium, vt pote
magno affectui magnũ remediũ missio sanguinis est nisi quis plusquã cō-
ueniat, mittẽdo delinquat: modũ aũt cōiectare difficile est; *Nã si paulo plus
detraxeris, hominem planè strangulasti.* Hæc Aret. quod fortè respiciens
Celsus, hæc scripta reliquit. *Sanguinis detractio, aut occidit, & liberat, at
Rhas. si post eam non redit & motus, & mens, nihil spei superest.* Præcipuè eam
1. cont. probat Auic. si sanguinis adsit copia; si verò phlegmatis pauca sit quanti-
tas, Statim secanda est vena, & si remissionem quandam habuerit, de-
trahere conuenit eadem die, aut sequenti, vt Paul. prius extrahebat Haly
à saphena, deinde à cubito corpore admodum repleto, quo quidem in ca-
C. 7. su vtrasque cephalicas tundere iubet Mes. & Rhasis. Sanguinem etiam
extrahere iubet Gal. lib. de Sang. Mis. ineunte vere ad talem morbum pro
hibendum. At si sanguinis indicia non apparuerint, minimè secunda vt
Aret. Rhas. ad Almansorem, sed *clystere parandum decocto colocynthid. centau-
Paul. rij, ellebori nigri, & panis porcini, vel melle nitro, & ruta, & hissopi deco-
Mes. cto*, vt Aret. vel glandes acres parentur iubente Haly. Si per hæc auxilia
excitatus paulum fuerit infirmus, aut pulsus robustior factus, spes salutis
est concipienda, & audacius teste Aretæo ei subueniendum: vnde medi-
camentum, quod picra vocatur exhibendum. Sed mirabiles existunt pi-
lulæ ex euphorbio tam probatæ ab Auic. hoc præstant etiam pil. cochiæ, &
ex agarico, & nitro confectæ. Sed quoniam ob acutiem morbi non est ex-
pectanda humorum concoctio, siue incisio, iubet Abynzoar admiscenda
esse purgantibus sinapi, & acetum, vt scindantur, & attenuentur humo-
res, & simul è corpore expellantur: præceptum re vera obseruatione di-
gnum, loco quorum possumus nos exhibere tres vncias, aut quatuor oxy-
mellis, & drachmam vnam cum dimidia pilularum cochiarum. Interim
imperandi dolorosi nexus, vt Haly. & pedes fricandi oleo, & sale, sicut
Rhas. Auic. vsquequo rubeant suasore Rhasi: loco quarum frictionum vesican-
tia coxis, & brachijs admoueantur, hoc efficiunt cucurbitulæ cruribus, &
Rhas. pedibus affixæ, vt Mes. Probabant Haly, & Paul. repetitã vomitus prouo-
cationem; à tali enim euacuatione excitantur ægri, commouentur, & exa-
gitantur.

gitantur humores, & concutiuntur cerebri partes, à quarum concussione interdum ventriculi reserari possunt; sed mea quidem sententia hoc non Aret. est agendum iinchoante morbo, sed purgato corpore, ac reuulsis humoribus, ne maior fieret eorum impetus in cerebrum. At non tantummodo vetusti medici his reuellere ac subtrahere tentabant auxilijs humorem morbosum; sed totum corpus medicamento aliquo calefacienti, ac rubificanti illinibant, probat Aret. castoreum, nitrum, & piper, quibus oleum sicionium addatur, & aliquid ceræ, vt facilius adhæreat; vel inungantur, vt Auic. placet oleo e cucumere asinino, vel de squilla, vel de pyrethro, vel sulphurato, vt Paul. hæc enim omnia calefaciunt vehementer, & attenuãt, & ad summam cutim attrahunt, præcipuè si præcedant non leues frictiones. Cum morbus leuis euadit, atque mitescit, Caputpurgijs materia in capite contenta abducenda suasore Haly. & Auic. gargarismum ex thimo, & origano Paul. parare iubet; & sternutamenta incitantia Rhasis vigorosa. Ser. Sed non solum his deriuatur materia illa in capite detenta, sed cucurbitula occipiti admota cute tamen incisa, ita vt sanguis largiter extrahatur, sed prius inter scapulas inanem cucurbitulam admouere oportet, vt in contrarium eius, quæ in occipitio est, succos reuellat, hoc agendum, si morbus diù trahitur, & caput in causa est: plus enim quàm venæ sectio proficit, & vires nequaquam labefactat, hæc Aret. probat Auic. eas & cum scarificatione, & sine secundum exigentiam materiæ peccantis, præcipue autem conueniunt, si sanguis in capite abundet. harum usum commendat Paul. cum scarificatione, si vox non redit. Deriuat etiam sanguis à nasi extremitate extractus, vt Rhas. & in frigida super nuchæ principium admoueatur quod ex sinapi, euphorbio, & serapino paratur suasore Auic. vel ex sinapi, aceto, & castoreo, hæc enim & foras aducunt, & frigidam Rhas. inalterant cerebri intemperiem; Excalefacit etiam lamina ferrea ignita, si tali modo capiti circumponatur, vt capilli adurantur, auxilium probatũ ab Haly. Auic. & Rhasi. vel in occipite fonriculus excitetur: pota, aut per os desumpta inalterant, & roborant subductis humoribus *Mithridatum, theriaca, castoreum cum oxymelle & confectio anacardina*. Quæ mi- Auic. rum in modum ab Haly. & Rhasi celebratur; dosis sit aureus vnus singulo die cum aqua mellis. Sed singularem vim habet castoreum, si cum mulsa potui detur narrante Aret. ab his non raro febris excitatur, à qua maximam opem sumunt ęgrotantes. Calefaciendum autem esse caput docuit nos Gal. 3. de l. aff.

Opponuntur immobilitati corporis, ac animæ ignauæ, ac sopitæ functioni quæcunque commouere, exagitare, & excitare possunt.

Victus quò ad eius speciem sit tenuis, immo si fortis sit, ac vehemens apoplexia, sit tenuissimus; cum enim morbus peracutus est, *extremos protinus labores habet, summèque tenuissimo victu est vtendum*, Si credendũ 1. Aph. 7. Hip. si æger tamen perdurare potest, quod respiciens Paul. *Primis diebus mulsam, aut oxymel prabet ægrotantibus; vbi verò morbus se remiserit, cibus mollis, distribui facilis, & succulentus exhibeatur*. Laudat Abynzoar Aret. contusa parata ex siluestribus palumbis, quorum capita, & collum sint prius abscissa, affirmans proprietate quadam huic passioni aduersari.

Hy-

Hydromel bibat, vt Auic. & Rhaſ. quod habeat mellis lib. 2. aq. xl. bul. ad conſump. dimidij. cui addere poſſit nucem myriſticum, caryophylos, & cinnamomum, aut thymum, & origanum: vel vinum debile, ac lymphatum poſt vigeſimum primum diem eis concedatur ut Paulo placet, quod nec nouum, nec antiquum exiſtat, ſed inter utrunque medium narrante Auic.

De Epilepſia. *Cap.* *X V I.*

C.7. OMnia ferè Nomina, quæ epilepſiæ à varijs attribuuntur, recenſuit Gal. 6. de Mor. vulg. com. 6. cuius verba. *Comitialem veteres, & Magnum morbum, & affectum puerilem appellabant: quoniam pueritiæ tempore abundat; nonnulli ob eius ſæuitiem Hercuueum: alij falſa opinione decepti Sacrum,* vel hoc nomen fuit huic impoſitum narrante Hip. libro de Morbo ſacro *à quibuſdam hominibus, quales ſunt Magi, expiatores, circulatores, & quidam arrogantes, qui ſe uehementer eſſe pios ſimulant, & amplius quid ſcire. Hi itaque conſilij, & mentis inopiam velantes, ac diuinitatem prætexentes, cum nihil haberent, quod exhibitum prodeſſet, vt ne manifeſta fieret eorum ignorantia, ſacram hanc affectionem eſſe pronnnciauerunt.* Nonnulli ſicrum dicunt hunc morbum referente Alex. quod cerebrum, cuius eſt paſſio, ſacrum, & honoratum ſit. Recẽtiores caducum; quoniam in eius inſultu miſeri ægrotantes cadunt: aut Lunarem appellant; varios enim lunæ labores inſequitur: præcipuè cum noua illuceſſit, quod Gal. 3. de diebus decret. pronunciauit. Græci Epilepſiam, *quaſi comprehenſionem vitium hoc vocauerunt: quòd videlicet ęgri rerum obliuiſcantur, & ſenſus eorum detineantur.*

T.2.

Alex.

Eſt Morbus Comitialis *Conuulſio omnium corporis partium non perpetua, vt in Emproſthotono, ſed quę ex temporum accidit internallis cum mentis, ac ſenſuum oblæſione ob ventriculorum cerebri obſtructionem.* hæc 3. de

C.7. l. aff. Poſuit in hac definitione tanquam principale conuulſionem: quoniam hac epilepſia diſtinguitur ab Apoplexia, & Caro: ſicuti enim difficilis Reſpiratio apoplexiæ peculiaris eſt, ſic epilepſiæ conuulſio, ſicut 4. de l. aff. vbi de vitijs linguæ. Eſſe omnium Principum facultatum ablationem, & cerebrum lęſum eſſe eodem capite, & alijs in locis affirmauit: ſicut etiam patefecit conuulſionem eſſe ſymptoma inſequens talem noxam, dum generationis modum ante oculos legentibus poſuit: fieri ventriculorum cerebri obſtructionem, ſiue clauſionem non ſolum hoc in libro pronunciauit, & hoc in capite hæc dum demonſtrat ventriculos cerebri ab humore craſſo obſtrui. *Cæterum velox eius diſcuſſio craſſum humorem ſpiritus meatum in cerebri ventriculis obſtruentem hunc maximum affectum peperiſſe declarat.* Et ſubdit. *Satis eſt ad probè curandum noſſe ſedem affectam eſſe cerebrum, atque in eius ventriculis humorem craſſum, ac viſcidum comprehendi.* Et poſt. *Igitur, vt craſſus pituitæ ſuccus, ita & melancholicus, vbi in meatibus ventriculorum retinetur, ſiue is ſit medius, ſiue poſtremus* Et

C.7. lib. 2. de ſymp. Cauſ. *Apoplexia, & morbus comitialis ob pituitæ multitudinem in ventriculis cerebri coacernatæ, proinde horum tùm generatio, tùm*

ſolutio

solutio subitaria est, quòd per intemperiem haud fieri potest, & ideo Hippoc. affirmauit, cum melancholia in corpus repit fieri epilepsiam, cum in mentem scilicet temperiem transmittat, melancholiam. Et lib. 6. de Mor. Vulg. cõ 6. C.7.
Oritur sanè & ab alijs affectis partibus nonnunquàm, sed vt in plurimis primùm ipsum cerebrum afficitur non alio affecto consentiens. Morbi autem causa frigidus, & crassus humor in cerebri sinibus collectus. Ab his manifestissimè patet epilepsiam à cerebro primario affecto semper ortum trahere ab obstructione cerebri ventriculorum à crasso, & frigido humore oborta: maximè cum lib. 2. aph. eumdem locum affectum esse, in apoplexia, & epilepsia & eumdem humorem habere dicat. At quis ignorat apoplexiam à ventriculorum cerebri obstructione à crasso succo suscitata gigni? ab hac sententia non abhorret Paul. affirmans. *Partim in ipso cerebro, partim in vniuersis huius ventriculis causam habere subsistentem, modò humorem pituitosum, modò melancholicum.* Sic & Auic. his verbis. *Aut est vapor, aut qualitas, aut humor faciens euenire oppilationem in ventriculis cerebri.* Ore igitur silenti maneant, qui ad Gal. mentem, ac Auic. affirmãt fieri hunc morbum immediatè non à materia, sed à vapore, potius Auer. placita sequentes qui decreuit. *Ob subitum eius discessum pendere aut à fumo, aut fumosa ventositate.* Non fit in morbo comitiali tanta obstructio ventriculorum cerebri, quanta in apoplexia, sed potius incompleta teste Auic. quæ semiobstructio appellãda venit, præterea & humores obstruentes, si credendum Haly, quantitate, qualitate, & substantia differunt: in his enim omnibus deficiunt, quæ omnia non sunt à ratione aliena; non enim sacer morbus, sed attonitus inuaderet ægrotantes, si eisdem conditionibus essent præditi, quibus apoplexiam suscitantes.

45.
Ras. 1.
Cont.
3. Collig.
C.41.

Non solùm cerebrum ventriculi ab humore crasso replentur, sed interdum etiam clauduntur ob eorum constrictionem, aut compressionem: Constringuntur cum irritati, aut aggrauati insurgunt ad expellẽdum obnoxium in illa epilepsia, quæ subditarum partium fit consensu; Irritatur sensitiua facultas, & naturalis, *Aut vapore aliqua mala qualitate insignito, aut aliqua simplici qualitate, qui quidem vapores sua quantitate, ac copia hoc malum non efficiunt.* Hæc Auic. Nos docuit Gal. suasore Pelope à sola qualitate effici, vel spiritali quadam substantia 3. de loc. aff. exemplum in medium afferens, *Ictus scorpionum, vel phalangiorum, à quibus per continuas partes vsque ad neruorum principium uis quædam transmittitur.* Similem procreari paulò ante narrauit his verbis. *Alius deinde adolescens mentis compos; (quippe qui satis poterat & sentire quòd fiebat, & alteri enarrare,) dicebat veluti auram frigidam esse id, quòd ascendebat, vnde non est mirum ab ignobili aliqua parte tantùm morbum ortum contrahere posse.* Ab hac igitur aura, aut qualitate aliqui solitaria, aut vapori mista concitatur cerebri facultas ad expulsionem, quod nos docet eodem Cap. dicens. *Proinde existimaui similem aliquem motum cerebro euenire, qualis stomacho interdum à re quapiam molestato accidere solet.* Ab hoc motu constringuntur cerebri cauitates, ad quarum adstrictionem sequitur distributionis facultatis impedimentum: præcipuè si vapor sit crassus, natura frigidus, & aliqua mala qualitate præditus; talis enim praua qualitas non tantummodo C.7.

excitat facultatem, sed destruit spiritum animalem coadiuuante frigiditate eius, atque crassitie: quæ omnia peroptimè cognouit Abynzoar cap. 8. sed quoniam impossibile est irritari facultatem ab aliquo, quod acuti, ac pungentis ideam per se non ferat: ideo statuendum venit semper vaporem illum, aut qualitatem naturam talem possidere: nisi aliquis affirmaret adinueniri quasdam veneni species; quæ tota substantia hoc agunt, & non qualitatibus manifestis. Aura illa, aut nuda qualitas, aut vapor vel flatulenta materia interdum, vt Auer. & Auic. placet, varijs in locis potest procreari: *Nam sæpe à ventriculo, rarò ab aliqua parte incipit talis affectus, qui deinde sentiente ægro ad cerebrum vsque ascendit*. Sicut legitur 3. de l. aff.
C. 7. *Interdum à crure initium capere, mox illinc recta ascendere per femur, & imminentes illi lubos, & per latera ad ceruicem, donec ad caput perueniret.* Ibid. Eleuantur vapores, aut à toto corpore, aut splene, aut stomacho, & reliquis partibus, interdũ à digitis pedis, aut manus, qui per neruos ad cerebrũ deferuntur, à spondilibus colli, & à spatula; nõ rarò ab vtero, vel vasis seminalibus, dum sperma putredine contaminatur, ac corrumpitur: hæc
Paſ. Cauſ. Auic. Ab humore illo crasso, aut vaporibus, vel alio simili caput feriente, spasmus suscitatur diuersa tamen ratione: nam interdum irrigatis neruorum processibus fit conuulsio à repletione, cum humores in ventriculis cerebri continentur: non rarò, cum pendet à vapore, suscitatur motus quidã spasmo similis. Gigni verum spasmum, cum caducus morbus ab humore
Com. 7. producitur, scribitur 3. de l. aff. his verbis. *Ac fortassis per morbum comitialem conuulsio haud ab similis est his, quæ à spinali medulla incipiunt conuulsionibus singulorum neruorum irrigatis processibus*. Sed fortè dicet aliquis hoc quidem in loco dubitatiuè loquutum fuisse Galen. sed videamus
Com. 7. quæso quæ pronunciet lib. 6. de Mor. Vulg. com. 6. ita. *Morbi autem causa est frigidus, & crassus humor in cerebri sinibus collectus neruorum origi-*
70. *nes, & præcipuè spinalis medullæ occupans*. Et lib. 5. aph. *Quæ verò conuulsio ob neruosarum partium repletionem accidit, qualis est epileptica, neque acutissima, neque periculosissima*. A cuius sententia non recedit Auic. dicẽs. *Neruorum repletio ex humore ad ipsos expulso; vnde augetur eorum latitudo, & breuis euadit longitudo*. Quæ omnia patefaciunt verum, ac legitimum spasmum in epilepsia produci, cum humor cerebro cõtentus ad ori-
7. Del. aff. 7. gines neruorum propellitur: non est autem negandum etiam, *Motum quemdam neruorum produci à cerebri motu, dum seipsum quatiens expellit illud, quod noxium est*. Vnde gemino spasmo vexantur, & vero, qui à repletione neruorum, & motu simili vero, qui à cerebri contractione nascitur. immo censerem ego materia pauca existente in cerebro non veram conuulsionem, sed imaginem quandam conuulsionis inuadere ægrotantes. Sed cum non cerebri proprio affectu oboritur, sed aliarum partium con-
3. Del. aff. 7. sensu, statuendum venit aliquem motum spasmo similem induci, quod nos docet Gal. dicens. *Itaque cum cecidissent, qui non ex propria cerebri affectione, sed per consensum comitiali morbo laborabant: eos citra perpetuam Conuulsionem veluti saliendo per interualla concuti videbam. proinde existimaui similem aliquem cerebro motum euenire, qualis stomacho interdum à re quapiam molestato accidere solet: quippe cum à ciborum copia grauatur,*

aut

aut vbi corruptis cibis mordicus infestatur, tùm singultu affici conspicitur atque acrem quoque humorem, non singultum modò, verum etiam conuulsionem per vniuersum corpus efficere sæpe numero consideramus; deinde vomitu eiecto eo, quod mordicabat, illico quiescere. Quo minus mirandum est, si neruorum principium huiusmodi motu concutiatur, vt à se expellat quicquid fuerit id, quod à parte primò affecta ad ipsum effertur. Cerebrum igitur stimulatum constringitur, ad cuius constrictionem, cum breuius euadat, nerui ob continuitatem ab ipso rapiuntur, ac cõtrahuntur: quod cum relaxatur, & dilatatur, ipsi quoque ad statum naturalem suum perueniunt. quos motus duos respiciens Rhas. adductus sententia Simeonis potius hunc motum tremulum dixit, quàm spasmum. Auic. 1. Cont. Quis.

Est comitialis affectus morbus in via, narrante Gal. 4. de l. aff. sic. *Ventres magis, quàm cerebrum afficiuntur in epilepsia:* & etiam cerebrum læditur, non vt similare existit, sed vt peruium est, & cæcis ductibus præditum. obstruuntur præcipue anteriores ventriculi, vt Auic. placet, cuius verba. *Principium epilepsiæ propinquum cerebrum est, aut ex ventriculo anteriori, aut ex ventriculis alijs cum eo: quoniam nocumentum primum accidit visui, auditui, & partibus faciei: at si non læsi essent alij ventriculi, non destrueretur intellectus, nec læderetur anhelitus.* Quæ omnia cognoscens Gal. eodem libro cit. decreuit. *in sopore anteriorem partem magis affici, in morbo comitiali, & in apoplexia vtramque.* ab his patet & ventriculos, & cerebrum oblædi, sed magis ventres, quàm cerebri corpus, & inter ventres potius medium, quàm postremum, vt de l. aff. sic. *Igitur, vt crassus pituitæ succus, ita melancholicus quoque comitialem morbum solet efficere, vbi in meatibus ventriculorum cerebri retinetur, siue is sit medius, siue postremus.* Est symptoma in genere functionum sensitiuarum ac principum ablatarum, ac motiuæ deprauatæ. *Qui sic enim laborat, neque videt, neque audit, nec vllo sensu quicquam percipit, & memoria, & ratio læditur.* C. 2. Morb. Locus præcip. C. 7. Ibid.

Impetum facit vt plurimum in pueros, præcipuè si capite sint mundi teste Hip. libro de Morbo Sacro & in iuuenes vt 3. aph. quo loco Gal. admiratur Hip. *Cum alibi non modò pueris plurimùm accidere, sed inde etiam puerilem morbum appellatum fuisse, & ætatis mutatione sanari dixerit nisi hæc nonnullos adolescentes inuadat propter ipsorum vitiosam, & inordinatã viuendi rationem.* In Mulieres interdũ vtero gerentes, quæ à partu edito liberantur, minime in senes, & decrepitos, vt Paul. Ætatibus tenellis, ac melioribus viget, & interdum ætatis flore euanescit narrante Aretæo. Præcipue ab assiduis imbribus nos docet Hip. 3. aph. suscitari. & vere, vt aph. 20. & autumno 22. vere enim frigidi humores hiemali tempore procreati exagitati aliquando in caput decumbentes epilepsiam procreant. 29. 16.

Prænunciant hanc affectionem corporis, animique status minimè arbitrarius, tristitia, obliuio, turbulentę insomniorum imagines, capitis dolor, & eius repletio, & inordinatus linguæ motus. hæc Paul. quæ à Rhasi, & Auic. confirmantur.

Tempore autem inuasionis tam turpis, ac sæui spectaculi, ægri concidunt, Signa.

dunt, conuelluntur, pedibus calcitrant, ore spumanti iacent, amissis, ac deperditis omnibus animalibus operationibus. Spuma generatur, si Gal. credendum *Ex duarum substantiarum mixtura, quarum spirituosa vna est, altera humida: hæ autem inuicem permiscentur in multas partes fractis vtrisque, & comminutis, atque plurimas inter collidendum paruas bullas excitantibus: excitatur autem aut à vehementi motu, vt in mari, aut à calore, vt in feruenti lebete: sicque corporibus animalium per conuulsiones epilepticas iactatione, & motus violentia; cum enim inter respirandum aer intro, ac foras continenter feratur tum saliuam ipsius tenuari, tum ex pulmonibus vaporis instar elatum quiddã ipsi permisceri, & complicari accidit, quod gignendæ spumæ adaugeat substantiam*. Quæ ferè ab Hip. lib. de Morbo sacro ita. *Spuma in comitialibus ex ore prodit à pulmone: cum enim spiritus non ingrediatur in ipsum spumescit, & ebullit, velut moriens.* Varia symptomata ægrum obsidentia à priuatione animalis facultatis oboriuntur, vt ablatio principum actionum, & sensitiuarum, spasmus autem à repletione neruorum, aut cerebri concussione; spuma narraute Actuario ex humorum, spiritusque certamine, & luctæ. Inuoluntaria vrinæ excretio, aut stercoris, aut genituræ, aut ob partium illarum relaxationem, aut vltimum conatum expultricis facultatis. Inter hæc omnia signa, proprium ab apoplexia epilepsiam distinguens à Gal. spasmus censetur, etiamsi Celsiis modò cum distentione membrorum, aut neruorum prolabi aliquem, modò sine illa quidem: fortè intellexit sine cõuulsione vehementi, & omnibus notissima. quod reliquit scriptum Auic. sic. *Multoties fit epilepsia sine spasmo sensato*. Attamen hæc mihi non satisfaciunt, cum spasmus sit morbus, qui debet iudicari à sensu: Addit Paul. peculiarem epilepsiæ notam esse spumam.

2. aph. 43. Spumæ gener.

N. 7.

Si cerebrum primario affectu laboret. *Vertigo, scapitis grauitas, visus obscuritas, & omnium sensuum impotentia, & quædam ignauia tenent, & exercent ægrotantes, nec alia signa inueniuntur demonstrantia aliquam aliarum partium læsam esse*. Hæc Auic. Hunc morbum à stomacho proficisci testatur continua ipsius turbatio, & rosio teste Alex. at Gal. lib. 5. de l. aff. vbi de affectibus ventriculi, in medium multorum ægrotantium exempla afferens nos peroptimè docet, quibus signis ab ore ventriculi epilepsiam pendere cognoscatur. Cuius verba. *Igitur grammaticus quidam iuuenis quoties vel nimis vehementer doceret, aut cogitaret, aut inediam sustineret, aut irasceretur, morbo comitiali corripiebatur: perpendi equidem in hoc os ventriculi, vtpote quod facilè sentiret, affectum, ac deinde per consensum, & totum cerebrum, & corpus vniuersum conuulsione concuti. qui si aliquãdo post curationem ob ingruentia negocia diutiùs à cibo abstinere cogeretur, exigua quadam conuulsione vexabatur. Iam alios quoque vidimus conuulsione comitiali ob oris stomachi vitium correptos, cum aut non probè concoxissent, aut vini & quidem meracioris plurimum potassent, aut vbi veneri immodicè operam dedissent. Quin etiam per febres quosdam conspeximus derepente conuulsione prehendi, nullo quod eam præsagiret, præcedente indicio, qui bilioso superueniente vomitu, protinus ab omni noxa liberati fuerunt. atqui horum ac ceterum vix vllum crederes à ventriculi ore procedere*

A stom. C. 6.

nisi tam crebrò euenire viderentur: quanquam enim non pauci ad ipsum ex cerebro nerui perueniunt; non tamen tot esse videntur, vt per eos tantus sit principij cum ore ventriculi consensus, vt inde conuulsio inferri possit. Hæc Gal. præterea vt legitur 3. de l. aff. *Hi perpetua conuulsione non vexantur, sed eos veluti saliendo per interualla concuti videmus.* C.7.

Si verò aliqua alia pars sit tanti mali fons, atque origo; præsentiunt ante epilepticam inuasionem infirmi veluti auram quandam ab illa parte ad caput efferri. quod scriptum reliquit Gal. eodem loco sic. *Alius deinde Adolescens compos mentis, (quippe qui satis poterat & sentire quod fiebat, & alteri enarrare,) dicebat veluti frigidam auram quandam esse id, quod ascendebat.* Semper igitur ante insultum sentiunt in parte illa aliquam agitationem, aut dolorem, aut stuporem, aut morsum, aut contractionem quod fortè respiciens Auic. affirmauit spasmum præcedere epilepsiam. Præterea alia multa læsionem talis determinatæ partis concomitantur, aut humorum diuersitatem indicantia à quibus vapores illi, aut qualitas enascitur hunc affectum prorităs; sicut sonitus, & aurium tinnitus extensio quædam, & imbecillis, vel leuis spasmum flatulentam aliquam materiam huius affectus primordium esse indicant. & hæc satis, ne tempus verbis conteramus. Sicut in pueris dentium stridor, tremores quidam inordinati, saliua ab ore nocturno tempore erumpens, oris exiccatio, nausea, inappetentia, oculorum varius color, ventriculi morsus, & deglutiendi impedimentum quoddam indicant à vermibus epilepsiam nasci à quibus sæpe, a sæpe in tenella ætate oboritur Alex. narrante, & Auic.

Sià parte.

A flatu. Auic.

A vermi.

Rhas. Prog.

Est epilepsia morbus terribilis in accessionibus peracutus, & perniciosus, nonunquam enim statim iugulat tam crebris accessionibus, & eorum quæ accidunt vehementia, vt Paul. Quod si malum hoc penitus insederit, atque radices altiùs egerit, neque ipsum Medicus, neque ætatis mutatio submouent, sed cum ægrotante viuit, atque commoritur: hi neque per intermissiones citra noxam degunt torpentes, abiecti animo, mesti, aſpectum hominum vitantes, decolores euadunt, formidolosis imaginibus terrentur, & rationem quoque is morbus ita interturbat, vt ferè denique insania corripiantur. sicuti Aret. placet. vnde ęgri vitam ducunt infelicem, miserijsque plenam. sed non rarò flore ætatis superueniente euanescit, quod Hip. reliquit scriptum 5. aph. ita. *Ante pubertatem morbus comitialis amotionem recipit: post vicesimum verò quintum annum ferè comitatur ad mortem vsque.* Præscribit Gal. pubertatis tempus à 14. anno ad 25. vnde hoc temporis interdum curriculo, sicut legitur 2. aph. *Pueros epilepsia laborantes cùm loci, tùm victusque tùm maximè ætatis mutatio liberat.* Sed non omnis mutatio Galeno teste, sed ea duntaxat, quæ calidiorem efficiat, & ſicciorem corporis habitum. *At quicunque pueri parui hoc morbo corripiuntur vt plurimi moriuntur.* Si multus fluxus contingat, incipit interdum fieri in fœtu vtero existente vt lib. de Morbo Sacro Non rarò in melancholiam degenerat, si credendum Hipp. 6. de Morb. Vulg. *Si ab humore melancholico originem ducat, qui in mentem repat. si igitur non pubertate, vel menstruorum initio vel puerperio solutus fuerit, vel si post hoc tempus remanserit, sæpe vsque ad mortis diem prorogatur.* Hæc

7.

45.

Paul. vel in pueris veneris post vsum, vt Celsus. multoties soluitur quartana, narrante Hip. 6. de Morb vulg. com. 6. & Auic. statuit in paralysim
C.2. transire, quod omnino Galeno aduersatur, qui lib. 4. de l. aff. sic. *Inter soporem, & apoplexiam morbus comitialis medius est, conuulsionem afferens vniuerso corpori, sed in paralysin non finitur.*

Cura in Aue. Cum sæua, immanis, & opprobrij plena accessio corripit ęgrotantes, si seipsos tali statu spectarent, medius fidius ex hac vita discedere exoptarẽt talem calamitatem exhorrentes; at sublata ratio, & cernendi facultas hoc illis vetat, ac prohibet. Et ideo à medico hac miseria commoto imperanda sunt confestim, quæcumque excitare, & cõmouere possunt facultatẽ animalem à propria operatione impeditã; quandoq;.n. ita inseuit, vt statim iugulet, vt Aret. Paul. & Auicen. mouent, & sensum excitant teste
Aet. Paul. *Quæ naribus adhibentur, vt peucedanum, & liquor cyrenaicus, & si*
Auic. *nihil remittat accessio, summæ partes sinapi impiendæ sunt, cucurbitula præcordijs defigatur, & castoreum, & liquorem cyrenaicum cum oxymelle exhibere debemus, & clysteria ex centaurij decocto, vel cucurbitæ syluestris parentur.* Vomitus prouocandus, & pueris, & adolescentibus optimum auxilium probatum ab omnibus, præcipuè, si ventriculus erit in causa, vt Aret. Nec inutile erit occiput inurere præcipuè pueris docente Rhasi: nec omittendæ sunt frictiones, dolorosique nexus, vt Mes. Celsus in ipso insultu venam tundere iubet: cuius verba. *Vbi concidit aliquis, si nulla neruorum distentio accessit, vtique sanguis mitti debet: si accessit, non vtique mittendus, nisi alia hortantur.* Et subdit. *Expectandus est dies, quo probabitur, vtendumque tùm vel sanguinis missione, vel ductione alui, vel nigro ueratro.* Sed me quidem iudice & sanguinis missio, & violenta purgatio omittenda veniũt, si occasio expectandi medicis à morbo conceditur; at si negatur, eadem hora vigorosis auxilijs vtendum, ne æger vita priuetur: hoc tempore suffumigia ex ruta conueniunt narrante Rhasi, & Auicen. *At si cum graui somno, in syndonem, aut aliud vestimentum coniectos dimouere pręcipito, puncta autem qualibet ipsius parte, sanguine os oblinito, & expergiscetur*, hæc Alex. facere iubet.

Accessione perniciosa sedata si materia caput occupauit hoc mali genus producens, fomentis adhibitis fortè vt crassi humores attenuentur docente Hip. 4. de Vict. rat. in morbis acutis, venam secare oportet, sit vena
C.10. in crure, vt Gal. lib. de cur. rat. per sang. miss. si copiosus sit sanguis, probat sectionem venæ ab vtroque crure Celsus, si nihil prohibeat, & ineunte vere, vt Auic. qui statuit ex duabus cephalicis sanguinem extrahendum esse
Haly, & Paul. à quocunque humore oriatur, conuenienti quantitate: non hauriatur autem ad animi deliquium, vt Aret. morbus enim sæpe hoc inducit. Si igitur totum sanguine sit repletum, ita vt venæ tumidę appareant, vena saphena
9. ad Alm. tundatur suasore Rhasi, præcipuè si menses suppressi fuerint, aut alia euacuatio vt hæmorrhoidum, deinde in cubito cephalica, debemus enim semper longè prius à tentata parte materiam abducere, & retrahere. At non solùm sanguinis missione reuellitur humor, & ad inferiora retrahitur, sed cum purganti medicamento; prius tamen incidentibus paretur: commendat Gal. in libello de puero epil. oxymel squilliticum, vel acetum, vel deco-

ctum

ctum hyssopi cum origano vt Auic. ad sydera extollit Alex. hyssopi decoctũ
affirmans multos hoc solo sanitatem recuperasse. *Quippe viscosa, & crassa
recrementa incidit, & non permittit vel in stomacho, vel in thorace coire
in crassitiem, ac spissari, aliud enim per vrinas, aliud per aluum propè expel-
lit: hoc capiat aut per se, aut cum oxymellite æger.* Omnia incidentia pro-
bantur à Gal. 9. facul. simpl. incidunt syr. de hyssopo, de stæcade, de origano
cum oxymelle confusi, parati humores purgentur sed verno tempore præ-
ceptore Gal. de puero epilep. hiera, & epithimo, quibus addatur coloquin-
tida, vt Alex. si ætate sunt florida ægrotantes, & validæ sint vires, exhibet
hierę drachmam mediam horis matutinis, & vespertinis ante cænam cum
maxima vtilitate. Auic. & Rhasis affirmat huius usu multos fuisse libera-
tos: sed hoc non efficit hiera simplex, at Hermetis, aut cum coloq. vt Auic. Porud.
Opus enim est in comitiali valentissimis medicamentis vti; materia enim Aret.
crassa, ac frigida existit, & caput satis remotum à partibus illis, per quas
celebratur purgatio: per vices expellatur è corpore morbida illuuies hu-
morum, interpositis tamen multis diebus, vt vires instaurentur: & ad ve-
ratrum nigrum, & album transeundum erit, si morbus contumax, ac re-
bellis, vt Auic. at quibus os stomachi imbecillum est, nõ ueratrum album,
sed nigrum exhibendum venit docente Alex. qui mirum in modum com-
mendat hieram cum tribus scruptulis lapidis armeniaci, affirmans se mul-
tos nouisse ab alijs medicis desperatos hoc solo sanatos medicamento, pro-
bat semper Orib. nigrum sed cum colocynthide, aut scammonio, qui tan-
dem recreatis viribus iterũ medicamẽtũ ex colocynthide exhibet. Conue-
nit Agaricus vt Gal. 6. simpl. medic. Recentiores pil. cochias cum helleboro
laudant: sint purgantia varia pro diuersitate humorum, etiamsi vt pluri-
mũ à pituitosis ortum trahat. *Si enim melancholicus fuerit epithymo, lapide
lazuli, veratro nigro, & polipodio, si pituitosus, colocynthide, carthamo
bdellio, semine vrticæ, & aloe.* Hæc Abynzoar. Educit etiam humores, qui
in horas procreantur, vomitus, & si veratrum per talem regionem sępe ex-
purget, vt peroptimè scribit Alex. & Paul. semper tamen à leuioribus do-
cente Rhasi: ac Aret. ex sinapi, hissopo, pipere, & æris cõbusti scrup. 1. exci-
tari suadet, quod effræne est me iudice auxilium. Interim reuellendi sunt
etiam humores acribus clysteribus, qui ex decocto centaurij, & colocyn-
thidos parentur, vt Paul. Conuenient & asperæ frictiones, ita vt carnes Mes.
rubeo suffundantur colore, vt Rhasis, à superioribus partibus est incipien- Auic.
dum, nos docet fricandi modum Gal. lib. de puero epileptico sic. *Proinde
primum linteis corpus rubefacere oportet, à supernis ad inferiora sensim ma-
nus deferentes à brachijs, manibusque sumpto initio: ita deinde ad pectus,
& ventrem procedendum est: deinceps vero, & crura exactius fricanda
sunt ita, vt aliquid à superioribus huc defluat, & sic tandem caput attingere Cel.
opus est, ne humores corpore repleto ad ipsum attrahantur.* Hoc efficiunt cu-
curbitulæ cruribus affixæ, vt Haly, & Serap. Gal. verò dorso, atque pręcor-
dijs cute incisa: Reuellunt & rubificantia extremis admota suasore Rhasi,
sic & quæcumque vrinam ducere possunt, vt Aret. vel crura scarificanda,
sicut Orib. Reuulsis humoribus venæ scindantur sub lingua, vt Auic. vel
arteriæ ante, & post aures incidantur Aret. iubente, vel si non esset aliquis

timor

timor, secētur apopleticæ venæ, si à toto, vt Auic. post cuius sectionem promittit Rhasis inculpatam sanitatem, qui summoperè laudat venarum nasi reserationem: vel occipiti cucurbitulæ admoueantur, vt Paul. Sed Auic. supra caput, cui assentitur Rhasis, Orib. & Haly, cute scalpello incisa, suadente Paulo, & postea caput radendum, peucedanique liquore, cui spondylium sit incoctum ex aceto diluto perungendum, vt Orib. vel sinapi illinendum, vt Auic. & Rhas. aut cantharidibus caput fricetur, sed tribus diebus ante, quàm his vtamur, lac, vt vesica muniatur bibendum, hæc Aret. aut Temporum venæ inurantur, vt Rhas. & Denique præceptore Celso.

Paul. *Ferro candenti in occipitio, & infra, qua summa vertebra cum capite committitur, adurere duobus locis, vt per ea perniciosus humor euadat.* Quibus si finitum malum non fuerit, propè est, vt perpetuum sit. Auic. in capite cauterium probat: sed interdum opem ab his non sumunt, ossa enim sunt contaminata, quæ extrahenda veniunt: ante oculos ponit modum hoc efficiendi perbellè Aret. sic. *Etiam ignem capiti inferre; proficit enim in primis os perforare vsque ad secundum laminam, deinde ceratis, cataplasmatisque vti tantisper, donec membrana ab osse discesserit, terebra nuda ossa circuncidere conuenit, ac si paulum resistāt, vsque ad spontinam auulsionem perseuerandum, quousque nigra nonnunquàm istorum, & crassa membrana fuerit, cumque per putrefactionem, vel etiam purgationem curante medico vulneri cicatrix inducta fuerit, ægrotus morbum euasit.* Dum superius di-

Alex. Orib. cta aguntur, his, quæ pituitam per os, & nares educant, uti debemus ante capitis ustionem, aut sinapismum, ut Paul. semper enim ante euacuationem, quæ à parte fit læsa, debet medicus sequens Galen. præcepta, deriuare materiam morbidam, & ideo Paul. prius deriuat materiam per os, & nares, deinde utitur sinapismo.

At non est cogitandum his auxilijs, quibus humor e corpore abducitur, omnino uitari à Medico futurum insultum: iterum. n. ob cerebri intemperiē, ac eius imbecillitatem gignitur, nec non ēt ob incongruam, & inordinatam uictus rationem, ideo toto ingenio elaborandum uenit, ut frigida, & humida intemperies destruatur: & ne cibis, atque alimentis procreetur; immo intemperiei illi aduersentur. Remouent intemperiem ligni Indi, & sassafrassi decoctum, uel chinæ sed cum calefactione roborant uaria, & eodem tempore reliquias humoris attenuare, & absumere possunt

Mes. ut theriaca probata in libro ad Pisonem. Mithridatum, sicut Aret. affirmat Simeon referente Rhasi multos fuisse sanatos mithridato quotidie desumpto, quod firmat Auic. probat Mes. Zinziber cōditum, & pyrethrum. quid de medicamento ex scilla tàm à Gal. in puero epileptico celebratum? qui promittit futuram sanitatem, si per spatium quadraginta dierum, illo aliquis vtatur, affirmans plurimos pueros se sanasse. Vel exhibeatur castoreum ex mulsa, ut Paul. & Orib. cui addere possumus betonicam laudatam à Gal. 7. simpl. Authillis 6. & aristolochia rotunda, uel aliquid, quod à tota substantia illi aduersetur, ut pæoniæ semina, & cranium humanum, de

Rhas. quibus infra. Inalterāt stillicidia ex aqua salita, & recentiores aquas Aponenses celebrant.

Anculeta. Amuleta censentur à Gal. Pęonia collo suspensa 6. de simp. facul. Rhas.

totum

otum corpus inungere iubet oleo, & pæoniæ puluere simul confusis, uel nasale parandum uel naribus puluis eius insufletur. Auic. imperat assumendam esse qualibet hora: aliqui parant medicamentum tale, quod habet pæoniæ semina, splenem equi, craneum humanum, & species cordiales appellatas. Multa afferuntur in medium dictis in lib. de simpl. facul. ad mentem antiquorum, à Galeno, nam ijs, asinorum ungues, & equorum lichenes. 10. coragulũ leporis, & ij caro mustelæ epota, & ossa cremata ibid. Alex. hęc Caluariã asini diligenter crematam contundito; & in pixide habeto, cum usus expostulat dato drachmam unam, in Hispania hoc didici. Sed in Gallia hoc. Galligallinacei testiculos in puluerem tritos ex aqua, & lacte ieiuno propinato, idque diebus quinq; facito, vino autem abstinendum est, medicamentum ab Auic. descriptum me quidem iudice mirabile est tale, ℞. siselcos aur iij. baccarum lauri iij. aristolochiæ rotundæ, radicũ pæoniæ aur. ij. castorei, trochiscorum scilliticorum ana aur. 1. misceatur cũ melle, & exhibeatur quotidie cum oxymelle. nolo silentio inuoluere illa, quæ ab Aretæo narrantur proprietate huic affectui oppugnantia, cuius uerba. Fama est & vulturis cerebrum, & crudæ fulicæ cor, & domesticos feles comesos morbum discutere, & ego istorum periculum non feci: nonnullos autẽ uidi nuper iugulati hominis vulneri phialam subijciẽtes, atq; inde haustum humorem bibentes. O ingentem necessitatem, quempiam sustinere, malum malo piaculo depellere: atqui ex ea ad sanitatem, nec isti peruenerint, verè nemo mihi affirmare potest. Quin, & quendam autorem legi, qui humanum iecur epulandum apponi præcipiebat. Sed hæc illis scripta sunto, qui ad hunc vsque miseriæ terminum peruenerunt. Siluestriũ.

Nutriantur cibis, qui facilè distribuantur, vim incidendi, & extenuandi habentes sua sore Paulo: quæ à Galeno fortè didicit lib. de puero Epil. cuius verba. *Atqui eorum cibariorum copiosus vsus salubris erit, quæcunque quippiam acris, & incidentis obtinent, citra insignem praui succi notam, citraque odorem aliquem capiti noxam afferre idoneum, sinapi planè accomodatissimum esset, at caput tentat, oxymellite autem, si quotidie libeat, audacter vtendum, & ex eo capparis etiam, & lenia quadam salsamenta assumi possunt pauco quidem oleo inspersa, vt obsonium gratius reddatur, verum id tanquam medicamentum existit, præsertim si acetum fuerit per scillas paratum. Carnes conueniunt omnium ferè volatilium, illis exceptis, quæ in stagnis degunt: à quadrupedum omnium carnibus abstinendum: quod si opus est suis domestici, & siluestris carnibus vti poterit, hædos etiam, & lepores degustare licet benè conditos, & citra nidorem assatos*. vitent quæcunque glutinosa sunt, crassi succi, & quæ inflant, & excrementa gignunt, & quæ egrè concoquuntur, vt sunt ostrea, chartilaginea, bulbi, cochleæ, caseus, fungi, caro bubula, & oua, legumina omnia vim inflandi habent. Ordinem comedendi cibos, & quantitatem describit paulo ante sic. *Exercitio frictionibus totius, necnon etiam capitis & præcipuè pectine ad prandium accedere debet, in quo aliquid olerum ventrem mollientium, aut salsamentorum, aut ptissanæ, aut oliuarum vna cum tertia panis parte offerantur, in cœna tertias duas partes reliquas cum valentioribus obsonijs reponentes. A prandio autem vbi modicum quid interquieuerit,* Victus.

rit, priusquam ad litterarum studia accedat, non nihil quietè inambulare præcipio. à quibus vbi redierit, rursum ante cœnam modicè deambulet, &
20. *deinceps panis duæ reliquæ portiones offerantur, aliorum autem, vt dictum est.* Statuit Gal. blandum esse exercitium, immoderatio enim præcipue corpore humoribus repleto accessiones epilepticas excitare solet, vt 6. aph. Ambul. ordo. deambulandi modum ante oculos nobis ponit Aret. his verbis. *Ambulationes longè commodæ sunt, non flexuosæ, sub arboribus, myrto, aut lauro, aut inter acres, & bene olentes herbas, & itinera facere non secundum fluuium, ne delabentem aquam intueantur, neque vllum, qui in orbem voluatur, neque turbinem, qui circumagatur inspiciat; hic* Vinum. *vinum probat tenue, odoratum, lotium mouens, & quantitate paucum: sitis enim valde vtilis. Solem fugere debent, ignem balneum, venerem, solicitudines, cruditates, lassitudines, iram, & negocia omnia; vitam degere oportet in regionibus calidis, & siccis, si quidem res frigida, atque sicca morbus est.* Aret. Aer. Hæc Aret. & ideo Auic. probat mutationem regionum, donec aer exiccans adinueniatur.

A vētric. Si ventriculus huius affectus sit in causa, est à medico peroptimè petendum, si humoribus frigidis, & crassis sit repletus, qui eius parietibus adhæreant, vel biliosus sit succus, tenuis, & acris ori ipsius morsum inferens, atque molestiam. Si lentus, ac viscidus incidatur, & attenuetur oxymellite adiectò pipere, & sinapi: postea vomitu expurgetur, vt omnes scriptores asserunt, vel picra purgetur, vel alio medicamento vt Haly. & Auic. deinde roboretur cum his, quæ leuiter calefaciunt, vnde os ventriculi oleo perfundatur bis, aut ter in mense præsertim chamæmelino, & absinthino, adijciantur autem his & styrax, & mastiche. hæc Alex. Si verò bilis suo morsu comitialem suscitet, propter inediam, aut iram, vel aliam similem causam contingere solet, ordine illo talibus mederi debemus, quem nos C.6. docet Gal. 5. de l.aff. dum de Grammatico quodam iuuene sermonem habet, ita. *Cui probam concoctionē accurate procurare iussi, ac tertia, vel quarta hora panem optimè præparatum, atque hunc quidem solùm si non sitiret, si verò siti cruciaretur, ex vino madidum, & quidem albo, atque modicè adstringente. Nam huiusmodi vinum ventriculum robustum efficiet, nec caput tentat, & quolibet anno bis, aut etiam ter medicamentum amarum ex aloe ei exhibui, totum enim ventrem purgat, viresque reparat, itaque vir ille viginti annis, quibus postea mansit superstes, integra, inculpataque valetudine vitam egit, qui si aliquando ob ingruentia negotia diutius à cibo abstinere cogeretur, exigua quadam conuulsione vexabatur. Tales, & si ventriculus biliosо succo abundet, vomitu curantur, quo quidem reiecto e vestigio sanantur.*

C.7. Cum verò ab aliqua parte, quod rarò contingit, sicut legitur 3. de l.aff. *Incipit affectus, qui deinde sentiente ægro ad cerebrum ascendit.* Diligentissimè purgato, ac euacuato corpore Cucurbitula parti læsæ, si sub oculis cadit, cute incisa affigatur, vt Rhas. ad Alman. deinde illinatur aliquo medicamento uesicanti, & exulceranti, ita vt pus egrediatur, tale est medicamentum quod ex cantharidibus, anacardo, euphorbio, & similibus, vt Auic. conficitur. Vel hoc agatur lepidio probato ab Alex. & Paul. qui af-

firmat

firmat Oxymel Iulianum comitiales vehenter adiuuare; particulatim enim materiam commouet. Nonnulli candenti ferro carnem malè affe-ctæ partis varijs in locis inurunt, & si opus exiget, ad ossa vsque ferro illo perueniunt. Cum iam imminet insultus, pars vinculo quodam constrin-gatur, ne aura illa caput feriat, & lædat, & hæc ab omnibus scriptoribus vna voce, vt ita dicam probantur.

De Memoriæ iactura. *Cap. XVII.*

SI Memoria vna ex rectricibus facultatibus est phantasinatum thesau-rus ab imaginatione tempore iam elapso receptarum, quæ tanquam fidissima tutrix illa conseruat, atque condit, affirmabimus sumpta à con-trario descriptione Memoriæ Iacturam esse rerum præteritarum obliuio-nem ob vitiatam posterioris cerebri quo ad idola memorabilia conserua-tricem: conseruat pars tali muneri destinata phantasmata, vel quia eorum impressionem non admittit; vel quia iam impressa non retinet, certissimũ enim est aliquid non conseruari, nisi prius suscipiatur; cognouit hęc Auic. dum inquit. *aut quia non imprimitur; aut quia non seruat, quod impressum est.* Non imprimuntur memorabilium vestigia ob excedentem partis stabilitatem, siue duritiem: non retinentur ob eius fluxibilitatem, vel su-perfluam mollitiem, sic decreuit Gal. lib. de Arte Medica his verbis. *Me-moria partem stabilem, ac firmam, & obliuio fluidam indicat:* At si stabi-litas modum excedat, minimè imprimi potest species rerum ob eius duritiem, debet enim omne quod recipit, quatenus recipit, aliqua molli-tie insignitum esse: sic & omne admodum fluidum retinere, ac conserua-re non potest. Duram, ac stabilem reddit partem siccitas, cuius opus est constringere, ac retinere, fluidam, ac mollem humiditas, cuius munus relaxare, ac promptè recipere, sed malè acceptum conseruare; quæ omnia nos docet 2. de Temp. & 3. de Symp. Causis, & alijs in locis diligentissimè Gal. Si igitur siccitatis est retinere, & humiditatis suscipere tantùm, quis non confitebitur memoriam in sicco commorari, & ab humido tanquam à contrario oblędi, & aboleri; quod peroptimè ille cognouit cum affirmat obliuionem partem fluidam indicare, quod etiam confirmauit Auic. ad quid igitur affirmatur lib. 3. de l. aff. memoriam perire ob frigidæ in-temperiei præsentiam? cum frigiditas siccitati non aduersetur, nisi per accidens hoc genus symptomatis inducat humiditatem exprimendo, aut calorem imbecillum reddendo, à quo aliquis procreatur mador hunc procreans affectum. Frigidam intemperiem principem, ac potissimam es-se memoriæ oblęsæ causam legitur loco iam citato sic. *Cum igitur perit, vel grauiter læsa est memoria, frigida omnino est intemperies, quæ partes ipsas pertinaciter obsidet, quæ si vehementer intendatur, simul cum memoria ra-tio deperditur: quocirca calefacere oportet, at verò exiccare, aut humectare non necessariò, nisi humiditati frigiditas copuletur, vel siccitati.* Hæc, ni fal-lor, & rationi aduersantur, & sententiæ, quę in arte parua litteris scribitur; cum memoria in cerebro non resideat, vt calidum est, quod à frigido de-strui potest, sed vt siccum: concedimus tamen à frigiditate noxam pati,

Auic.
Def.
C. 12.
C. 5.
Contrad.

quatenus ab ipsa calor commune organum destruitur; quis enim ignorat calorem esse medium, quo anima omnes functiones in apertum edit? ipso enim languido oculus malè videt, aures obtusè audiunt, & motu priuabitur animal, ac ratione: quapropter nec admiratione dignum esset, si imbecillo facto à frigiditate calore partis, ac influente difficilè spectra illa imprimantur, vel impressa in actum non erumpant: frigiditas enim omnes actiones pigras, & torpidas reddit; ridiculum est igitur, quod à multis affirmatur, scilicet, causam immediatam esse intemperiem frigidam, vel languidum calorem, cuius imbecillatis omnes causas vestigant, atq; quęrunt. Erit itaque Causa huius mali superflua humiditas, sicut etiam docet Auer. in com. de Memor. &c. vt plurimum; aliquando excedens siccitas; interdum & languidus calor, tanquam causa communis ad omnes animæ actiones necessaria. Exiccant corpus vigiliæ, studia, labores, desiccat magis calor febrilis, phrenitis, sudores, & alui fluores, priuati hac facultate fuere ob siccam intemperiem illi duo, vt ratio suadet legentibus, quorum exempla in medium afferuntur eodem 3. de l. aff. ita. *Noui quendam, qui ob laborem in studijs, & vigilias memoriam penè amiserat læsa ratione: item agricolam, qui ob labores, quos vites in colendo subierat, & tenuem victū, eodem modo affectus est: atque ij exiccantibus, & calorificis lædebantur, madefacientia verò, quæ calefaciendi vim haberent haud mediocri ipsi erant præsidio.* Quæ omnia exiccare corpus possunt, sine aliquo frigiditatis accessu; potius enim calefaciendi, quàm frigefaciendi vim habent. Humidum adaugent superfluus potus, quies, repletio, & austrinæ constitutiones, à quibus pituitosus procreatur succus, *Qui aut in cerebri tali parte, aut in ventre eius, aut in vase continetur, vt Auic. sed præcipuè vbi posteremus cerebri ventriculus affectus sit narrante Actuario, idque siue intemperies quædam sit, siue humor eò confluens eius actionem labefactauerit.* Reducitur hæc passio ad morbum in intemperie. est symptoma potentiæ memoratricis in genere interdum functionis ablatæ, & interdum diminutæ secundum maiorem aut minorem causarum excessum, aut defectū.

3. collig. C. 3. Locus affectus est cerebrum, & eius pars posterior, si Auer. Auic. Actuar. Haly. & Abinz. præstanda est fides. Gal. verò 3. de l. aff. statuit, *Nullum affecti loci signum, nullum tumorem, neque dolorem, neque excretionem nos in memoria læsa sedem ducere, sicut cum in melancholia, ac phrenitide contingit.*

Signa. Signa læsæ memoriæ à relatione ægrotantis habentur: sed à quanam intemperie aboriatur, varia accidentia hunc morbum insequentia indicabunt. Si enim humida solùm fuerit, torpores, & in somnum delationes. Si frigida, & humida sopores, & lethargi. Si sola siccitas, vigiliæ; si calor siccitati accesserit, delitia, & phrenitides monebunt; præterea ex excremētis, ægri habitu, tēperatura, victus ratione, anni tpe, & loco deprehendemus, hæc doctissimè, ac diligētissimè Paul. Vehementē esse causam cognoscitur

C. 5. à læsione rationis, nā sic legitur 3. de l. aff. *Si dispositio vehementius intenditur, simul cū memoria ratio quoq; depditur, quę affectio stultitia nominatur.*

Prog. Non est is affectus paruifaciendus: immò nulla interposita mora medicam manum adhibere debemus: existit enim memoria cæterarum inge-

nij custos, qua ablata homo omnino insciens videtur & indisciplinabilis;
immo si aliquis diutius hoc munere priuatur, ratio vnà cum memoria pe-
rit teste Gal. lib. iam citato. Præterea apud Auic. Scriptum est ad epilepsiã,
apoplexiam, & lethargum esse internuntium.
Si igitur cum materia intemperies cerebrum exercent, quæ sit humida, &
frigida, vt pituitosus succus, coquendus erit prius aliquo tamen exhibito
lenienti oxymelle, syr. de betonica, de stæcade, & melle rosaceo, quibus
admisceatur saluiæ, & betonicæ decoctum, deinde purgetur agarici infuso
& melle rosato solutiuo, vel hiera, colocynthide, & castoreo Paulo, &
Auic. suadente; vel pil. cochijs, vel fætidis, prius tamen humorum crassities
incidenda, & calefacienda non solum iam dictis, sed etiam *naribus admo-
tis teste Orib. hoc faciunt origanum, pulegium, & thymum aceto incoctum.*
quæ sine alicuius partis intermedio cerebrum, quo materia illa commo-
ratur, feriunt, ipsamque inalterant, & scindunt, quæ ab epotis difficillimè,
& longo temporis tractu assequimur ac *in quibus sanguinis deprehendes
abundantiam, venam aperire consilium est*, autor est Paul. quod auxilium
commodum erit, si humida calidaque intemperies cerebrum teneat. vel
in his, *qui veterno detinentur, statim inchoante affectu vena secanda, id
quod est vtrique morbo, & qui ex vigilia, & qui sopore fit commune*, vt
Orib. Reuellunt & acres clysteres, qui à Ser. & Paulo probantur. Sed non Haly.
his tantùm auertere tentarem redundantem humorem, sed frictionibus,
ligaturis, & cucurbitulis, at si maior desideratur reuulsio, & per-
petua, confugiendum ad vesicantia coxis, & brachijs admota;
quod efficere possunt etiam duo fonticuli ferro candenti excitati, quo-
rum vnus in brachio, & alter in coxa prouocetur. totum purgabat
ante alia Gal. sicut legitur 3. de l. aff. sic. *Igitur cùm deperditam cuiusdam* C. 3.
*memoriam restituere oporteret, essemque adhuc iunior, ac neque præcepto-
rem vnquam vidissem, qui huiusmodi affectionem curasset, neque apud vl-
lum antiquorum curationem legissem. primum quidem apud meipsum inue-
stigaui quænam pars esset affecta cui topica, i. localia vocata remedia adhibe-
berem, prius videlicet vniuersi corporis curatione præmissa.* Post totius
euacuationem abducendus erit morbosus humor per os, & nares, tan-
quam per proprios ductus, hęc laudant Paul. Orib. Rhasis, & Auic. & Cu-
curbitulæ capiti cute non incisa affigantur, vt Auic. si diuturnus morbus
iubente Orib. quod pannis asperis fricandum venit, & rubificanti medi-
camento illinendum reliquit scriptum Auic. qui duo cauteria in occipite Orib. &
probat infigenda esse, commendant recentiores setonem, vel setaceum Ser.
posticæ colli parti infixum.

Humida, & frigida intemperies contrarijs remouenda exiccantibus
scilicet, & calefacientibus, etiamsi Gal. semper statuat. *Calefaciendum esse,
exiccandum autem, aut humectandum minimè, nisi frigiditas humiditati
copuletur.* nos autem exiccandum esse affirmamus, & calefaciendum, si
humiditas frigiditatem sociam habuerit. Exiccant, & calefaciunt varia,
epota, vt chinæ, & ligni indi decoctum, vel sassafrassi: theriaca, mithrida-
tum, & castoreum cum aqua mulsa, vt Orib. probat Ser. confectionem
anacardinam, at in exiccatione procedendum leuiter, ac placidè, ne humi-

ditates naturales absumantur docente Auic. qui tanquam expertum, commendat acorum conditum, & piper conditum, & tandem hoc medicamentum, quod habet olibani, cyperi, piperis albi, croci, mirrhæ ana partes æquales, dosis singulo die sit drachma vna. leuiora existunt conserua e floribus betonicæ, & libanotis scilicet rorismarini, vel nux muscata condita: recentiores aquam ardentem cariophillis, ligno aloes, & nuce muscata iniectis, vel rotulæ parentur ex zac. & oleo rorismarini.

In alterant etiam cerebrum, & roborant odores calefacientes, vti refert Rhas. & Auic. castoreum ab Abinz. laudatur à proprietate quadam opem ferre tali noxa detentis censetur à Rhasi eboris rasura: ab Abynz. leporis cerebrum comestum. Extrinsecus pars capitis posterior, (etsi difficile sit

Aet. narrante Abynz. medicamenta ad interna peruenire,) calefacienda inunctionibus, vt castoreo: vel oleo e nuce muscata, vel de balsamo, vel de castoreo, aut theriaca vino aromatico dissoluta occiput illinatur, aut sinapi, &

Ser. costo. Ad hæc irrigationes ab alto capite abraso administrentur, quæ probantur ab Haly. Sit quod infunditur decoctum stæcadis, hyssopi, serpilli, myrti, & foliorum salicis, vel aquæ balnearum, tales sunt S. Petri scatentes in agris Patauinis.

Ab obiecto. Instaurant præterea memoriam, rerum memorabilium repetitiones, si credendum Gal. 1. de anato. administ. cuius opinioni Rha. subscribit, dum

1. Cont. narrat sæpe legendos esse libros. Sit autem, vt facilius memoria illa custodiantur, in rebus addiscendis ordo, hic in connexione quadam, & proportione consistit, in ijs autem, quæ ordinata serie digesta sunt, si vnum acceperis, reliqua continuò necessaria quadam, vel naturæ, vel artis continuatione, vel nexu sequuntur. Confert etiam quamplurimum, si quis eleganti oratione, cantuque suaui, quæ memoriæ mandare tentat, sæpe recenseat; conducit etiam admiratio quædam, quamobrem pueri diutiùs retinent. Animus sit solutus à curis, quoad fieri potest. & mentem totam illis rebus adhibeant docente Gal. 2. de motu Mus. facilè enim obliuiscuntur, qui mente vagantur.

Si sicca sit intemperies cerebrum obsidens, humectare operepretium erit, cui si annexa fuerit aut caliditas, aut frigiditas, vnà refrigerare, aut calefacere oportebit, sic diligenter statuit Paul. Humectare igitur oportet, & somnum conciliare, cum hi perpetuò vigilent teste Orib. humectant irrigationes capitis cum decocto violarum, meliloti, & pedum caprarum, vt Serap. vel ex capitibus papaueris, vt Orib.

Victus sit varius pro diuersitate causarum: vniuersim alimentum conuenit faciliter concoquibile: vitent repletionem, mentem ferientia, & corpus valde exagitantia, vt est venereus amplexus: somnus sit moderatus, qui à repletione malus: vinum competit in frigida antiquum, & odoriferum, vt Ser. sed moderatè bibitum, ne caput repleat suasore Rhasi. in sicca tenue, & aquosum & cubiculum sit luminosum, vt Auic.

Finis Libri Primi.



DE NOXIS SENSITRICEM FACVLTATEM LAEDENTIBVS.

Liber Secundus.

Quid sit sensitiua animę functio, aperitur, quam non passionem, sed actionem esse demonstratur. Cap. I.



AD sentiendi functionem ordo ab initio iam propositus me impellit, & vrget, de qua non est à me rudi quadam Minerua agendum, paucisque verbis: sed potius diligenti, & accurata oratione procedendum præcipuè in naturis, & actionibus cuiuslibet sensorij patefaciendis: vt Medicus faciliùs, & exquisitiùs eorum noxas, atque offensas cognoscat: non autem, vt essentiam facultatum ab anima emanantium intueatur, & contempletur; Philosophi hoc enim est peculiare munus. De sensitiua igitur animæ facultate, vt opus suum quinque adminiculis exercet, sermonem habebo: hęc enim tantum ad quinque sensus se extendit: sicut nos docet Gale. lib. de symp. diff. his verbis. *Sentiendi animæ functio quinque modis explicatur: est enim videndi, Odorandi, Gustandi, Audiendi, ac Tangendi functio*, & tandem pauca quædam de sensu communi in medium affert. C.3.

Est exterior sensus potestas quædam cognoscendi sensibile obiectum à sensorio susceptum. hanc definitionem nobis tradidit Gal. 7. de Plac. Hip. & Pl. dicens. *Neque alteratio ipsa, vt quidam putant, sensus est, sed alterationis dignotio*. Cuius sententiæ non tantummodo subscribit Simp. & Auer. 2. de anima. sed etiam Alex. eodem libro sic. *Potestas sensitiuæ est discernere sensibilia*. Et cum de Auditu, hæc. *Auditus est, qui strepitus actu editos excipit, atque cognoscit*. Quod nec negauit Arist. dum affirmat quęcunque sensum proprium obiectum cognoscere, nec circa ipsum decipi. Erit ergo sensatio proprij obiecti cognitio ab ipso tamen inalterato prius sensorio. Non est autem arbitrandum sensum simplicem, ac solam esse alterationem, vt iam diximus: si enim partes destinatæ sensibus neruorum C.6. C.149.

vſu,& actione careant,& inalterentur à proprijs obiectis, & eorum veſti-
C.8. gia recipiant,non excitatur ſenſatio,vt 7. de Plac. Hip. ſcribitur, ſicut pa-
tet in cæcitate ab obſtructione neruorum opticorum oborta;in cryſtallino
enim colorum ſpecies,& figurę,& numeri ſuſcipiuntur:attamen nullus fit
ſenſus ob defectum facultatis influentis. Duo igitur requiruntur ad ali-
quam ſenſitionem faciendam, Alteratio talis partis, & alterationis cogni
tio:immutant,& inalterant ſenſoria ſenſibilia,cognoſcit,& ſentit facultas
principaliter in tali ſenſorio;non eſt enim ſentire ſine organo, & corpore,
vt 3. de anima legitur, quod diffuſiùs narratur libro de Somno, & Vig.
T.7. capitu. 1. ita. *Quoniam autem non animæ proprium eſt ſentire neque cor-*
poris: cuius enim eſt potentia huius eſt actus. qui verò dicitur ſenſus, ut
Actio,motus quidam per corpus animæ eſt, manifeſtum eſt, quod neque ani-
mæ paſſio propria eſt, nec inanimatum corpus poſſibile eſt ſentire. Si itaque
C.20. ſenſus eſt actio,& dignotio,cur non affirmabimus nos illum eſſe actionē,
T.16. vel ſub genere actionis contineri? præcipuè cum Phil. 1. de Gen. anima
C.2. hæc. *Senſus autem cognitio quædam*, & 9. Metaph. idem. ſed adapertiùs
C.1. lib. de Sen. & Sen. & lib. de Inſom. ita *Senſibilia ſecundum ſingulum ſen-*
ſum Agunt. Et nihil mea refert Gal. 1. de Diff. ſymp. & 1. de l. aff. & mul-
tis alijs in locis appellaſſe ſenſum paſſionem, quod fuit etiam confirmatū
à multis, qui ante ipſum floruerunt, ſicut ille refert ſic. *Priores Medici dice-*
re ſolebant, quod ſentire per affici, & mouere per facere explicatur. Immò
& Plato, ſicuti narratur 1. de ſympt. Diff. ſenſuum Alterationem Pathema
nominauit. quod confirmauit Ariſt. 2. de anima t. 71. 118. & 119. & alijs
in lib. his verbis. *Senſus in eo quod eſt moueri aliquid, & pati accidit: vi-*
detur enim quædam alteratio eſſe, fit enim ſenſorium ſimile obiecto, ad quod
in potentia erat. Quatenus ergo patitur ſenſorium ab obiecto, ſenſum
paſſionem eſſe fatemur: non fit enim ſenſatio ſine mutatione ſenſorij ab
obiecto, vt illi ſimile euadat, non immutatur autem, niſi alteretur, non
alteratur autem, niſi patiatur, & afficiatur: ſemper enim aliquid de nouo
introducirur, dum aliquid alteratur. Sed hæc Alteratio, vel ſuſceptio obie-
Vel ſpe-ciei. cti ſenſibilis imaginis non eſt ſenſus, ſed huius alterationis cognitio, vt do-
ctiſſime reliquit ſcriptum Gal. & ideo lib. de Inſom. iam citato hæc legun-
tur. *Et quæ ab eis fit paſſio, ineſt ſenſorijs, dum ſenſus Agunt*. dum enim
pars deſeruiens ſenſui inalteratur, fit & eodem tempore alterationis ſen-
ſus, & cognitio. Erit itaque ſenſus Actio, & non paſſio: ſemper enim om-
nis denominatio fit à nobiliori, at quis ignorat cognitionem eſſe nobi-
liorem ſuſceptione, & ideo omnes Sophiæ amatores vocauerunt ſenſum
potentiam Actiuam, & ſuſceptionem illam alterationem perfectiuam: or-
ganum enim actuatum ſimilitudine proprij obiecti procreat actiuè ſenſa-
tionem ſuam, affirmandum tamen eſt etiam dici & paſsionem, vt iam di-
ximus. Vt ſenſus quilibet erumpat in actum vltimum, qui dicitur ſenſa-
T.140. tio teſte Phil. 2. de anima quo loco dat exemplum de viſione, cuius verba:
Actus Viſus Viſio dicitur. Quatuor exoptantur, quæ ſunt. Pars deſtinata
ſenſui, facultas ſenſitiua, obiectum ſenſibile, & interdum Medium. à qui-
bus vnitis, & in vnum coeuntibus proditur in apertum ſenſatio ipſa, &
excluditur tanquam fætus ad auras, ſicut litteris tradidit Them. lib. de
Mem.

Mem. & Remi. Non est autem silentio prætermittendum Galenum sæpe sensum pro sensorio, siue pro parte illa alterationem suscipiente vsurpasse: sicuti 16. de vsu part. dum inquit sensus habere neruos molles, vt facilius admittant alterationem sensibilium, vel aliquos sensus habere tegumentum, vt lib. de insti. Olf. quo dicendi modo vsus est etiam Phil. pluribus in locis, dum profert sensibile positum supra sensum non facere sensationem, vel Recipere species sensibilium sine materia & sensus ex simplicibus constare. quibus omnibus in locis sumitur sensus pro sensorio, sed hæc omittamus. T. 121.

Sunt numero quinque, Visus scilicet auditus, Olfactus, Gustus, & Tactus, quibus propria correspondent organa, atq; sensoria. inter quos Tactus primum locum sibi vsurpat: impossibile est enim animal esse animal sine sensu tactus, & sine hoc nullum contingit alium sensuum habere vt 3. de ani. & ideo rectè Galen. tactum vocauit sensum Communem 1. de symp. Caus. alijs enim sensibus certum est & sensum tactus inesse. vt ille varijs patefecit exemplis. Cæteri autem sensus insunt animali non vt sit, sed vt benè sit; gustus enim propter iucundum, & molestum, vt sentiat id, quod in alimento, & concupiscat, & moueatur sicuti t. 68. 3. de anima. qui quidem sensus post tactum, etiam si & ille quidem sit tactus, necessarius est animali, quod legitur lib. de sen. ad vsum enim vitæ peropportunus: si quidem nullum animal in vita seruari potest sine pastu, escaque conuenienti, quæ ab ipso peroptimè cognoscitur, & iudicatur. Vterque ergo est necessarius, animali, Tactus scilicet ad eius esse, Gustus ad eius conseruationem in esse. T. 66. 67. C. 1.

Facultatem illam esse necessariam & à cerebro initium ducere demonstratur. Cap. II.

FAcultatem aliquam necessariam esse ad sensationem faciendam pro certo, & comperto omnes Medici habent: immo affirmant hanc esse precipuam omnium sensationum causam, atque primordium. Gal. quoque hoc posteritati tradidit 1. de l. aff. talibus verbis. *At quia cognatum sensus principium non habent; idcirco neruis, per quos hoc ipsis influat, semper indigent, qui ipsis ea suppeditare possint, quemadmodum Sol omnibus, reb. quas illuminat, affert* Sed 7. de Plac. Hip. in medium adducit huius facultatis mirabile munus, & partem etiam, à qua originem trahit, & denique vias, per quas perpetuò emanat, atque fluit. sic. *Hanc verò alterationem pars alterata sensit, eò quòd à cerebro suscipit facultatem, quæ ad ipsam per neruos descendit: quippe cerebrum non vt sit sentiendi instrumentum, sed vt sensuum instrumentis vim sentiendi præstet à natura constitutum quod singulis animalis partibus sentiendi facultatem per neruos transmittat.* Modum, quo communicatur partibus, narrat 1. de l. aff. his verbis. *Communicatur autem sensus, & Motus per alterationem quandam neruis per partem post partem,* hanc cognouit etiam ante. Galen. Plato in Theæteto, quod testatur dicens, dum sermonem habet de sensibus. *Quibus* C. vlt. C. vlt.

omni-

omnibus quædam instrumenta attribues, per quæ sensificum, quod est in nobis, singula sentiat. Et Hip. lib. de Morbo Sacro huius facultatis meminit etiam sub nomine Cerebrī, sumens partem continentem pro contenta facultate, dum inquit. *Hoc videmus, audimus, &c.* certum enim est cerebrum immediatè nec audire, nec videre. Hæc facultas, quam spiritum vocauit Philoponus, vt plurimum solitaria instar radiorum Solis partibus communicatur: rarò vectore spiritu, nisi tantummodo oculis, & cauitati spinalis medullæ, si Galeno est credendum. Perpetuò à principio suo fluit, argumēto sit nobis aliqua pars sensu tactus insignita & aliquo occurrēte percussa, euestigio illa vehementissimo excruciabitur dolore: quā passionē minimè perciperet si facultas nō esset præsens, & propria actione nō fungeretur. & eius munus alterationē ab obiecto sensibili sensorio impartitā sētire, sicut legitur 7. de Pla. Hip. ita. *Dignotio ipsius alterationis fit ex vna facultatum, quę ab initio fluit.* Hęc dum in cerebro cōmoratur, potestate, ac virtute in se continet oēs illas operationes, quas singula sensoria in apertū edunt, & ideo nō immerito cōmunis omnibus sensorijs à Gal. appellatur loco superius dicto. hæc eadem perueniens ad aliquod sensorium donatum tali substantia, temperamento, compositione, figura, & alijs conditionibus cum tali insito calore, tali magnitudine, & talibus sensificis neruis fit Auditiua, Visiua, Olfactiua, Gustatiua, & Tactiua: pro diuersitate enim organorum, & partium, quibus participatur, varia euadit, atque multiformis: non tamen adhuc vltimo actu existit, sed in habitu, vel actu primo: sed cum à tali obiecto sensibili sensorium inalterante pulsatur, atque vt ita dicam, excitatur, & ab habitu in vltimum actum erumpit, tunc videt in oculo, audit in auribus, olfacit in naribus, gustat in lingua, & in neruis tangit. quapropter cum sit vna, & eadem pro varietate organorum varias producit sensationes. quod scribitur 8. de vsu part. sic. *Sensoria omnia similia apparent, inest tamen eis dissimilitudo non modò in ipsis sentiendi facultatibus: alia enim saporum, & alia odorum est dijudicatrix: verum etiam in corporibus, per quæ differuntur.* Ab his patet sensoria esse similia, quatenus vnam, & eandem facultatem suscipiunt. sine qua æquiuocè sensoria dicerentur: cum omnino priuata essent propria operatione, & ideo dixit Arist. oculum non videntem æquiuocè oculum appellari: & iure, caret enim illa actione, ob quam à natura fuit fabricatus. hæc facultas quantò fuerit copiosior, viuidior, tantò sensatio & perfectior, & exquisitior in apertum prosiliet, talis autem erit, si cerebrum, quod à Galen. vocatur fons, & initium facultatis, communis sensus, siue princeps sensorium, præditum, & exornatum erit illis dotibus, de quibus primo libro sermonem amplum habuimus.

C. 6. Sc. cerebro.



De

De Sensorio narratur quid sensorium, quot requirantur ad eius constitutionem, ut perfectè agat, & dilucidatur Galeni dictum, quod est simile simili alterari, atque cognosci. Cap. III.

SEnsorium illud à Galeno, & ab omnibus philosophis vocatur, quod à naturæ solertia, & prouidentia tali conditione, & aptitudine sit paratum, vt præsenti facultate, & obiecto ipsam excitante sentiat: hoc enim munere proprio fungi non potest, nisi alteretur ab obiecto, & in sui similitudinem immutetur. Sed est animaduertendum docente Galeno 8. de vsu par. *Non quodlibet sensorium à quolibet sensibili immutari, sed determinatum à determinato*. Vt autem perfectè, & expeditè alterationem illam suscipiat, atque cognoscat, varia necessaria existunt. Debent enim ex optima constare materia, quod reliquit scriptum Phil. 2. de part. animal. dicens. *Sunt sincera sensoria, quæ ex optimo sanguine, & puro procreantur.* à sanguine enim optimo & partis substantia, & temperamentum, & conformatio, & magnitudo, & numerus, nisi aliquid impediat, optimam sortiũtur naturam, sicuti elicitur à varijs Gal. placitis: Sinceritas autem sensorij est in causa perfecti iudicij rei sensibilis, vt habemus 1. de sympt. caus. qđ scribitur eodem libro de part. animal. sic. *Iudicium igitur exquisitum differentiarum tum soni, tum odoris, tum visus in sinceritate sensorij, summæq; membranæ positum est*. Sensorium tactus exquisitè hẽt homo: qm̃ sincerum, minimeque terrenum, corpulentumue obtinet, & cutem tenuissimam, & Cap. 1. dum de oculo hæc. Vt differentiæ percipiantur, in oculo, sicuti in veste, mundissima minima macula perspicua est: sic in puro, & sincero oculo parua motio sensum efficit. Præterea sint sensoria denudata à natura sensibilis obiecti, *quod enim debet sentire album, aut nigrum, neutrum ipsorum debet esse, potentia verò vtrumque*, sic & in alijs sensibus, & in tactu sicut 2. de anima. *Intus enim existens prohibet susceptionem extranei;* Forinsecus enim inalterans occurrens sensorio iam inalterato non potest aliquid de nouo in ipsum imprimere, nisi dicamus maiorem talis qualitatis gradum introducere posse, & secundum talem excessum sensorium inalterare, & sensationem procreare, quod non negauit Arist. dum de sensu Tactus verba facit, quæ. *Simile calidum, & frigidum, & durum non sentimus, sed exuperantias, tanquàm sensu veluti medietate quadam existente eius, quæ in sensibilibus, cõtrarietatis.* Inuenire autem sensorium tactus caloris, frigiditatis, & duritiei, vel cuiusdam soliditatis expertem impossibile existit, confitendum tamen est, sicut scripsit Alex. ab ijs sensibilibus, quæ redundant, aut deficiunt sensum excitari, veluti à dissimilibus patitur, atque immutatur, at non tantummodo læditur sensatio, si sensorium sit aliqua qualitate præditum, qua existit obiectum, sed sensus oberrat, & deprauatur, si sit aliqua qualitate malè affectum: oculus enim suffusus citrino colore omnia visibilia citrina iudicat, sic & lingua si amaro imbuta aliquo succo, quæcunque illi occurrunt, etiamsi dulcia, amara percipit esse, vnde Gal. 1. de symp. Caus. loquens de oculis hæc. *Si verò inæqualiter vel per colorem, vel per substantiam à naturali habitu recesserit, quæ-*

Margin notes: Capi. 6. — Cap. 10. — C. 2. — 119. — 114. — C. de tactu

O *cunque*

cunque pars ipsius sic affecta ad pupillæ regionem peruenerit, efficit, vt sibi simile visum in rebus, quæ spectantur, appareat: quippe sic affecti & colorem, & substantiam, & figuram ipsius extrinsecus videre se existimant: & multi omnia pallentia, & alij rubeo esse colore arbitrantur. In his enim per modum, & naturam recipientis, & non rei receptæ fit sensatio, sit nobis exemplo lingua aliquo succo imbuta vitioso, *adueniente enim, vt ille doctissime narrat, extrinsecus re sensibili, mouenteq; vitiatum humorem, qui hactenus in ipsa quietus latebat, sentit quidem gustandi facultas non rem sensibilem forinsecus aduenientem, sed abundantem in lingua humorẽ: at euenit nonnunquam, sed rarò citra vllius rei degustationem, vt humores linguam imbuentes sensu percipiantur, vbi omnino absoluta fuerit gustandi facultas*.

Libr. iam dicto c. 4.

At non solùm, exempli gratia, reales colores in oculo existentes receptionem, atque alterationem, quæ introducitur ab obiecto, impediunt, sed etiã species visibilium iam susceptæ hoc idem efficiunt, quod sic legitur lib. de Insomnijs, & de somno, & vigilia. *Si ad vnum colorem per longum temporis tractum oculos dirigamus, omnia videbimus tali prædita colore, sic si flumina occurrunt nobis rapidè currentia, videntur & quiescentia moueri*. Et hoc non tantùm in instrumento visus contingit sed etiam in alijs sensorijs. Oporret itaque, si possibile est, sensorium omnino denudatum esse à natura obiecti sensibilis, siue hęc natura sit realis, siue, vt vtar terminis philosophicis scholasticis, intentionalis: quoniam susceptiuum est colorum quod sine colore, soni, quod sine sono, vt 2. de anima. Et ideo nulla cadit similitudo actu inter obiectum sensibile, & sensorium, oportet enim sicuti t 62. *Sensitiuum potentia esse tale (scilicet sensorium) quale iam actu sensibile, patitur autem non simile existens, passum autem assimilatum fit quale illud*.

t. 71.

Quapropter sensorium ante obiecti occursum, atque eius susceptionem non est simile illi; sed cum obijcitur sensibile, alteratur, atque immutatur acquirens similitudinem obiecti, & tunc dicitur simile actu. Nec obstat huic veritati Galeni sententia 7. de Plac. affirmans simile simili cognosci, quæ est. *Aptè igitur dicemus visus instrumentum lucidum esse, aereum auditus, vaporosum olfactus, gustus humidum, & terreum tactus; nullo enim alio modo potest, cum ex similium alteratione consistãt: sentimus enim re vera lucidissimo, qui est visus, lucidam naturam, non secus etiam aereo auditus sensu proprias aeris affectiones cognoscimus, quemadmodum & gustatu, qui humidus natura, spongiosusque est, sapores nobis innotescunt*. Hæc cap. 5. & 6. Et 6. de vsu part. *Alteratur autem non quoduis sensorium à quouis sensibili, sed luminosum à coloribus, aereum à sonis, vaporosum ab odoribus, & vt in summa dicam, simili simile notum est & familiare*. Quod confirmatur etiam lib. de instrumento olfactus, tali etiam opinione fuit Plato ante Gal. in Thæteto, quo loco affirmat agnatum agnato cognosci. Sed non solùm & Plato, & Gal. hoc affirmauerunt, sed tota antiquitas referente Themistio lib. 1. de anima. Ar, ni fallor, à Galeni dictis, si percurrimus mentis acie omnia, quæ de sensorijs pronunciauit, non elicitur crystallinum humorem, aerem, humidum, vaporosum, & terreum esse similitudine proprij obiecti prædita, antequàm non inalterentur ab illis: quo-

C. 6.

C. 12.

quoniam vera similitudo existit inter colorem, & colorem, inter sonum, & sonum, & inter saporem, & saporem, sed quo loco dixit crystallinum esse coloratum? linguam aliquo sapore inalteratam? vaporosum in cerebri ventriculis anterioribus contentum aliquo odore præditum? nullo in loco, dummodo hæc seruent statum naturalem: ab aliqua nanque morbosa affectione hæc contingere possunt. Quænam itaque similitudo, aut agnatio inter partem destinatam alicui sensui, & proprium obiectum, reuera nulla, vt obiectum est, sed quatenus sonus est in aere, odor in vapore, sapor in humido, & color in diaphano, vel non prosilit in actum sine lumine, maxima inter obiectum, & sensorium erit similitudo, & conuenientia: aer enim in auribus residet omnino immobilis, humidum in lingua, lumen in oculo, vel diaphanum, & vaporosum in cerebri ventriculis, quæ quidem omnia priuata existunt natura proprij obiecti, vt obiectum est, hanc conuenientiam, & cognationem inter subiectum obiecti, vel mediã deferens obiectum & sensorij, cognouit Auer. lib. de sensu, & sens. dicens. *Et ideo proprium est medio, vt sit de genere instrumentorum propriorum.* Præter rationem igitur Gal. reprehendunt arbitrantes ipsum statuisse simile simili cognosci, vt colorem colore, sed in hoc oberrant, vt ab eius dictis adapertè patefeci, atque demonstraui, & hæc de sensorio imperfectè satis, de quo in sequenti perfectius sermonem habebimus.

In quatuor Organis Sensuum, Oculis scilicet lingua, auribus, & Olfactu duplex inueniri Sensorium vnum susceptionis & alterum cognitionis, & hoc ad Gal. mentem esse Neruum. Cap. IIII.

OMnes, qui de sensorijs sermonem fecerunt, potius vestigauerunt naturam suscipientis idola; & species sensibilium, quàm naturam illius partis, quæ dum à sensibili inalteratur, sentit; atque cognoscit, sed perspicacissimus Gal. non tantùm suscipientia sensoria ante oculos nobis posuit, sed etiam iudicantia, atque cognoscentia patefecit, appello ego recipientia crystallinum in oculis, aerem in auribus, vaporosum in ventriculis anterioribus cerebri, & humiditatem in lingua. *crystallinus enim solus,* vt 8. de vsu. par. *à coloribus alteratur, cum sensorium habeat lucidum, purum, & splendens,* quod etiam affirmauit 1. de Symp. Cau. & 10. de vsu part. hæc. *Albus, clarus, & splendens, vt à coloribus immutetur albus exquisitè, & mediocriter durus* Perlucidum, idest, valdè diaphanum vocauit hunc etiã Arist. 2. de Part. animal. dicens. *Visus aquæ naturam obtinet: hæc enim omnium perlucidorum facillimè conseruari potest vt enim diaphanus facilè suscipit obiecta visibilium, vt mediocriter durus retinet, atque conseruat recepta.* quæ etiam leguntur lib. de sensu, & Sen. c. 2. & alijs in locis, sic. *Visus est aquæ, sed non videt, vt est aqua, sed vt perspicuum, seruabilius est aqua aere, & magis susceptibilis, quare pupilla aquæ.* Est igitur crystallinus omnibus illis exornatus conditionibus, quæ ad colores suscipiendos requiruntur: & parui mea refert, si Gal. multis in locis vocat hunc præcipuũ visionis instrumentum, & partem oculi nobilissimam, cui cete[...] famulan-

C. 6.
C. 1.
C. 1.
C. 10.
2. de anima.

tur,& deseruiunt,nec non etiam interdum appellat sensorium. Fatemur etiam nos secundum eius doctrinam esse sensorium, & potissimam oculi partem in suscipiendo, at non in cognoscendo, vt infra dilucidè adapertum euadit legentibus.

Sub eandem conditionem cadit quoque aer, qui in auribus commoratur, quem aliqui implantatum; alij inædificatum, & aliqui natiuum dixe-
C.6. runt, hic sensorium auditus à Gal. vocatur 7. de Plac.Hip.& Plat.his verbis, *Non secus etiam aereo auditus sensu proprias aeris affectiones cogno-*
T.83. *scimus, afficitur autem, atque immutatur, quatenus tali vtitur organo.* & Arist.hæc. *Hic in auribus inædificatus est ad hoc, vt immobilis sit, quatenus certè sentiat omnes differentias motus.* Non est aliquis scriptor Græcus, vel Arabicus, vel Latinus vno excepto Simplicio, qui ausus sit affirmare aerem sentire, etiamsi in textu hæc legantur. *Quatenus certè sentiat differentias motus.* Cum aer, nec pars sit similaris, nec ex sanguine genita, quibus in solis inest vis sentiendi teste Phil.2.de part. Animal. Erit itaque dicendum illud sentire vsurpari hoc loco pro Recipere omnes soni differentias, vel pro Transmittere vt Philop. vel pro Excipere, quod idem cum Recipere sicuti Alex. cum sit omnino immobilis, vel sine sono, quod habemus t.71.sic. *Est autem coloris susceptiuus, quod sine colore, soni autē quod sine sono, sine autem sono est, quod omnino quiescit, scilicet, aer ille immobilis, & inædificatus.*

Vaporosum illud, quod continetur in cerebri ventriculis sensorium esse olfactus alterationem odorum suscipiens habemus 8.de vsu: quod con-
C.6. firmat lib.de instr. olf. his verbis, *Oportet odorum sensorium vaporosum esse potius, quàm durum, & terrestre.* Arist. autem circa hoc sensorium
T.92. fuit; (ni fallor) dubius, & anceps; nam 2 de anima, hæc narrauit. *Tanquā non existente proprio sensorio,* & t.100. *Est autem odor sicci, sicut sapor humidi: Odoratiuum autem sensorium potentia huiusmodi est:* vnde dicendum erit humidum esse sensorium actu: tale enim potentia siccum, & t.130. *Ex simplicibus autem duobus his sensoria solùm sunt ex aere, & aqua: pupilla enim aquæ: Auditus aeris, olfactus verò horum alterius est.* Ac lib. de
C.2. Sen.& Sens. Ipsum esse igneum affirmauit, his verbis. *Oculi quidem visiuū aquæ, ignis autem odoratum, & Tactiuum terræ.* Non pauci interpretes affirmant vnà cum præceptore Arist. Olfactum esse igneum, sed cum actuatus fuerit ab odoribus: mirum est, quomodo Phil. agat hoc in loco de alijs sensorijs, antequam suscipiant alterationem à sensibilibus & de Sensorio Olfactus, postquam fuerit inalteratum: vnde nullus seruaretur nexus, neque proportio in tali narratione. Alex. autem, vt hanc contrarietatem, & inconstantiam vitet, affirmat Arist. loquutum esse lib. de Sen.& Sens. ad mentem aliorum, & vt illis priscis morem gereret: qui cuique sentiendi instrumento ad scribebant elementum, quod omnino alienum est à ratione, si eius verba considerentur, at non tantùm hæsitauit Arist. circa sensorium suscipiens: sed etiam circa partem destinatam Olfactui: nam
98. multis in locis, vt 2. de anima, affirmat esse Nasum, & in alijs cerebrum,
C.2. sicuti lib.de Sen.& Sens. dicens. *Odor fumosa est euaporatio, fumosa autem euaporatio ab igne, quapropter & circa cerebrum odoratus proprium senso-*

rium

rium est: potentia enim frigidi materia est calida, & cap. 5. *Odorabilis autem Sensorium in capite, & odor, vsque ad illum locum pertingit, à quo vnà cum spiritu, quem hauriunt animalia, excipitur.* & Sect. 13. Prob. *Calor, & odores omnes sursum feruntur: tum quia siti in aere sunt; tum quia eorum sensorium supra, non infra habetur: quippe cum odor ad cerebrum penetrans soleat mouere sensionem.* Ab his dilucide euadit apertum proprium Olfactus sensorium in cerebro esse: præcipuè cum hęc non in antiquorum sententiam sint referenda, sed in veram, ac germanam Arist. opinionem: cum duobus in locis libro. scilicet illo de Sens. & Sen. hæc scripta reliquit. *Et de sensitiuis quidem partibus corporis hoc modo sit determinatum.* Dicendum tamen est etiam nasum esse instrumentum odoratus, videlicet, vt defert odores ad cerebrum, & tanquam ductum. hoc legitur lib. 5. de Gen. animal. talibus verbis. *Quæ enim ante suas sensorias partes productiores, veluti aquæ ductus possident, hæc procul sentire possunt: quamobrem, quorum nares porrectæ longius, vt catellorum Laconicorum, hæc valent olfactu; ita enim motus non intergellantur; sed à longe directi sensorium subeunt integri. Auriculæ etiam longæ, imbricataque amplius, quasi grundis, intusque anfractu longiore intortæ, quales nonnullorum quadrupedum sunt, meliùs administrant; quippe quæ motum eminus excipientes ad sensorium reddant.* Nonne apertè demonstrat aures, & nares esse tantummodo ductus excipientes, ac deferentes obiecta sensibilia ad sensoria? cum dicat ad sensoria subeant? integri narrauit Gal. & variis etiam patefecit rationibus, & exẽplo lib. de instr. Olfact. Nasum non esse instrumentum odoratus aduersus Arist. vt ille inquit, sententiam, nec illa adinueniri opercula ab ipso Phil. proposita: quæ omnia breuitatis causa prætermitto.

5. (right margin, beside "odores omnes sursum…")
C. 2. & 5. (right margin, beside "Et de sensitiuis…")
C. 2. (right margin, beside "Quæ enim ante suas…")

Sensorium sapores in lingua suscipiens humidum esse decreuit Galen. impulsore tamen Platone in Dialogo de Natura, qui statuit duos sensus crassissimos esse gustum aqueum, scilicet, & tactum terreum. *Gustatu enim vt 7. de pl. Hip. qui humidus natura, spongiosusque est, sapores nobis innotescunt*, sic 8. de vsu part. ideo si lingua nimis exiccata fuerit, saporum susceptio perit, vt legitur lib. de Inst. Olf. corpora enim humida benè suscipiunt: vnde humiditas illa est in causa, vt facilè sapores coniungantur cum illa. Immo si lingua, & sapores humiditate careant, nullus fit sapor, at si lingua humens, & gustabilia arida, vt aromata, in actũ gustus erumpit. Si verò copiosa imbuta fuerit humiditate, obtusè lingua, ac diminutè gustat, si verò nimis exiccata, proprio munere priuatur, nisi prius humectetur, hoc cognouit Auer. 3. Collig. dicens. *Gustus non indiget medio extrinseco: quoniam est quidam tactus, sentit autem propter humiditatem.* Oportet autem humiditatem illam, vt ratio expostulat, insipidam esse, & omni sapore priuatam teste Simpl. vt recipere valeat omnes sapores, & tantam esse, ne sui copia alios humores impediat. Arist. autem lib. 2. de anima videtur primis verbis omnino auferre humiditatem actu à lingua dicens. Quoniam autem humidum est gustabile, necesse est sensorium ipsius neque humidum esse actu, neque non potens fieri humidum, sed subdit non negans linguam humidam esse sic. *Signum autem est, neque siccam existentem linguam sentire, neque multum humidam.* Concedit igitur aliquam

C. 5. & 6. (right margin, beside "crassissimos…")
C. 6. (right margin, beside "vt 7. de pl. Hip.…")
C. 35. (right margin, beside "ctetur, hoc cognouit…")
T. 104. (right margin, beside "tantam esse…")

aliquam posse habere humiditatem. Ad mentem igitur Gal. atque Simpli.
T. 101. dicemus humiditatem insipidam non impedire receptionem saporum, vt sapor est, sed si copiosa fuerit esse impedimento illis, quatenus sunt in humido tanquam in materia, sic enim decreuit Arist. sed non patitur sensorium gustus ab humido, vt humidum, sed à gustabili, vt gustabile est vt t. 104. Scribitur; affirmandum igitur erit Humiditatem illam esse in causa receptionis saporum, præcipuè si linguæ occurrentia sint omnino humiditatis expertia, & Hæc de sensorijs suscipientibus sensibilium species satis, quæ potius media interna deferentia appellanda veniunt, quam Sensoria. Tali genere sensorii, vel medii interni non est præditus sensus Tactus, nam idem neruus afficitur tangibili, & sentit.

De sensorijs Dignoscentibus quæ secundum Galeni sententiam re vera sunt Nerui. Cap. V.

DE sensorijs sensibilium impressiones recipientibus copiosum sermonem habuimus: nunc in medium afferre aggrediar illa sensoria, quæ illas iudicant, atque cognoscunt; quæ re vera sensoria appellare debemus, cum vis sentiendi, & facultas in ipsis commoretur, hęc si præstanda fides est Galen. dictis, nerui extant in quocunque organo sensui destinato. quod litteris prodidit 7. de Plac. dicens. *Omnium sensuum*
C. 10. *instrumenta neruos postulant molles; dum enim ad motum optimi existunt, molles aũt ad sensum;* Immò, vt cap. 9. legitur, *à duris non fit aliquis per-*
C. 8. *fectus sensus*. Hos neruos sensificos appellauit talibus verbis. *Illi autem sensifici appellantur propriè, qui ad sensuum instrumenta mittuntur, alijs, qui mouent membra, molliores, quod ipsum à natura sapienter prouisum est; quippe sensus fieri non potest, nisi neruus aliquo modo afficiatur, motus verò in efficiendo tantùm consistit; & idcirco qui sensum affert, mollior, quanquam sensus tactus, cuius sensibile crassum existit, omnes etiam, qui motum inducunt, capaces sunt*. Mollities igitur neruorum est in causa, vt facilius ab obiectorũ speciebus, vel ipsorum præsentia efficiantur, & inalterentur, & consequenter cognoscant. & cap. 8. *At cerebro omnia membra & sensum, & motum adipiscuntur, neruis ad sensuum instrumenta pertingentibus, alijs discernendorum sensibilium causa, alijs, vt motum &c.* Et 16. de vsu part. cap. 2. *Nerui vtrasque habent facultates sensum, & motum, & quibus partibus sensu exactiori erat opus, molles natura effecit, quibus motus, duros; molles enim ad patiendum, & duri ad agendum* & 8. de vsu
C. 5. & 1. part. *Sensoria omnia neruum expostulant mollem, neruum, quia is sensuum est instrumentum, Mollem autem, quia, vt sensus fiat ab extrinsecus oc-*
C. 6. *currente Sensorium ipsum afficiatur quodammodo, & patiatur, necesse est, quod molle ad patiendum aptius, prionde sensoria mollibus indiguerunt*. & 7. de Plac. iam citato. *Sensoria alterari possunt sine sensu, sed quæ alterationem percipit, est neruorum participatio*. Sed vt adapertius veritas eluceat, & pertinacia nonnullorum ab eorum mẽte euellatur, deueniendum est, atque descendendum ad sensoria particularia; & quæso animum inducant ad Galeni verba, vt occasio omnis dubitandi auferatur, & è medio tollatur.

tur. Leguntur hæc 8. de vsu part. *Neruus datus est varius organis sensuum secundum eorum actiuitatem: Auditorij enim nerui, si planè duri essent, minus quidem iniurijs obnoxii fuissent, at sensum haberent apprimè obtusum: at si contra fuissent molles æque, vt nerui optici, sensum haberent acutum, & iniurijs essent aptissimi: ob eam itaque causam durior, quã vt actioni ipsi conueniat, neruus auditorius extitit.* Exoptantur ne dilucidiora? Et cap. 5. vbi de lingua, hæc. *Nerui molles ad linguam perueniunt ad saporum dignotionem, & apprehensionem, quæ partibus extimis sapores consequitur, mouetur verò musculis;* parte extrinseca percipere sapores, cognouit etiam Arist. 1. de Hist. animal dicens. *Inest pars sentiendi sapores linguæ, vim istam sentiendi precipuè obtinet parte sui primore: nam si interiore tangat, minus sentiet, & omnia, quæ caro sentire potest, lingua ẽt potest, vt durum, calidũ, & frigidum, sicut & sapores.* Oriũtur illi nerui; sicut legitur 4. de l. aff. *à tertia coniugatione, qui non solũ tangendi, verum ẽt gustãdi vim obtinent.* Talibus etiam neruis præditus est oculus, si præstanda est Gal. dictis aliqua fides quæ leguntur 16. de vsu part. *Tantus certè neruus in vtrunque oculum est infixus, quantus in nullam aliam partium maximarum: nec mollem æquè alibi etiam inuenias; sed soli oculi, (quamuis partes sint minimæ) propter vtilitatis dignitatem maximos simul, & mollissimos neruos habuerunt: nam sensuum aliorum omnium hic est maximè certissimus, vt qui maxima, ac plurima eorum, quæ corporibus insunt, eminus discernat colorem, magnitudinem, figuram, motum, positionem, atque interuallum inter se se, & ea quæ videt, & quæ procul sint dissita, renunciat, iudicatque alia quidem moueri, alia loco manere, alia verò quo pacto inter se se connectantur; & alia quomodo seiungantur, cum igitur sensus in patiendo quidem sit, motus autem, quo nerui mouent cum musculis, in agendo; optimo iure ipsi primo videndi instrumento in oculo neruus mollis; mouentibus verò ipsum musculis durus est insertus.* Et libro 8. Cap. 6. *Producit itaque cerebrum quandam à sese portionem ad humorem chrystallinum, vt eius humoris affectus cognoscat, quæ productio sola meritò meatum habuit sensibilem; quòd sola spiritum animalem continet quamplurimum.* Prius tamen demonstrauit crystallinum alterari à coloribus, qui est sensorium suscipiens. Olfactus etiam sensorium esse neruos (quos nonnullis portiunculas mammillares fortè appellant, vel papillares processus à similitudine ducti) habemus eodem libro capite quinto his verbis. *Sensoria, quæ motu aguntur voluntario, vt oculus, & lingua, duplex habuerunt neruorum genus, non vnum duntaxat molle, vt nares, & aures,* quod etiam confirmat paucis interpositis verbis. *Sunt hi in extremitatibus cerebri; ventriculi enim cacitates quædam sunt, quæ ad hoc munus agendũ ineptæ.* Et ideo c. 6. hæc. *Nã oportebat huius quoque sensus proprium sensibile cerebri portionem alterare.* Pro cerebri autem portione ab ipso vsurpatur neruus, qui nihil aliud est, quàm cerebrum duritie quadam præditum, & consistentia insignitum; & ideo dixit cerebri portionem, qui quidem neruus omnibus cæteris alijs neruis correspondet, etiamsi alijs sit mollior.

Visus.

Olfactus sensus.

Neruos omnia tangibilia cognoscere decreuit multis in locis, sed hoc ratione dilucidè patefacit 1. de motu Musc. his verbis, quæ memoria custodiantur.

C.2. diantur. *Ligamentum omnē sensibile, Neruus aut in omnis sensu præditus; Tendo non ita sensilis vt neruus; ligamenti enim est particeps, vnde neruus quatenus particeps est ligamenti naturæ, eatenus hebetatur acrimonia sen-*
C.7. *sus*. Et 7.de Plac. Hip. *Sensus tactus omnes nerui, etiam qui motum inducunt, capaces sunt.* Et 1.de motu Mus.& in Arte Medica hæc. *Vbi neruus,*
C.9. *ibi sensus, & omnis neruis sensu est præditus, & 5. de vsu part. dum proponit tres scopos naturæ in neruus distribuendis, inquit. Tertius verò ipsius naturæ scopus in nernorum distributione fuit; vt quæ molestiam afferrent, sentirentur.* Adde superioribus verbis nobis demonstrasse omnia sensoria
C.3. esse neruos, & 16. de vsu part. *Et ad cutem totam fibræ quædam à neruis productæ prorumpunt, quæ ipsam carnem cum subiectis partibus connectunt; & simul sensum suppeditant, & vbi pars aliqua exquisitiori sensu eget, natura transmittit neruum & maiorem, & molliorem.* Et lib. de instrumento Olfactus. *Nerui ad instrumentum tactus duriores, & exiliores, ad alia sensoria maiores, & molliores: hi enim ampliori sensu egent.* Sed non satis est ad mentem Gal. hoc apertum fecisse: opus est enim etiā experientia comprobare, pungat igitur aliquis acu neruum omni carne denudatum, & sentiet, si dolore talis neruus excruciabitur; vel neruo admoueat aliquod calidum, aut frigidum excellens, vbi enim est dolor, & ibi sensorium esse tactus ab omnibus certissimum censetur; tristis enim sensus supponit sensum: dicamus igitur neruos esse tactus sensorium, & omne quod sentit sentire, quoniam neruis est insignitum: nisi aliquis, tanquàm inane quoddam affirmet, duo esse sensoria, aut tria tactus diuersa inter se, & substantia, & essentia, quod est maximum inconueniens in Arist. Galenique doctrina: in vnaquaque nanque actione semper est vnica pars, quæ existit princeps, atque præcipua destinata tali actioni à natura: fugit enim illa multiplicitatem partium, & sagax parat tale instrumentum deseruiens tali actioni. ad quid igitur debemus nos affirmare neruos sentire, & carnem, sed neruos potissimum, & principaliter, carnem autem, vt illi distribuitur facultas à neruo; ridiculum re vera; vnius enim sensus vnicum sensorium; quoniam natura, vt 1. de motu Mus. legitur, per similia instrumenta simile operatur, quod litteris mandauit Aristo. lib. de Part. & Gen. animal. Qui tamen circa tactus sensorium, sicut ab eius scriptis habemus, admodum
C.1. fuit ambiguus, & me iudice inconstans: nam esse carnem demonstrat 2. de part. animal. loquendo de Tactu sic. *Quippe qui maximè vim recipiendi plura genera videatur habere, multasque præ se ferre contrarietates sui obiecti, verbi gratia caliditatem, frigiditatem, siccitatem, humiditatem, alias etiam generis eiusdem, & quidem caro in quauis earum qualitatum sentiendarum posita est, aut quòd carni proportione respondet, corpulētissimum omnium partium sensibus accommodatarū est.* Et Cap. 5. dum de seuo, & adipe. *Nam Si totum corpus transierit in adipem, aut seuum, peribit; animal enim ea parte est, in qua sensus habetur. Caro autem, & quod carni proportionetur, vim obtinet sentiendi, sanguis autem, seuum, & adeps sensu carēt.* Et Cap. 8. vbi de carne, hæc. *Principium & corpus per se animaliū est, quod ratione patet: animal enim eo diffinimus, quod sensum obtinet, primumque eum, qui primus est, tactum autem primum esse certum est. Tactus verò*

senso-

sensorium pars eiusmodi est, aut prima, vt pupilla visus, Tactui dari necesse fuit; sola enim aut maximè omnium sensoriorum sedes tangendi corpulenta est, sensui autem patet cætera omnia eius vnius gratia haberi, ossa dico, neruos, cutem, venas, pilos, &c. Et lib. 1. de hist. animal. *Tactus itaque in parte corporis similari consistit, vt in carne, aut in aliqua generis eiusdem, & denique in parte sanguinea. Omnibus tamen parte similari sensum hunc contineri certum est.* Et Cap. 11. quo loco sermonem habet de lingua. *Et omnia, quæ caro sentire potest, lingua etiam potest, vt durum, calidum, & frigidum.* Et libro secundo de anima. *Homo secundum tactum multò quàm cetera animalia excellentias percipit; vnde & prudentissimum animalium est. signum autem & in genere hominum secundum sensorium hoc ingeniosos esse, & non ingeniosos, secundum autem aliud nullum: duri enim carne, inepti mente, molles autem carne ingeniosi.* Non esse autem sensorium carnem probat textu 116 *Omnino autem videtur caro, & lingua, sicut aer, & aqua ad visum, & auditum, & olfactum se habent, sic se habere ad sensorium: ipso autem sensorio tacto neque ibi, neque hic fiet vtique sensus, vt si quis ponat corpus album super oculi vltimum. quare manifestum est, quod intus sit tangibilis sensorium. sic enim accidit, quod quidem in alijs: apposita enim super sensorium non sentiunt. super carnem autem apposita sentiunt: quare medium tactiui est caro.* & lib. secundo, de part. animal postquam mentionem fecit de cæteris sensibus, hæc. *Sed hoc in tactu incertum, propterea quod primum sensorium non caro, non pars eiusmodi aliqua, sed aliquid intimum.* Est igitur non caro. sed quid intimum, vel quid intus, vt 2. de anima t. 109. & tex. 116. Vel carens nomine, sicut legitur. 1. de Hist. animalium sic. *Omnibus verò sensus vnus tactus inest communis itaque pars, qua sentiendi vis ista contineatur, nomine vacat: alijs etiam eadem, alijs ex proportione habetur.* Et in libro de sensu, & sen. Gustus, & Tactus sensorium esse iuxta cor decreuit; *cor enim oppositum est cerebro, à quo oculi generantur:* & subdit. *de sensitiuis partibus hoc modo determinatum.* Et 2. de par. animal. hanc sententiam confirmat sic; *& quam ob causam tangendi, & gustandi sensus ex corde dependeant, dictum est.* Ab his omnibus perspicuum euadit Arist. dubium extitisse circa tactus sensoria, cum varia legantur inter se pugnantia varijs in locis, varijsque in libris. à cuius dictis grauiores eius interpretes, & assectæ coacti, atque impulsi, vt tuerentur magistrum, pronunciauerunt interdum præceptori omnino contraria, & non rarò sibipsis. Exemplo sit nobis Auer. qui cupiens manifestum facere legentibus quid pro illo quod intus, vel intimum intelligat Arist. affirmauit neruos illi fuisse ignotos, dum libros scriptit de Historia, & partibus animalium; & deuenisse tandem in eorum cognitionem, & ideo pro illo quod intus intelligisse neruos. hæc sunt propria verba. *Licet iste sermo sit contrarius sermoni in lib. de animalibus, sed tamē fortè ille sermo fuit secūdum quod apparuit illic, s. quod sciuit de membris animalium in illo tempore, tunc enim adhuc nesciebat neruos, & dixit instrumentum esse carnem. & iste sermo dat instrumento esse istis animalibus tangibilibus intra carnem, & hoc conuenit ei, quod post apparuit per anatomiam scilicet quod nerui habent introitum in tactu, & motu, quod igitur sciuit Arist.*

C. 4.
T. 94.
C. 10.
Et lib. de sensu. C. 3.
C. 2.
10.
Lib. de anima.
2. de anima 108. & 116.

ratione, apparuit post per sensum. Attamen & Auer. hæc memoria non cu
C.13. stodiens affirmauit libro 2. collig. & in alijs locis carnem *Esse instrumentum tactus, & neruos contemperare carnis complexionem*. Alexander autem contempto præceptore dixit carnem esse sensorium tactus, his verbis.
Lib. de anima. *Sed illud quoque in ancipitem quæstionem impellere nos possit; Nunquid caro qualitates tactiles excipere nata sit, & in se tangendi potestatem ha-*
C.40. *beat? an verò intrinsecus aliud quidpiam sit, quod illas excipiat*. Et demonstrat carnem esse organum tactus. cuius opinionem redarguit Themistius lib. 2. de anima. qui tamen propriam sententiam de sensorio tactus in medium non attulit, Philoponus autem carnem appellauit & medium, & organum. sed de his satis. dicamus igitur cum Gal. neruos esse primum, & præcipuum sensorium tactus, & ingenij esse infirmi quærere in illis rebus rationem, in quibus sensus apertè id, quod quæritur, patefacit, atque demonstrat. sed instabunt nonnulli fortè dicentes neruos esse natura frigidos & siccos; & ideo omnino præter rationem esse arbitrari illos esse tactus sensorium, quod in mediocritate quadam consistere est rationi consonum; quapropter affirmauit Arist. 2. de anima.
T.119. *Oportere id, quod debet sentire album, & nigrum, neutrum ipsorum esse actu, potentia verò vtrumque, sic autem & in alijs, ita in tactu, neque calidum, neque frigidum*. & ante.
T.118. *Vnde simile calidum, & frigidum aut durum, & molle non sentimus, sed exuperantias: tanquam sensu, velut medietate quadam existente eius, quæ in sensibilibus, contrarietatis, & propter hoc discernit, & iudicat sensibilia; medium enim iudicatorium, fit enim ad vtrumque ipsorum alterum vltimorum*: duo possumus nos in medium tali obiectioni afferre responsa: Primum, neruos posse cognoscere & calidum, & humidum in quocunque gradu reperiuntur, cum omnino talibus sint denudati, nec non etiam frigidum, & siccum, sed non omne, sed illud tantum, quod respectu illorum sit excedens, & exuperans: simile enim vel æquale sibi, vt notum fecit Plato in Timæo, & Arist. non cognoscit sensorium: secundum, affirmamus nos frigiditatem, & siccitatem neruorum reduci ad mediocritatem quandam à contactu finitimarum partium, vt à carne, quæ calida existit, atque humida, & præterea à calore arteriarum, atque venarum, quæ et omnia tuentur sensorium à vehementia tangibilium occurrentium, ne tristi sensatione interdum afficiantur. Arterias, atque venas misceri cum neruis docetur 16. de vsu part. his verbis. *Commiscentur autem arteriæ venis, & venæ arterijs, & vtraque hæc neruis, & his ambobus nerui in toto corpore animalis, quod multis locis clarè deprehendunt ij, qui accuratiùs in dissectionibus versantur*. Ab his igitur temperati euadunt nerui, vt cognoscere possint sensibilia omnia; attamen omnes sentiunt carne etiam priuati, vt experientia demōstrat, sicut etiam membranam cerebrum ambiens ob eorum participationem sensu tactus prædita existit, quæ mediocrem calorem forinsecus aduenientem sine aliqua molestia sentit; sed præcipue hoc sensu exornatur cutis, quæ nihil aliud est, quam neruus sicut narratur lib. 1. de temp. sic
C.vlt. *Cutis temperata existit in calore, & frigore, & duritie, & mollitie. est enim veluti Neruus sanguine præditus, vnde est inter neruum, & carnem medium. & Nerui molles in humiditate, & sic-*

citate

citate mediam naturam habent. Cutem etiam neruosam esse scribitur 3. de loc. aff. & ideo 15. de vsu part. affirmauit Gal. *tantummodo sentire, sed non habere motum voluntarium, sic & membranæ tunicæ; recipiunt enim neruos*. Sed cutis maximè manus, vbi perfecta est tangendi potentia, temperie media prædita est, vt 4. de simpl. med. facul. impossibile est igitur aliquam partem sentire, quæ neruorum non sit particeps, exquisitiùs autem, aut obtusiùs sentit secundum eorum mollitiem, aut copiam; dummodo pars non sit aliqua callositate obducta. Ab omnibus iam narratis manifestè cognoscitur partes cognoscentes esse neruos. quod fatetur etiam Auer. loquens de lingua, sic. *Nerui linguæ fuerunt facti ad cognitionem saporum*. & vbi de auditu. *Primum, in quo est auditus, est neruus, qui venit ad aures*. & cap. de Neruis. *Odoratus fit in primo pari neruorum, quod exit à cerebro*. Philoponus etiam inter Græcos vir celeberrimus ponit in naribus neruum olfactiuum, qui est organum olfactus, totum autem nasum esse recipiens, statuit in auribus similiter esse neruum deriuatum à cerebro, in quo reperitur spiritus auditorius. sic & Auic. 6. natural. cap. de auditu. cognouit etiam Alex. esse præter sensoria, quæ nos recipientia vocamus aliquod aliud corpus cognoscens cuius verba. *Veriùs sanè dixeris carnem esse sensorium analogum, ac simile auribus, oculis, & naribus: intrinsecùs verò aliud corpus haberi, quod sentiendi tactilis facultate fungatur, sitque in sensibilibus omnibus idem subiecto, namque sicut in his sensus gignitur, vbi id, in quo primum vis sentiendi, à sensorio quid patitur: eodem pacto aliquid, quod in nobis est, à carne quid patitur, & sentiendi fit causa*. Quid autem hoc exitat, nullo in loco decreuit, nisi dicamus ad eius mentem, vt in Probl. tale esse neruos, in quibus fieri sensum sæpe, atque sæpe pronunciauit.

C.2. | 1. de tēpe. | 1. Collig. | C.16.

Neruos secundum propriam eorum substantiam sentire, & non propter tunicam eos ambientem, vt falsò multi putant, statuitur, sic & omnia sensoria à cerebro dependere. Cap. VI.

ADmiratione re vera est dignum, quomodo nonnulli, qui Gal. profitentur sequi vestigia, audeant asserere substantiam nerueam non esse præditam sensu, sed tantummodo inuolucra illa, quæ neruos ambiunt, & custodiunt, immò interdum & isti in grauius labuntur erratum dicentes, & carnem, sentire duo statuentes tactus sensoria; Ignorant hi, ni fallor, vsum talium membranarum, nec non etiam neruorum actionem. patefecit Gal. substantiam nerui sentire, & inuolucra ad eorum tutelam fabrefactā fuisse varijs in lib. sed præcipuè 7. de Plac. Hip. sic. *Cum igitur nerui à cerebro, & membranis ipsum operientibus oboriantur, per interiorem partem, quæ à cerebro exit, sensus, & motus suppeditatur, reliquæ duæ exteriores à membranis progerminantes idem Officium neruo exhibent, quod ipsæ membranæ cerebro præstant. vnde quamuis vtrasque à neruo, detraxeris nullam noxam contrahet membrum id, quod neruus pertingit*. Hæc certam fidem faciunt membranas ad tutelam à natura fuisse neruis tributas, & non ad aliquam sensationem faciendam: quoniam etsi illæ auferantur à

C.3.

neruis, ſenſum non amittit illa pars, ad quam illi ſic denudati perueniunt: certum argumentum neruos inſignitos eſſe ſenſu, & non per membranas ſentire. hæc eadem repetit dices. *detractis membranis ambientibus neruos nullam læſionem contrahet membrum, ad quam perueniunt; vim.n. ipſam & ſenſus, & motus in internis partibus eſſe teſtatur: nam ſi præcidas nerui medullam; continuò membrum ſtupidum & immobile redditur.* præterea organa cuiuſcunque ſenſus debent trahere originem ab ipſo cerebri corpore vt lib. 12. de vſu p. Sed quis dixit membranas ab illo naſci? adde demonſtraſſe Gal. duo eſſe genera neruorum, quorum aliqui dicuntur motorij, & aliqui ſenſifici, primi duri extant, & ſecundi molles, mollitiem, & duritiem ad cerebri ſubſtantiam pertinere, & non ad membranas certiſſimum eſt; nam mollitiem à cerebro anteriori adepti ſunt; ſubſtantia enim illius tali parte mollis, & duritiem à poſteriori, quæ anteriori durior. nerui igitur ſecundum propriam ſubſtantiam ſentient, & non per membranas, quod etiam ſuperioribus cap. demonſtrauimus, at vt omnis auferatur dubitandi occaſio, imponant hi internæ ſubſtantiæ alicuius nerui aliquod mordicans medicamentum, & audient miſerum ægrotantem acerbo dolore excruciari, quod ſæpe, & ſæpe notiſſimus vir inter Anatomicos obſeruauit.

C. 8.

C. 1. & 2.

Senſoria omnia non tantùm ab ipſo cerebro depēdent, propterea quod facultas illa, quæ omnium ſenſationum eſt potiſſima cauſa, ad ipſa tranſmittatur: ſed etiam propterea quod partes dignoſcentes ſenſibilia obiecta, quæ ſenſoria appellantur, quæ ſunt nerui, ab ipſo originem ducunt. Imò illi, & cerebrum eadem ſunt ſubſtantia donata, ſi credendum Galen. hæc narranti lib. 8. de vſu p. *Nerui omnes conſiſtentia cerebro ſunt duriores, non quòd ex alio quopiam ſubſtantiæ genere ſint, & omnino diſcrepantes: ſed quòd eandem quidem cum cerebro naturam habent, ſiccitate tamen, & denſitate ab ipſo diſſideant.* & ideo 1. de Motu Muſ. dixit neruum eſſe ipſum cerebrum denſatum. Oriuntur omnes nerui ſenſorij a parte anteriori, at a poſteriori parte, ſiue cerebello motorij, etiamſi aliquos etiam à poſteriori in arte Parua decreuit. Originem horum omnium ante oculos nobis, poſuit eodem lib. de vſu. p. ſic. *Quia vero neruorum oportet duplicem eſſe materiam, duplex etiam cerebrum extitit, mollius quidem anterius, reliquum autem durius, quod anatomici cerebellum vocant, quæ dura meninge duplicata dirimuntur, & per meatum ſolum, qui ſub capitis vertice eſt, & corpora meatum ipſum ambientia coniunguntur. Mollius anterius oportebat eſſe, vt quod principium neruorum mollium ad ſenſus inſtrumenta pertinentium eſſet futurum.* Operepretium autem erat hos eſſe molles, vt multis in locis legitur, vt facilius ab obiectis immutarentur: quod enim molle facilius, & expeditius duro ſuſcipit, & tranſmutatur, & ideo iſti magis ad patiendum, & duri magis ad agendum fuerunt à natura comparati, habent ergo ſenſoria omnia materiale principium ab ipſo cerebro, nec non etiam facultatem illam, ob quam nerui ſenſorii vocantur, quorum alterationes ad cerebrum in quo commorantur principes potentiæ, ſeu rectrices perueniunt, vel ab illis perfectè, diſtinctè, & cum aliqua ratiocinatione ſpecies rerum ſenſibilium cognoſcantur, quæ omnia reſpiciens

C. 6.

C. 6.

ciens Galenus hæc memoranda verba nobis reliquit, dum sermonem fecit de cerebro lib. de Plac. quæ *Nisi enim ab hoc, & ad hoc alteratio, quæ in vnoquoque fit sensorio peruenerit, nihil amplius animal sentiet, & paulo ante nihil ex ipsius crystallini alteratione assequemur, nisi imaginatio, ratiocinatio, & memoria eius alterationem sentiat.* Sed hæc dilucidabuntur capite duodecimo.

Quid sit sensibile obiectum, & quomodo tria realiter inalterent sensorium, explicatur, & quot requirantur à parte sensibilis conditiones, vt Sensorium sine noxa ipsum sentiat. Cap. VII.

OMnes Philosophi, nec non etiam Medici illud esse sensibile obiectum statuerunt, quod potest inalterare sensorium, & ipsum reddere quale illud existit: *Sensitiuum enim docente Aristotile, fit tale, quale iam actu sensibile, patitur autem non simile existens, passum autem assimilatum est, & est quale sensibile.* Introducit igitur, vt hæc verba denotant, sensibile in sensorium aut qualitatem quãdam, vel sui ipsius imaginem, quam formam spiritalem, vel intentionalem speculatiui appellant: quamobrem non pauci dixerunt sensibile esse causam efficientem, & generantem aliquid de nouo impulsi tamen à Phil. dicitur enim sensibile effectiuũ actus sentiendi, sicut Themistius asserit. non quòd iudicium sensationis efficiat, sed quoniam aliquam alterationem sensorio infert, qua excitatur iudicandi, atque cognoscendi actus, & ideo sensibilia vocauit irritamenta sensus. 2. de ani. T. 62.

Hæc sensibilia gemino distinguuntur ordine: quædam enim propria vocantur, & quædam communia, illa propria à Platone in Theęteto censentur, cuius sententiæ subscribit etiam Arist. quæ ab vnico sensu cognoscuntur, & ab alio minimè sentiri possunt, & circa quæ non contingit decipi, non alteratur enim docente Gal. 8. de Vsu par. à quolibet sensibili quodlibet sensorium, sed determinatum à determinato, vt visus à coloribus, auditus à sonis, gustus à saporibus, olfactus ab odoribus, & tactus à tangibilibus: sunt enim singula sensoria à natura ita disposita, vt à tali sensibili solùm immutentur, atque patiantur. Communia vocantur Motus, & quies, numerus, figura, & magnitudo, ab omnibus enim sensibus cognoscuntur, etenim aliquis motus tactu, & visu est sensibilis: enumerauit hæc omnia exquisitissimè Gal. 16. de vsu par. dum de visus præstantia verba facit dicens. *Discernit colorem magnitudinem, figuram, motum, positionem, & interuallum inter illa, quæ cernit, & quomodo coniungantur, & quomodo alia seiungantur.* Maximè autem cognoscuntur sensibilia communia à sensu visus, postea à tactu, imperfectiori modo ab aliis, vt experientia demonstrat. 2. de ani. T. 63. C. 6. T. 64.

Immutant sensibilia sensoria, si credendum est philosopho non secundum propriam realitatem atque naturam, sed imprimunt eorum vestigia, & propriam imaginem, sicut in cera annuli signum inducunt sine ferro, & auro: vel sicuti res coloratæ in speculo conspiciuntur cum tali figura, & magnitudine, etiamsi illæ speculum non tangant, sed medio aereo earum. T. 122. 138.

species.

species illi communicentur, quam speciem rei sensibilis disputantes dicunt Arist. autem t. 121. formam sine materia. ego autem vestigia multorum medicorum sequens affirmare audeo impulsore tamen Auic. præstantissimo philosopho, atque Medico non omne sensibile mouere sensum intentionaliter, sed aliquod eorum suscipi in sensorio realiter, & ad huius axiomatis dilucidationem statuo sensibilia obiecta terno distingui delectu, atque discrimine: Nonnulla enim horum occurrunt sensui omnino intentionaliter, & omnino separata à proprio subiecto: Aliqua partim intentionaliter, & secundum aliquam conditionem realiter: & Aliqua omnino realiter immutant partem destinatam sensui. Penitus & respectu medij, & organi separata à realitate sunt obiecta visus. Medio modo se habent auditum mouentia, realiter enim multiplicatur sonus in aere, & in sensorio recipitur intentionaliter. Realiter inalterant sensorium Tangibiles qualitates etsi non omnes, vt durum, molle &c. Sapores linguam, & olfactus organum odores: nam non est negandum totam aliquam partem, sicut est manus, calefieri, aut frigefieri, in qua necessariò sensorium tactus, cum sit corpus aliqua temperie donatum, tali calore, aut frigore infestabitur, immò & eius contactu occurrentia calefacit, aut frigiditate afficit, sicuti experientia quotidiana demonstrat, quod minimè euenire potest, si forma illa, aut vestigium intentionale inalteret sensorium, talis enim forma nec calida, nec frigida existit: hoc idem, & circa gustabilia contingit: nam interdum ob impressionem in lingua alicuius molesti saporis, coacti sumus, & linguam detergere, & aqua illam abluere, in qua illi sapores realiter linguam iam infestantes, si aliquis periculum faciat, inueniuntur, hæc manifestum faciunt aliqua sensibilia realiter sensorium immutare: attamen non est arbitrandum, vt omnes philosophantes affirmant, sensorium, vt sensorium est, realiter ab ipsis inalterari, sed tantùm intentionaliter, sed vt corpus quoddam realiter: aliqui attamen statuunt in his tribus sensibus non esse inconueniens, cum sint quoquomodo materialia, & crassiori substātia insignita sensoria, quàm alij duo, transmutari realiter ab obiectis, & illa sentire, vt re vera sunt, sed postea intentionaliter, & secundum speciem spiritalem repræsentari internis potentijs, & cerebro: quoniam caliditas realis cerebrum non calefacit, nec gustus sapor ipsum realiter inalterat, sed hæc satis.

6. Nat. C. 3.

Varia requiruntur à parte obiecti sensibilis, vt sensorium perfectè illud cognoscat, & sine aliqua sensorij læsione in vltimum erumpat actum, quæ tamen omnia vnicuique sensorio non conueniunt. P. sensibile sit propriū: agens enim vnumquodque promptè semper agit in id quod aptum est ab ipso alterari, & ideo decreuit Gal. determinatum operari in determinatū, sicuti colores in crystallinum, tanquàm diaphanum. S. desideratur distantia quædam in nonnullis, & debitum interuallum, vt sensibilis species sensorium ferre possit, si enim maximè distent, abolebitur sensibilis vestigium, dummodo non sit admodum præstans, & excellens. T. sed hoc satis non est; oportet enim sensibile, (at hoc non in omnibus) situ aliquo conuenienti collocatum esse: visus enim sensorium solùm ea, quæ è directo, perfectè cernere potest. Q. adde sensibile positum supra sensum in

quibus-

quibuſdam non excitare ſenſationem (etiamſi ſecundum Ariſt.2. de ani-
ma in omnibus hoc veriſſimum exiſtat) nam ſi credendum eſt Alex.medio T.115.
intercedente ad ſenſoriorum miniſteria commoda, & apta ſenſibilium ſu-
ſceptio præbetur. Q. ſit obiectum permanens; nam ſi huc, atque illuc mo-
ueatur, deprauatam, & inordinatam ſuſcitabit ſenſationem: quoniam
fallimur teſte Ariſt.lib.de Inſom.dum ſenſibile mouetur, exemplo ſit no-
bis viſus,qui ſæpe,atque ſæpe à veloci motu viſibilis decipitur. S. Moleſtiã C.7.
infert ſenſorio,ſi ſit excellens,ipſum turbat,& corrumpit,quod litteris tra-
didit Gal.1.de ſymp. Cauſ. ſic. *Turbantur ſenſoria à ſenſibilibus proprijs,* C.6.
*vt lingua ab amaris, auditus à tonitruo, viſus à fulgentiſſimo colore, & ta-
ctus à qualitatibus tangibilibus excedentibus.* Cauſam autem, ob quam
ab excellenti ſenſibili corrumpatur,in medium adducit Phil.t.123.dicens.
*Soluitur enim ratio partis, ſicut conſonantia & tonus percuſſis fortiter chor-
dis.* Grauiores philoſophi intelligunt pro ratione partis temperamentum,
atque naturam partis,in qua exiſtit ſenſus,quæ procul omni dubio à mix-
tione elementorum emergit: ſed mirum eſt,quo pacto ſpecies ſenſibiliũ,
quæ immateriales,& intentionales à philoſophis cẽſentur,ſenſorium cor-
rumpant, cum corruptio à contrario reali deſtruente excitetur, & non à
perfectiua alteratione:reſpondent varij huic obiectioni diuerſis, multiſq;
modis: nam Philoponus,atque Alex. aſſerũt ſenſibile corrumpere ſenſum
per accidens, non vt ſenſibile eſt, ſed vt ei annexa exiſtit aliqua primarum
qualitatum: à ſpecie enim coloris nullo modo ſenſorium diſſoluitur, ſed
ab eo, quod illi vnitum eſt, hoc idem reliquit ſcriptum Auer.7. Methap. 31.
dans exemplum de odore,qui quidem odor, non, vt ſpecies ſpiritalis agit
enſum corrumpendo,ſed virtute qualitatis alicuius primæ,quam ſociam
habet, deſtruentis partis temperamentum, & ſic de alijs ſenſorijs. Sen-
ſum autem tactus decernendum venit à qualitatibus tangibilibus primò,
& per ſe, cum modum excedunt,corrumpi, cum ille in ipſarum mediocri-
tate realiter conſiſtat. Alij, ſicuti D. Thomæ aſſeclæ non tali modo Ariſt.
placitum,atque ſententiam dilucidant,atque exponunt, opinionem quo-
rum breuitati ſtudens omittam. Gal. verò non eſt arbitratus excellentias
ſenſibilium corrumpere ſenſum, quoniam aliqua primarum qualitatum,
vt primæ ſunt, proportionem partis, ſiue temperamentum tranſmutent;
ſed propterea quòd omnia ſenſibilia excellentia vim habent diuellendi,
ac diuidendi partem, ad cuius vnitatis ſolutionem multa ſenſorio incom-
moda eueniunt: ipſius enim ſubſtantia rareſit,temperies vitiatur, inſitus
calor vnà cum ſpiritu animali ad illam partem influente euaneſcit, hanc
eius fuiſſe ſententiam legitur 1.de ſymp. Cauſ. vbi. *Quippe res, quæ conten-* C.6.
*dunt, aut intendunt, aut pungunt, aut ſecant, planè inter dolorum cauſas ve-
niunt enumerandæ; nam ſectio, & ruptio dolorem infert, dum ſiunt, non poſt-
quàm facta ſunt Porro guſtandi quoque inſtrumentum, tactione quatenus
participat, à iam dictis cauſis diuellitur, quatenus verò ad Guſtum propriè
pertinet, ab amaris, acidis, acerbis, atque acribus: quandoquidem horum
ſingula, vt demonſtratum eſt, continuum diuidere poſſunt; & à prædictis
humoribus reſoluti vapores odorationem quoque infeſtant; etenim & ipſi
continuum diuellunt; auditionem verò turbat vox aſpera, grauis, maxima,*

&

& celerrima, & cum hæc omnia in terrifico tonitru coire videantur, accidit, vt nonnulli audiendi facultate priuati omnino surdi euaserint; quippe violentus strepitus audiendi instrumentum diuellebat, at visum quoque illustrissimi splendores & offendunt simul, & corrumpunt; eo quòd discriminandi, atque discutiendi vim plurimam obtinent, atqui discriminantia ad diuidendi genus pertinent. Et ideo postquàm hæc omnia narrauit hæc subiungit ad mentem Platonis. *In omnibus verò sensibus vnum commune deprehenditur, nempe pathos, quod molestum est, in discretione simul, & diuisione continui, vniusque corporis consistit, si modò Affatim inciderit, Affatim verò dico, si vehemens fuerit simul, & repentinus occursus.* A Galen. igitur dictis firmiter asserere debemus excellens sensibile corrumpere, atq; vitiare sensorium; quoniam eius vnitatem diuellit, atque distermin at: magis autem noxam ei inferret, si eodem tempore præditum fuerit aliqua primarum qualitate insigni, & insolenti motu, ac violento sensorium percutiat.

De medio obiecti sensibilis, quod negamus in sensu Tactus & Gustus reperiri. Cap. VIII.

t.75.76.& 115. MVlti litteris tradiderunt impulsore tamen Peripateticorum Magistro lib. 2. de anima medium esse necessarium in quacunque sensatione facienda, qui, vt subterfugiant hanc sententiam validissimas rationes destruentes, duo constituerunt genera medij adinueniri, vnum externum, alterum verò internum, primum affirmant esse externum, secundum autem cum sensorio, hæc nos docet Arist. t. 114. & 115. dicens. *Vtrum igitur omnium similiter sit sensus, an aliorum aliter, sicut nunc videtur gustus quidem, & tactus tangendo; alij autem eminus? hoc autem non est, sed durum, & molle per alia sentimus, sicut & sonatiuum, & visibile, & odorabile, sed alia quidem eminus, alia verò cominus. Sed differt tangibile à visibilibus, & sonatiuis; quod hæc quidē sentimus, eo quòd medium mouet aliquid nos, tangibilia verò non à medio, sed simul cum medio.* Quæ patefaciunt, vt illi asserūt medium aliud esse externum, & aliud internum, quodnam autem sit tale medium in doctrina Arist. ignoratur: nam t. 114. affirmauit ille in sensu tactus, & gustus latere: attamen t. 116. probat hoc esse carnem dicens. *Apposita supra sensoria non sentiunt: super carnem apposita sentit, quare medium tactiui caro.* Argumentum desumptum à sensorijs alijs tribus, sed præcipuè à visu, cum tex. 116. hæc. *Vt si quis ponat corpus album super oculi vltimum non videbit, sic & in alijs.* Nec aliam adducit rationem probantem indigentiam medij, quæ quidem similitudo non concludit de necessitate: nam sensibilia auditus, & olfactus non possunt occurrere sensorio sine aere ipsa deferente, nec visibile sine lumine ab oculo cerni potest, hæc affirmat ille t. 76. sic. *Medium quidem sono est aer, immo sonatiuum, vt t. 82. Est quasi motiuum aeris vnius continuitate vsque ad auditum: sic & odor siue sit fumida euaporatio, vel aliquid aliud ferit sensorium mediante aere.* Nec sine lumine colores possunt mouere visum, sicut Plato multis in locis dicens nihil visibile sine igne, quem secutus est

Arist. lib. iam dicto, vbi scribitur. *Vnde non est visibilis sine lumine, sed omnis color in lumine visibilis, & ideo si quis ponat corpus coloratum supra oculum, non videbit animal, quia nullum erit inter tale corpus, & oculum lumen: hoc enim ipso teste 3. de anima quodammodo facit colores potentia existentes, actu colores*. Expostulant igitur hæc tria sensibilia medium, sed visibile vltra medium & lumen requirit, quæ quidem medij necessitas à parte sensibilis emergit, non autem à parte sensorij principaliter. Præterea quæcunque sunt remota à nobis, mouere minimè possunt sensoriũ. nisi ipsum tangãt: ut hoc cũ sit impossibile, mediũ necessariũ existit, quod ab ipsis inalteretur, quod postea inalteratum nos moueat, quod respiciens Arist. hec pronunciauit 2. de anima, *à sono, & ab odore medium mouetur, & ab hoc sensorium*. Auer. autem lib. de sensu, & sen. aliam statuit esse causam indigentiæ Medij, quæ est sensibilis cum sensu quædam assimilatio, atque conuenientia: quoniam cum sensus existat facultas quædam spiritalis, & obiecta omnino sint corporea, atque materialia, necessarium fuit esse medium, quod quidem inalteretur intentionaliter, & postea ab ipso organum sensus. sed hoc non est concedendum in omnibus sensibilibus, atque sensibus, qui indigent medio externo; nam odor ad sensorium olfactus defertur realiter vnà cum aere, & non secundum nudam eius speciem. Sensoria præterea & tactus, & gustus à realibus obiectis inalterari nemo dubitat, vt iam abundè demonstratum est. medium igitur non suscipit obiectum à materia, & realitate seiunctum in omnibus sensorijs, vt fiat illa cognatio ab Auer. proposita. quapropter nos Auic. sequentes vestigia lib. 6. Natur. negamus in sensu tactus, & gustus adinueniri: sapor enim & tangibile non indigent ad eorum contactum faciendum aliquo medio; cum hæc realiter sensorium inalterent. Ad quid quæro medium? nisi dicamus à vehementi occursu talium sensibilium sensorium nimis interdũ affici, atq; lædi, si pars interno medio priuata esset. sed hoc non esset auferre sensationem, vt Arist. statuit, sed afferre tristem, atque molestum, quæ supponit sensum: vbi enim sensus tristis, ibi sensus. sed quis ignorat neruum denudatum à proprijs tunicis, atque carne sentire? & si excellens fuerit sensibile, dolore affligi? quis cerebri membranas? quis illas, quæ ossibus adiacent? sub quibus immediatè est os. forte ossa erunt sensorium tactus, cum talis indigeat aliquo medio interno, minimè, cum ossa terrea, omnino sensus expertia, vt Arist. ipse: ergo concludendum erit membranulam illã sensu tactus præditam esse, & sine medio sentire; si enim acus cuspide tangamus illam, confestim maximus dolor suscitatur, at si admoueamus aliquod molle placidè, aut tepidum, percipit talia sine aliqua læsione. Dicemus igitur aduersus peripateticos ad mentem Medicorum sensum tactus, & gustus non indigere aliquo medio, nisi fortè dicamus aliquo operimento atque propugnaculo, ne aliquando à vehementia sensibilium aliquam noxam patiantur, mihi suadent Arist. quoque post multa, atque multa, quæ varijs in libris proposuit, tali fuisse sententia lib. 3. de anima, illa, quæ ibi leguntur sic. *Omnia autem per aliud sentiendo faciunt sensum, & per medium: Tactus autem in tangendo ipsa hoc nomen habet: attamen & alij sensus sentiunt, sed per alia. hic autem videtur solus per seipsum*.

T. 67. te. 18. T. 75. P. 2. C. 5. T. 66.

Q Quid

Quid clarius? cum dicat tactum in tangendo ipsa tágibilia sentire, sed alia per medium: si tangit ipsa sensibilia. ergo non requiritur medium: non tangeret enim sensibilia, sed prius medium, & postea medium illud: nec obstat huic rationi, si fingas medium esse internum, & vnà cum sensorio, si enim est aliquod medium inter tangibile, & tactus sensorium, necessariò prius immutabitur medium à tangibili, deinde sensorium. quod è medio tollit Phil. dicens. *Hic autem solus per seipsum*. Si per seipsum, ad quid medium? per medium benè concludit cetera sensoria sentire.

Sensus particulares cognoscere propria obiecta ad mentem Galeni, atque Aristotelis demonstratur. Cap. IX.

NOn pauci re vera præstantissimi, atque doctissimi Medici statuerunt Gal. affirmasse sensus particulares proprium sensibile non cognoscere, sed facultatem in cerebro commorantem hoc munere fungi. quod quidem omnino eius placitis repugnat. Nam lib. 1. de Temp. hæc posteritati
C. 2. scripta reliquit. *Rerum sensibilium non est alius melior iudex, quàm sensus, vt calidi Iudex est Tactus, sic de colore, vt nix an candida, Oculus, vocis aures, & de omni tangibili sensus Tactus: quòd enim actu, aut energia calidum tactu cognoscitur, quod potestate tale, illud à ratione*. & eodem libro hæc. *Quicumque dicunt sensus non cognoscere sua sensibilia in Pyrrhonis dubium turpiter incidunt*. Quot circa hoc lib. de Olfactu? Quot lib. de facul. simp. medic. patefacientia adapertè hanc sententiam? præterea nonne demonstrauimus ad eius mentem neruum esse tributum vnicuique sensorio, vt cognoscat propria sensibilia, & eius differentias. & ad quid statuisset ille duo genera neruorum adinueniri? quorum quidam sensifici appellentur, & quidam motiui ab ipso, qui tributi sunt partibus, vt sentiant. Adde in vnoquoque sensorio esse voluptatem, & dolorem, quæ sine cognitione illius minimè fieri possunt. Ad hæc facultas illa, quæ à cerebro ad sensoria migrat per neruos, si nō est illis tributa ad cognitionem, quænam erit eius actio. sed vt omnis ansa dubitandi pertinacibus auferatur, hæc
C. 7. legant, quæ scribuntur 7. de Plac. Hip. sic. *Plerique enim sunt sententiæ, vt dicant alterationem illam ab impellentibus rebus factam per neruū ad principalem animæ partem distribui, atque ita in cognitionem rerum nos venire: non intelligentes nullum nos doloris sensum in eo membro, quod vel cæderetur, vel confringeretur, vel adureretur, habituros fuisse, nisi in eo aliqua sentiendi facultas inesset: aliter igitur, vt illi opinantur, veritas se habet. ipse si quidem neruus, cerebri pars cum sit, sicuti arboris virga, aut ramus, efficit, vt membrum, in quo inseritur, vi eius in se tota recepta habile ad omnia, quæ ipsum attigerint, sentienda reddatur*. ante Gal. etiam hoc decreuit
T. 63. Arist. 2. de anima quo tex. narrat quot modis dicatur sensibile sic. *Dico autem proprium sensibile, quod non contingit alio sensu sentiri, & circa quod non contingit decipi, vt visu coloris: sed vnus iudicat de his, & non decipitur, quod color sit, neque quod sonus, sed benè quid sit coloratum, aut vbi, & quid sonans*. & t. 118. vbi de Tactu hæc. *& propter hoc* (videlicet quia temperatum, vel medium inter extrema) *discernit, & iudicat sensibilia*. at non

solum.

ſolum ſenſus cognoſcit proprium ſenſibile, ſed etiam omnes eius differentias, vt t. 144. vbi. *Vnuſquiſque igitur ſenſus ſubiecti ſenſibilis eſt, ineſtque ſenſorio, inquantum ſenſorium, & diſcernit ſubiecti ſenſibilis differentias, vt album, & nigrum viſus, dulce, & amarum guſtus, ſic & in alijs.* Et ideo t. 107. decreuit quemlibet ſenſum vnius eſſe contrarietatis, vt auditus grauis, & acuti. Cognoſcunt igitur ſenſus propria ſenſibilia, nec circa illa decipiuntur, niſi circa communia, vnde t. 161. affirmauit ſenſum propriorum obiectorum ſemper eſſe verum, & aliorum eſſe falſum: ſi non decipiuntur circa propria; ergo illa cognoſcunt: quibus enim conuenit deceptio, neceſſario illis & cognitio: Adde ſenſorium non dici ſenſorium, in quo non eſt ſentiendi potentia, vt t. 121. Non abborret à ſententia Ariſt. & Gal. Plato multis in locis, ſed præcipuè in Charmide, vel de Temperantia, quo loco quærit, ſi aliquis ſenſus ſeipſum cognoſcat. Affirmare ergo debemus ſecundum nobiliorum ſcriptorum ſententiam ſingulos ſenſus propria obiecta cognoſcere: niſi aliquis paſſione aliqua impulſus auderet vſurparè verba illa tam nota, & adaperta improprijſſimè, vt cognoſcere, & ſentire, & iudicare, & Diſtinguere pro Recipere; & Decipi pro malè Recipere, & exconſequenti ſimili modo dilucidandi, vel potius obfuſcandi, & peruertendi vera placita tantorum virorum, quem aliquis non ſomniauit, dici ſenſum & verum, & falſum: quocirca ad talium mentem aſſerendum eſſet ſenſus tantùm ab obiecto inalterari, ſed ipſum non cognoſcere, quod omnino aduerſatur Gal. eorum, vt dicunt, præceptori, qui appellauit ſenſum non alterationem, ſed alterationis dignotionem, cui opinioni ſubſcribit et Alex. Aph. lib. 2. de anima, vt primis Cap. patefeci. ſed audio aduerſarios in mediũ afferre verba illa, quæ narrantur 8. de vſu par. ad quæ tanquã ad ſacrã anchorã confugiunt, quæ. *At nihil ex chryſtallini* C.6.
alteratione aſſequeremur, niſi imaginatio, ratiocinatio, & memoria, quæ ſunt animæ principes facultates, eius alterationẽ ſentiat. Certiſſimũ equidem eſt, vt doctiſſimè profert Gal. nos non aſſequi aliquid ab ipſis ſenſibus quò ad perfectã, & diſtinctam cognitionẽ quæ ab anima abſente obiecto ſenſum mouente fabricatur: hæc. n. imaginatione, ratiocinatione, & memoria ſimulachra ſenſibiliũ ſeruante ſuſcitatur: non. n. ſatis eſt homini cognoſcere aliquid præſens, ſed quid in futurũ circa tale agendum præuidẽdo, ac prouidendo; quæ omnia aſſequimur tribus illis internis potentijs: quænam enim eſt operatio imaginationis, vt imaginatio exiſtit circa particularia ſenſoria, vt circa auditum? quænam ratiocinationis? & quænam memoriæ? hæc enim præteriti eſt temporis, & ſenſus præſentis temporis tantùm, qui ſolùm percipit ſine aliqua ratiocinatione proprium obiectum, vt tale exiſtit. Vnuſquiſque igitur ſenſus propriũ cognoſcit obiectum, quod dilucidiſſimè litteris prodidit Gal. lib. 1. de ſymp. Cauſ. ſic. *Singuli ſenſus in* C.8.
ſingulis particulatim inſtrumentis à ſenſibilibus alterati perficiuntur, hanc verò alterationem (mentem ad hoc dirigant) pars alterata ſentit, eo quod à cerebro ſuſcipit facultatem, quæ ad ipſam per neruum deriuatur. Sed mihi videor audire quoſdam, qui in iam dictis non acquieſcant, immo de nouo ſurgentes proferant ſententiam Ariſt. quæ ſcribitur lib. de ſomno, & vigilia, cuius verba. *Quoniam autem exiſtit ſecundum vnumquemque ſenſum*

hoc quidem aliquid proprium, illud verò aliquid commune: proprium quidem vt visus videre, auditui autem audire: & alijs secundum eundem modum. est autem quædam communis potentia sequens omnes, qua & quod videt, audit, sentit. Non enim visu videt, quoniam vel quòd videt. Et iudicat vtique, & potest discernere quod alia quidem dulcia sunt ab albis, nec gustu, nec visu, nec ambobus, sed quadam communi particula omnium sensoriorum, nam est quidem sensus vnus, & principale sensorium vnum, esse autem sensui generis cuiuslibet aliud vt soni, & coloris. dictum autem de ipsis, in ijs quæ de anima speculationibus. Censent procul omnidubio Phil. hoc in loco affirmare sensus particulares non cognoscere propria obiecta, sed

Scilicet animal. sensum communem. Cum dicit. Non enim visu quidem videt, quoniam videt. Vel non enim visu quidem videt, quòd videt, si illud quòd non significaret quoniam, sed illud quod; re vera magni momenti esset hæc Arist. sententia, sed si legatur eo modo, quo ab omnibus interpretibus describitur, omnis aufertur dubitandi occasio, & ideo Græci, Arabes, & Latini tali modo dicta illa exponunt, & dilucidant. Themi-

C.7. stius. Non enim videmus visu nos videre. sic & Alex. neque nos videre videmus, nec nos audire audimus, aut visu, aut auditu. hoc idem Auer. inter latinos. D. Thomas in com. visum seipsum non videre, & sensum aliquem particularem se non cognoscere. Sueslanus lib. 2.

Cō. 139. de anima. dum querit, an sensus cognoscant sentire, hanc Arist. in mediū adducit sententiam dicens. Visus non videt propter se videre. Omnes igitur celebriores interpretes non eliciunt à talibus dictis sensus non cognoscere propria obiecta, statuentes sensum communem hoc munere fungi, vt aliqui sibi persuadent, at concludunt sensus non percipere se cognoscere, vel non cognoscere operationem suam. Et ideo isti non assequuntur veram, ac germanam Arist. hoc in loco sententiam, qui probat duabus rationibus adinueniri communem sensum, quod peroptimè cognouit

Lib. 1. de anima. Alex. in quo hæc leguntur perspicua verba. *Communi sensu, & videntes nos, & audientes, & singulis sensibus sentientes sentimus, neque tamen nos videre videmus.* Erit igitur hoc opus sensus communis. Præterea differentiam inter album, & dulce cognoscere ad sensum attinet, non ad aliquem singularem; nam visus exempli gratia iudicat tantùm, & cognoscit differentias colorum, sic & reliqui sensus: statuendum erit igitur hanc operationem esse sensus communis; & hæc est ad mentem omnium peripateticorum vera Arist. in hoc capite voluntas, vnde si illi intenti falsitatis mendacibus vmbris dicta ipsius diligenter perpendant, confitebuntur sensus particulares, quod lib. 2. de anima dilucidissimè nos docuit, & non communem sensum, propria obiecta cognoscere, quid enim significant, & denotant hæc. *Quoniam autem existit secundum vnumquenque sensum, hoc quidem aliquid proprium, proprium quidem vt visui videre, auditui audire, & alijs secundum eundem modum.* Proprium itaque est visui videre: ergo non proprium communis sensus erit videre. At fortè dicet aliquis videre non esse sentire, nec aliquam actionem, sed tantummodo recipere, & erit sensus communis sentire, & agere. quod omnino repugnat

T. 137. Arist. dictis; nam lib. 2. de anima *Visu sentire est videre.* & t. 140. *actus*

visus,

visus, visio dicitur. non esset itaque secundum illorum sententiam visio actus visus, nec videre visu sentire, sed sensus communis, quod quidem ridiculum esset: nam sensus non essent sensus, sed potius partes recipientes tantum, at nomen sensus supponit animam ibi esse sentientem, vt primo capite adapertum feci. Affirmabimus igitur sensus particulares propria obiecta cognoscere: at si ad mentem Themistij loquamur, etiam semetipsos sentire pronunciabimus cuius verba. *Nam cum natura singulis sensibus certa quadam munia, pensaque imperarit, oculis, vt tuerentur, auribus, vt auscultarent, & cæteris quibusque sua. sed in communi quoque rationem quandam in omnes sparserit, qua & videre, & audire, & demum sentire se sentiant*. Hoc quoque affirmauit Simpl. non negauit tamen sensum communem hæc cognoscere euidentiori modo, scilicet, vt pote, quæ purior, magisque separata videatur potentia.

Li. de Sō. & Vig. C.7.

Dolorem, & Voluptatem esse circa quemlibet sensum. Cap. X.

OMnes sensus voluptate, & dolore affici patefecit Gal. 1. de symp. caus. cuius verba. *Delectatione verò, ac dolore omnes sensus affici possunt, sed dissimili efficacia: quippe visus parum afficitur, tactio verò, & gustus maximè, mox ab ijs olfactus, atque hunc sequitur auditus*. Delectationem, & molestiam inferunt sensorijs propria obiecta, sicut ab eius dictis comprehenditur. quæ: *Gustus ab amaris, acidis, acerbis, atque acribus, & à prædictis resoluti vapores odoratum infestant. Auditionem turbat vox aspera, grauis, maxima, & celerrima, quæ omnia in terrifico tonitru coire videntur, & visum illustrissimi splendores, sicut etiam & vastæ tenebræ*. Tactus autem, vt 2. de l. aff. *à tangibilibus modum excedentibus, delectationem inducunt oculis cærulæus color, & fuscus, auditui iucundissima vox, quæ leuissima, & tardissima: si fatigatus auditus præter lenem, & tardam, exigua quoque est amica. Gustui omnes succi dulces, & pingues. Tactus dolores mollis, suauis, & lenis attrectatio mitigare solet. de olfactu autem non est necessarium nos aliquid dicere; quandoquidem gustum proportione imitatur, & vt simpliciter dicam, delectamur in huiusmodi sensus genere ad naturalem habitum redeuntes, id verò semper ex contrarijs accidere solet*. Hæc omnia Gal. 1. de symp. caus. Ante ipsum fuit etiam tali sententia Plato in Timæo, cuius verba. *Similiter quæcunque per corporis partes sensibus patent doloresque, & voluptates cient*, nec abhorret ab hac Arist. 2. de anima. quo scribuntur. *Vbi sensus, ibi dolor, & voluptas, vbi hæc ex necessitate desiderium*. Quomodo autem hæc suscitetur apertum facit lib. 10. Ethicorum dicens. *Quod autem per singulos sensus fiat voluptas, manifestum est: dicimus visiones, & Auditiones voluptatem afferre: patet igitur, cum sensus est optimus, & erga tale operatur, cumque talia sunt, sensibileque, & id quod sentit, semper erit voluptas extantibus acturo, & passuro*. Quousque autem durauerit, vt Auer. *Sensibile secundum quod oportet, erit & voluptas*. Si igitur sensorium statum naturalem seruauerit, nullam noxam patiens, & sensibile fuerit ei proportionatum, minimè excellens, nec ita infirmum, vt sensorium non moueat, excitabitur voluptas, quod si exce-

C.6. C.5. C.6. T.20. C.4.

dat

dat naturam sensorij, molestiam, atque dolorem inducet, sic etiam infirma erit voluptas, si sensorium ægrè, ac diminutè sentiet, aut deprauato modo ab obiecto etiamsi conuenienti inalteretur ob aliquem morbidum affectum eius.

Quid sit Dolor, & quæ eius immediata causa vestigatur, quam non solutionem continui, vt Gal. affirmat, esse statuo, sed excellens Tangibile. *Cap. XI.*

Est Dolor molesta tactus sensatio ab excedenti, & repentina alteratione ab obiecto tangibili oborta. Existere molestam, seu tristem sensationem reliquit scriptum Gal. à Platone impulsus, i. de Symp. Caus. sic. *Hoc Plato quoque volebat, cum diceret molestam sensionem in corporibus sensu præditis fieri, neque refert siue molestam, siue tristem, siue laboriosam, siue doloris participem voces, neque etiam si ipsum pathema molestiam, tristitiam, dolorem, laborem, dolentiam vè appellaueris, atqui perspicuum est Platonem ipsum pro eadem re dictis nominibus omnibus promiscuè vsum esse & in Timæo, & in Philebo, præterea & in alijs libris, sicuti de ipsis sermo inciderit.* Erit itaque dolor dignotio molesta, seu sensatio, sensationem enim non alterationem simplicem, sed dignotionem Gal. 7. de plac. Hip. iure vocauit, & ideo vehementis alterationis à proprio obiecto tangibili sensum esse dolorem decreuit. Tristis autem appellatur, quoniam sensorium excruciat, atque affligit, sicut etiam amarus sapor, & acutus à lingua percipitur, & ab ipso noxam, & offensam patitur: (excellit enim naturam sensorij,) sic & vehementes strepitus ab auditu. Vehementem, & repentinam mutationem illam existere nos docet Plato in Timæo ita. *Passio violenter, præterque naturam abundè, simulque nobis illata molesta fit.* Quod etiam in medium affert Gal. lib. iam dicto sic. *Si modò Affatim inciderit, Affatim dico, si vehemens fuerit simul, & repentinus occursus,* & finem versus cum de voluptate hæc. *Haud aliter transitus ex naturali statu in eum, qui præter naturam est, si Affatim fiat, violentus est, & omnino dolorem excitabit, si verò paulatim sensum latebit.* Quod consonum videtur rationi; nam alteratio, & immutatio, quæ sensim, atque sensim fit, vix à sensorio est perceptibilis: quapropter etiamsi immutetur longo temporis tractu) attamen nullam percipit offensam: assuescit enim pars tactui destinata sine aliqua læsione ob imbecillitatem tangibilis. Oportet itaque alterationem vehementem existere, & repentinam; à vehementi enim facilè quælibet partes sensorij inalterantur; à repentina autem quoniam natura repentinum insultum ferre non potest, cum tanquã extremum partẽ inuadat, quod respiciens Hip. hæc in aph. 2. aph. 51. pronunciauit, *Plurimum repentè vel calefacere, vel refrigerare, aut quouis alio modo mouere periculosum: omne si quidem nimium naturæ inimicum.* Decreuit maximam, & repentinam mutationem dolorem producere Galen. 17. Meth. & 7. de Plac. Hip. & Plat. cuius verba. *Neque putes lenem aliquam alterationem, sed vehementem alterationis sensum esse dolorem: qui quidem sensus existere nullo modo potest sine patientis corporis immutatione pre-*

[margin notes: "C.6." beside "nem reliquit scriptum Gal."; "C.7." beside "len. 17. Meth."]

ne præternaturali: leuis enim illa, & parua corporum mutatio sensum quidem efficit, qui vim agentis cognoscit, atque percipit, si id, quod alterationem suscipit, fuerit sensitiuum. Hæc alteratio, vel præternaturalis immutatio noxam infert sensorio, dum actu transmutat, & est in fieri; nō autem cum iam inalterata, & mutata fuerit natura partis, quod scribitur lib. de inæquali intemperie his verbis. *Non enim cum mutata fuerit particularum temperies, siue vt sic loquar, in ipso mutatum esse dolent, sed dum mutantur, vt mirus Hip. dixit dum alterascit, ac corrumpitur natura, dolores fiunt.* Et 1. de Symp. Cauf. hæc. *Nam & sectio, & ruptio dolorem infert, non postquā facta fuerit, sed omnia huiusmodi dum fiunt.* Et ideo non sunt audiendi illi, qui statuunt post alterationem, vel sensorij immutationem fieri dolorem: quoniam fit quicunque sensus ab illis, quæ sunt in actu, & in præsenti tempore, quatenus immutant sensoriū, quæ alteratio tandiu perdurat, quandiu ille actus successiuus producitur, & ideo diuinus Hip. dixit gigni dolorem, dum alterascit natura: Alterationem autem esse successiuum motū, & in fieri quis ignorat? nec obstat, si post, exempli gratia, solutionem continui, adhuc pars illa affligitur dolore, immo & non rarò maiori torquetur: hic enim non a soluta vnitate, sed ab humore, & calore ad partem illam læsam confluxo gignitur. *Cum autem tota per tota mutata, alterataq; sunt, sicut lib. de inæquali intemp. fiunt illico à dolore libera.* Et paulò ante, hæc. *Desinunt dolere, cum mutatrici qualitati fuerint assimilatæ.* Suscitatur igitur dolor ab illa subita, & vehementi mutatione ab excedenti tamen tangibili excitata, sicut inferius nisi spes me fallit, ad apertè patefaciam legentibus: non autem a solutione continui, vt ni fallor, excogitauit multis in libris Galen. & si non paucis in locis hac in re fuerit varius, & ferè sibi oppugnans, quapropter multi eruditissimi viri coacti fuerunt varia pronunciare, quorum aliqui geminam statuerunt doloris esse causam, intemperiem scilicet & vnitatis solutionem; nonnulli solutionem tantùm; & ali qui simplicem alterationem, qui tamen omnes varijs Galen. placitis, cuius vestigia sequi fatentur, nituntur, non grauabor autem ante oculos afferre vobis omnes præceptoris sententias, quibus pro fundamento ad eorum sententiam tuendam, vtuntur, quæ attamen breui oratione narrare tentabo.

C. 3. C. 6. C. 9. videl. c. 3.

Duas esse causas doloris suadent illa, quæ scribuntur libro 2. de loc. aff. C. 5. *Cæterum alibi me frequenter dixisse memini, primas doloris species duas esse, cum affatim temperies alteratur, & cum soluitur cōtinuitas.* Et in Meth. *Affectus, qui dolorem excitat, vel diuisio sit, vel alteratio.* Quę & 2. de vict. C. 7. rat. in acu. & lib. de inæquali intemperie affirmat. C. 1. Qui hanc partem approbant, atque sustinent, vt subterfugiant rationes huic oppugnantes, statuunt duas esse causas doloris; quoniam in sensorio duo de necessitate reperiuntur, intemperies scilicet & vnitas partium, quapropter asserunt excellentem intemperiem inalterando propriam partis temperaturam, atq; rationem, inducere dolorem, sic & solutionem, vt quoddam violentum vnionem, & continuitatem partis diuidens, & soluens tristem sensum, atque molestum suscitare.

Intemperiem solam existere huius symptomatis tactus verum primordium,

dium, atque causam varia fidem faciunt, sed præcipuè illa, quæ leguntur in
C.3. lib. de inæquali intemperie, ita. *Non enim cum mutata particularum temperies, dolent, sed dum immutatur.* & postea. *Tunc desinent dolere, cum mutatrici qualitati fuerint assimilatæ.* & cap. vltimo. *Quod si tota per tota alterata mutataque sint, fiunt illico à dolore libera.* & lib. de Nat. Hum. *Dolet animal intemperie iam occupante particulam.* & com. 6. concludit. *Dolorem fieri, cum primę qualitates se mutuò transmutauerint.* Ab his omnibus statuunt non pauci intemperiem veram esse causam doloris, & non solutionem continui: semper enim refert eius causam in alterationem, quæ cum iam similem reddidit partem, tristis illa sensatio euanescit, sicut in textu dilucide narratur.

Hortantur solutionem solitariam tantummodo huius affectionis esse causam, & ad ipsam omnes alias causas reduci, quatenus vnitatem, & continuitatem diuidunt, & soluunt, illa, quæ litteris prodidit lib. de fract. cõ. 3. omnia complectens, quæ alijs in libris pronunciauit. cuius verba. *Aliàs demonstrauimus dolorem continui dissolutione fieri, dum videlicet secatur, vel extenditur, vel tunditur, aut ex intemperie ortum trahere. Sed & quod repentina temperamenti mutatio aliquam efficiat continui solutionem in lib. de Simp. med. ostendimus: calor enim manifestum est, quod penetrat continuum, & quasi erodit, & frigus, quod repentè cogit id, quod diffusum est, & aliquam continui solutionem faciat. vnde hac ratione non modò probabilis, verum & vera habenda erit hæc oratio, quæ omnem dolorem ad genus vlceris redigit.* Qui, vt auferat omnem dubitandi ansam circa iam propositam continui solutionem; cum illa sub oculis semper non cadat, hæc memoria, & scitu digna posteritati reliquit. *At his deinde additis omnem prorsus intemperiem facere aliquam continui solutionem quæ etsi sensu percipi nequeat, ratione tamen, & ipsa veritate intelligi queat, atque etiã magis in illis, quæ extenduntur, contunduntur, & exprimuntur, quæ iam ad id accedunt, vt diuellantur, quæ affectio iam solutio continui existit.* Ab his liquido conijcitur non duas esse causas doloris, vt superius iam narraui, nec solitariam intemperiem, immo hanc gignere tristem sensationẽ, quatenus continuum disterminat, & diuellit, etiamsi ab eius dictis apertissimè cognoscatur interdum illam statuisse intemperiem tristem sensum
C.7. suscitare; sicut scribitur 12. Meth. his verbis. *Ergo si cœpisse ab euidentibus conueniet, euidenter autem videntur eorum, quæ corporibus nostris propinquant, hęc sola esse dolorifica, & quę valde, & vehementer excalfaciunt, vel refrigerant, & quæ substantiæ continuitatem diuidunt, hæc autem sunt, vel quæ contundunt, vel incidunt, vel distendunt.* Attamen non est sensui aliqua quidem in hac re præstanda fides, sed rationi acquiescendum. & ideo Gale. hoc in loco se subscribit illis, quæ lib. de facul. Sim-
Loco cit. pl. med. determinauit, dum ait. *Illud verò inquirere an ipsum, quod vehementer excalfacit, aut refrigeret continui aliquam diuisionem efficiat, longiori fortè disputatione eget, & vtique hoc ostensum est à nobis in Commen.*
6. *de Simp. med. facul.* Quæ omnia confirmat lib. 1. de Symp. cau. & in lib. de
Com. 6. Nat. hum. com. 1. At lib. de inæquali intemp. cap. 6. videtur quoquomodo dubius circa hæc fuisse, cuius verba. *Ex ijs ergo fortasse nec illud durius dici*

vidca-

videatur, quod Hipp. ait omnem morbum vlcus esse; quippe vlcus vnitatis diuisio immodicus verò calor, & frigus proximè accedunt, vt vnitatem soluant, calor dum segregat, & diuidit, substantiæ continuitatem, & frigus quassat. In lib. autem 4. de simp. Med. facul. demonstrat calidum, & frigidum excedens solutionẽ continui suscitare, nec frigus esse mordax, nisi cu tim exulceret, cuius verba: *postquàm de symmetris, quæ voluptatem inducunt; grata enim tactui, & amica: at quæ his magis sunt calida, secant, distrahunt, diuiduntque substantiam, quare necessariò mordacia videntur, veluti aqua feruens, & ignis, eundem in modum frigida conuellunt, & non erodendo, (vt superius legitur) quod continuum est, sed diuellendo molestum, & mordax est frigidum.* Ab his patet quemcunque calorem fortiorem temperato continuum soluere, cum dicat. At quæ his (scilicet symetris,) sunt magis calida, secant, & diuidunt, quæ non affirmauit vehementissima esse, vt multi asserunt, nisi dicant leuissimum ab illis produci tristem sensum, at ab excedentibus grauem. C. 6.

Sileant ergo, qui intemperiem statuunt veram esse, & immediatam doloris causam, vel duas existere & solutionem continui, & illam. Sed ore rotundo pronuntient, si Gal. vestigia sequi volunt semper à solutione continui, tanquàm à causa inhærente ortum trahere, quod non probabili oratione dixit, vt aliqui somniant; sed vera, atque certa, vt scribitur lib. 1. de Fract. com. 3. sic. *Vnde hac ratione non modò probabilis, verùm & vera habenda hæc est oratio, quæ omnem dolorem ad genus vlcerum redigit. & his deinde addat omnem prorsus intemperaturam facere aliquam continui solutionem, quæ etsi sensu percipi nequeat; ratione tamen, & ipsa veritate intelligi queat.* Optantur apertiora? immò hoc in libro peroptimè declarat quomodo intelligenda sit eius opinio in lib. de facul. simp. & 1. de symp. Cau. cum is liber de fract. post illos, & multos alios scriptus sit, cum hæc legantur, *Aliàs demonstrauimus dolorem continui dissolutione fieri.* Vnica igitur erit præcipua causa doloris; cum semper vnius effectus vnica sit causa, ad quam ceteræ rediguntur aliæ, & hæc erit secundum Gal. sententia, vt eius scripta loquuntur, vnitatis solutio, & diuisio. 34.

Ego autem etiamsi varijs in locis placita varia, & eius diuersas sententias pro ingenij mei tenuitate aduersus nonnullos tueri, & defendere decreui: attamen circa doloris causam, parcat mihi Venerandus Magister, ni fallor, veritate coactus ab eius opinione omnino recedere statuo pro certo habens tristem sensum ab excedenti tangibili, vt tangibile est, excitari. quod non est à ratione alienum: nam sensorium tactus, vt est tactus, non potest ab aliquo alio alterari, & immutari, quàm à proprio obiecto, quod est tangibile, nisi per accidens ab alijs transmutaretur, quod non cõtingeret ei, vt est tactus sensorium, sed fortè vt corpus, aut figuratum, aut aliquo colore exornatum, tali etiam fuit sententia Gal. dum demonstrat non quodlibet sensorium à quolibet inalterari. sed oculus à coloribus tantum, qui etiam à calore potest transmutari, sed non vt visus instrumentum sed tactus. Si igitur ab aliquo alio non potest immutari, vt sensorium est tactus, quam ob causam non affirmabo ego ab excedenti tangibili fieri molestam sensationem? omnibus autem notum est dolorem sensum esse

tristem, & in actu, hic autem non erumpit in actum, nisi tangibile excellēs ipsum excitet. Omnes præterea sciunt ab obiecto proportionato fieri sensationem, à perfecto & delectabili voluptatem. ergo statuendum erit ab excedenti dolorem: si enim ab obiecto tangibili delectabili suscitatur
C.6. voluptas: cur etiam à tangibili excellenti naturam sensorij dolor non excitabitur? cognouit Gal. lib. 1. de sym. Caus. vnumquemque sensum à proprio obiecto affici voluptate, & dolore in medium afferens exempla de singulis sensibus, & vt magis dilucidè hæc demonstraret, dixit. *Porro gustandi quoque instrumentum quatenus tactione participat à dictis causis diuellitur: quatenus verò ad gustum pertinet propriè, ab amaris, acidis, &c.* Quæ peroptimè declarant gustum, vt gustus est, si propriè afficitur, tantummodo à sapore tanquam à proprio obiecto noxam pati, sic & auditus à voce aspera, & vehementi, vt vox est. quæ etiam omnia patefecit lib. 7. de Plac. Hip. & Plat. quas omnes ob causas iam dictas pronunciare debe-
C.5. mus sensorium tactus à proprio obiecto scilicet à tangibili oblædi: quod non negauit ipse Gal. 2. de l. aff. dicens. *Est item dolor, qui à tangentibus duntaxat in affecta particula generatur.* ab exuperantijs sensibilium corrumpi sensoria, aut dolore affici habemus ab Arist. 2. de anima. & cum de
T.143. tactu hæc. *Tactui autem calefactibile, & frigefactibile, sed sensus ratio est, exuperantiæ aut dolore efficiunt, aut corrumpunt.* Dolorem arbitrandum est illas inducere, quotiescunque secundum quemdam gradum augentur, sub quo potest seruari sensus sed tristis, quæ si magis, & magis inualescāt, corrumpitur omnino actio partis, & tandem perit sensus. percipiunt quo-
Ibid. que hanc molestiam cæteri sensus, sed dissimili ratione: non enim omne exuperans, *& excellens sensum aufert, sed ipsum interturbat, vt acutum, & graue auditum, similiter in saporibus gustum, in coloribus visum, vt valde fulgidum, & in olfactu fortis odor:* Quæ omnia ab ipsis percipiuntur, sed ægrè, atque molestè. Concludamus igitur tactus sensorium non posse ab aliquo pati nisi à tangibilibus, vt sensorium est tactus, & etiam dolorem esse vehementem alterationis sensum, vt superius
C.6. impulsore Galeno 7. de Plac. Hip. demonstraui, qui quidem sensus nullo modo potest in actum erumpere sine patientis corporis mutatione præternaturali. *Duo enim concurrunt, vt 1. de Elem. vt dolor fiat, alteratio, & sensus; nam non sentit affectiones, nisi alteretur, & patiatur.* Quid autem immutat sensorium Tactus, nisi tangibile? ad quid igitur affirmare audemus vnitatis diuisionem, aut solutionem continui doloris esse causam? cum inter tangibiles qualitates ab aliquo non collocetur; sed tantummodo sit quanti passio, vt quantum est, & ideo sensorium potest pati diuisionem quandam, vt corpus existit, & magnitudo quædam, sed non vt sensorium: quoniam non quatenus est magnitudo quædam, sentit, quod litteris
T.122. Phil. prodidit 2. de anima, sic. *Magnitudo quadam erit id, quod sentit, non tamen est sensitiuo esse, neque sensus Magnitudo est, sed ratio quadam, & potentia illius. manifestum autem ex his, & propter quid exuperantiæ sensibilium corrumpant sensum.* & ideo cum Philopono, etiamsi potius cum Arist. dicam duos affectus pati sensorium, vnum, vt simpliciter est corpus, alterum verò, vt sensorium, vt corpus potest pati quacumque

corpus

corpus infestant, vt autem sensorium à sensibilium operatione, veluti auris à sonis, vt sensorium, patitur, vt autem corpus, ab aeris motu, ab igne, & à solutione vnitatis. Læditur itaque, vt probatum est, à tangibilibus, quæ varia, & multiformia existunt, multa quorum enumerauit Gal. 2. de l. aff. dicens. *Si verò de his, quæ à tactu iudicantur, humidum, siccum, calidum, frigidum, asperum, & lene, molle & durum, acutum, & obtusum.* quæ omnia in mediũ adduxit, vt redargueret Archigenem, (qui pronunciauit esse quosdã dolores dulces,) probans sensum tactus cognoscere tantùm tangibilia, & non dulcia. ante oculos etiam nobis posuit omnia tangibilia Arist. 2. de Gener. & corrup. sic. *Ipsorum autem tangibilium diuidendum, quales primæ differẽtiæ, & contrarietates, sunt autem contrarietates secundum tactum hæ calidum, frigidum, siccum, humidum, graue, leue, durum, molle, lubricum, aridum asperum, lene, crassum, & tenue.* Non est autem decernendum ab his omnibus posse dolorem induci, etiamsi omnes tangibiles sint qualitates: iam enim demonstratum est ad Galen. mentem non fieri molestam sensationem, nisi à vehementi, & repentino tangibili, hæc autem duo supponunt maximam actiuitatem obiecti mouentis sensoriũ: impossibile est enim imbecille agens subitò, & confestim patiens aliquod ita transmutare, vt dolorem inferre possit. hę censentur humiditas, & siccitas, leue, & molle, lubricum, & lene, crassum, & obtusum. Nec ab humiditate, nec à siccitate fieri dolores cognouit etiam Galen. 1. de symp. Caus. cuius verba. *Nam siccitas, humorque nisi calori, frigoriue coniungantur, occursu suo vim inferre non consueuerunt.* Humiditas autem nullam. si præstanda venit fides illi 2. de Comp Med. per locos dicenti. *ad humiditatẽ nullus consequitur dolor, nisi illa sociam habuerit aliquam materiam.* quæ aut vt grauis, aut vt duritiem habens, vel vt mordax tristem sensum suscitet. Humiditas igitur, & siccitas, cum qualitates sint passiuę obscurè agunt, sicut lib. 2. de Gener. & Corrup. immò Arist. ferè omnem aufert operationem ab illis, attribuens humectationem, & exiccationem qualitatibus actiuis, quæ tamen iure ipsis passiuis tantummodo conuenire debent, cuius verba leguntur lib. 4. Meteororum, quæ: *Videntur enim in omnibus caliditas quidem, & frigiditas terminantes, & copulantes & transmutantes & ea, quæ sunt eiusdem generis, & ea, quæ non sunt eiusdem generis, & humectantes, & exiccantes, & indurantes, & mollificantes. Sicca autem, & humida terminata, & alias dictas passiones patientia, & ipsa secundum se.* Si ergo aut non agunt, aut obscurè operantur; procul omni dubio concludendum est nullum posse afferre dolorem: quoniam iam demonstratum est duo requiri ad ipsum excitandum, sensibile vehemens, & repentinũ eius insultum, quæ impossibile est in humiditate, & siccitate adinueniri: cum tardè & imbecillè agant, & languenti occursu sensorium inalterent. ad has duas qualitates reducuntur durum, asperum, aridum, tenue, crassum, & lubricum &c. quorum nonnulla à siccitate originem ducunt, & aliqua ab humiditate initium trahunt. *Graue autem, & leue neque actiua, neque passiua; non enim faciendo aliquid alterum, neque patiendo ab alio dicuntur*, sicuti scribitur 2. de Gener. à tactu tamen graue percipitur, quod si modum excedat, dolorem quoque inducit. At nec du-

C. 6.
T. 8.
C. 6.
C. 1.
T. 8.
C. 1.
T. 8.

rum,nec acuta figura effigiatum,nec graue, nec asperum sensationem molestam procreant, nisi ab aliquo violenter impellantur: quoniam si sensorium sine violentia tangant, fit sensus duri. asperi, grauis, & acuti; sed si motus, qui inter sensibilia communia reponitur, his accedat, tunc cum violentia partem sensitiuam inuadunt, potissimum si durum sit acutum: facilè enim ad intima se confert, & partes sinceriores,& sensibiliores violentia afficit. durum corrumpere sensum, sicuti cætera tangibilia legitur 3.
T.67. de anima. Forte autem aliquis mente concipiet durum acuta figura exornatum, sicuti est acus, dolorem gignere; quoniam continuum diuidit, atque soluit. Sed decipitur: nam acus, quatenus durum quoddam est, acutū, & nonnunquam & vt frigidum, & calidum impellente aliquo mouente tristem sensum procreat: at præcedit, vel concomitatur solutio continui; impossibile est enim inferre noxam sensorio interno, nisi epidermidem soluat, cum admedum materiale inter tangibilia existat durum, & ideo difficilè immutat sensorium, quod non euenit caliditati, & frigiditati, quę euestigio admotæ tactus organo, ipsum subeuntes inalterant, & transmutant: à quibus non rarò excitatur solutio continui ex consequenti: *Quoniā*
C.2. *calor vehemens secat, distrahit, diuiditque substantiam, eundem in modum frigida mordicationem inducunt: at quę à summa caliditate, aut frigiditate absunt, non mordicant*. Quæ narrantur 4. de simpl. facul. A solutione tali continui acerbiores, & acutiores euadunt dolores: quoniam caliditas, & frigiditas facilius omnes partes sensorij inalterando subeunt; adde sensibiliores esse partes illas destinatas sensui, quæ in profundiori extant corporis parte. dilucidè ergo, vt iam à dictis innotescit, statuendum venit à tangibili tantùm, vt est tangibile, dolore partem affici, & interdum sed nō semper solutionem continui aut concomitari dolorem, aut subsequi ipsum, sed non tanquam à causa, ab ipsa dependet. Concomitatur continui diuisio, si sensorium ab aliquo extrinsecus occurrente diuidatur, quod vt durum, ab aliquo impulsum dolorem parti incutit: at non vt disterminat continuum; interdum duritiem gignit humor aliqua in parte contentus, quæ causa existit doloris; durum enim à repletione partium fieri potissimum: etiamsi illud, quod replet, minimè sui natura tactui resistat, sicut est aqua vel flatus in vtriculis contentus, vel alius humor quanquam serosus.
C.4. hec litteris tradidit Gale. 5. de facul. simp. sic. *Contra in ijs, quæ summè plena sunt, veluti vtres, vesicaque neutrum latus in se cedit, nec tamen quod continetur, durum est, sicut neque continet, vbi impletum, durius seipso euasit, aut aduentitium alium affectum est adeptum, nisi quod tensum est, quod hactenus fuerit laxum*. Si igitur ab aliqua parte repleta alia pars tangatur tactui destinata, vt dura est, dolorem inducit, quod fortè cognouit
C.5. Gal. 2. de l. aff. dicens. *Est item dolor, qui à tangentibus duntaxat in affecta particula generatur*. & cap. 7. vbi de Pleuritide hæc. *Cæterum septum transuersum, quia mouetur, iugulum autem quia durum doloris est causa*. Cum igitur Durum tristem sensum producit, requiritur motus aliquis aut partis, quæ dolorem passura est, aut duri, quod illum est allaturum. non est autem mirum septum transuersum intentum, sicut dixit, dolore affici, cum mouetur, nam tunc partes illius sensitiuæ commotæ, ab improportionato

tionato duro, aut graui violenter tanguntur: sic & asperum, & acutum doloris sunt in causa, sed quatenus dura ab aliquo tamen impulsa, aut impetu quodam à finitimis compressa: & ideo decreuit cap. 5. *Lapidem asperum, & acutum dolorem concitare: sed hunc non statuit ab illo lapide gigni, quoniam asper sit, & durus, sed quia abradit partem, & eius continuitatem soluit.*

Nos autem quatenus aspera, acuta, grauia, & dura, quæ omnia tangibilia existunt comite tamen motu dolorosam sensationem inducere affirmamus, non autem quatenus vnitatem soluunt. Sed videor audire aliquẽ irridentem fortè hanc opinionem, vel potius hanc veritatem, asserentem notissimum esse sensui solutionem vnitatis dolorem excitare, vt quotidie audire licet ab illis, quibus vulnera inflixa fuere. Istis dicimus breuibus tamen verbis, vulnus non fuisse doloris causã præcipuam, sed id quod vulnus iniecit, vt tangibile quoddam: nec ad sensum attinere inuentionem causæ doloris, sed ad ratiocinationem, vt peroptimè nos docet Gal. 1. de fract. com. 3. & 12. Meth. C. 34. C. 7.

Indagantur Causæ, ob quas sensoria geminata existant.
Cap. XII.

CVm omnia animalia, quæ motu progressiuo mouẽtur, necessariò dextera parte atque sinistra prædita sint; à dextera enim in animalibus perfectis motus initium, & primordium suscitatur Aristotele teste 2. de Cælo. Hæc enim calidior, & siccior sinistra, & ideo robustior euadit, & mobilior: sicuti legitur 3. de part. animal. est tamen & sinistra eisdem partibus conflata, quibus & dextera: quod consonum est rationi, si natura seruatura erat æqualitatem, & iustam conditionem partium totum integrantium, aliter imperfectum, malè effigiatum, difforme, & in actionib. multis mancum fuisset animal, quod respiciens prudens natura partem sinistram iisdem sensorijs exornauit, quibus & dexteram, vnde Arist. 2. de part. animal. hæc pronunciauit. *Gemina sedes quoque sensorij est propter duplicem corporis partem dextram videlicet, atque sinistram. Sed hoc incertũ in sensu tactus: lingua etiamsi obscurius, quàm oculi, tamen certius quàm tactus, geminum gustandi vestigium ostendit: est enim hic etiam sensus, quasi tactus quidam, fissura linguã distingui perspicuum est: at verò in alijs sentiendi partibus sensum bipartitum esse latiùs patet; aures enim geminæ, & oculi gemini sunt, vis etiam narium bipartita est.* Sed aliam reliquit scriptam causam Gal. huius geminationis 8. de vsu par. quæ respicit animalis vtilitatem, cuius verba. *Sed prima sanè, & maximè communis geminorum omnium instrumentorum vtilitas hæc est, vt si alterum ipsorum læsum fuerit, reliquum subseruiat: tutius enim in quibus licet, quod geminum est, quã simplex, licet autem non vbique.* Et ideo arbitrandum est naturã omnia sensoria bina procreasse, ne animal vno deperdito, sensu aliquo priuaretur: sensum autem tactus, cum sit omnino necessarius animali, toti corpori natura recta ratione illum communicauit: vt si ab incursionibus externis aliqua pars infestaretur; confestim à sensu tactus sentiretur talis partis offensa,

T. 8. C. 9. C. 10. C. 10.

offensa, quod minimè eueniret, si duo tantùm essent sensus tactus sensoria, vt duo oculi, & duæ aures: aliqua enim particula dilaceraretur inscio animali, cum talem noxam non sentiret. Præterea data sunt animali organa sensuum geminata & præcipuè visus, vt faciliùs vno, & eodem tempore varia animal sentiret obiecta: nam etiamsi dirigamus aspectum ad aliquod visibile tantùm: attamen eodem tempore vtrinque multa alia cernuntur: quod minimè euenire solet, si vnico oculo intueatur: sic etiam si auris vna tantùm insit animali, vel earum altera priuata sit propria functione, non vndique audiet, nec ita perfectè, vt si duabus animal esset præditum, nisi admodum excellens, & vehemens esset strepitus, atque sonus: immo ægre, & diminutè audibilia percipiet secundum partem aure priuatam. Quapropter natura paria, atque æqualia dextra fecit sinistris, respiciens actionis vtilitatem, sicuti scribitur 6. de vsu par. sic. *Vbi duorum instrumentorum æquabilis momenti est actionis vtilitas, verbi gratia oculorum, aurium, manuum, pedum, ibi paria planè dextra fecit sinistris, vbi alterum alteri quippiam excellit propter eximium aliquem vsum, ibi particulam aliquam præter cæteras efficit, sicut in pulmonis lobis.*

C.

Et re vera maximum detrimentum afferret visioni, si alter oculorum esset superior, aut humilior altero: vnicum enim obiectum geminatum cerneretur ab animali.

De Operimentis, vel propugnaculis partium sensibus deseruientium. Cap. XIII.

NOn tantummodo solers, diligensque natura fuit in omnibus fabricandis sensorijs: sed etiam prudentissima in propugnaculis, atque tegumentis eorum parandis: ne organa illa ab incursionibus externis læderentur: hanc tamen seruauit legem, ac conditionem, ne operimenta illa obiectorum occursum prohiberent, & vetarent. Vnde duo expostulant optima tegumenta, quæ sunt, ne impediant sensibilium susceptionem, & sensorium conseruent, quæ duo cognouit Galen. 8. de vsu par. vbi legitur. *adest omnibus sensuum organis operimentum quoddam, siue tegumentum, ne lædantur sensoria, tali autem modo, & essentia à natura fabrefacta, ne obiecta occurrentia impediant.* Et interdum vltra vtilitatem iam narratam, natura horum interuentu vetat, ne cerebrum lædatur, quod scribitur 2. de vsu par. his verbis. *Natura omnibus sensuum instrumentis operimentum fabricatur, alijs quidem ne cerebrum lædatur: nonnullis propter securitatem propriam, lingua autem in ore, tanquàm in specu quodam est cõclusa, & ideo de illa nihil dicendum. Os instrumento olfactus est præpositum, & Nasus totus est propugnaculum. In oculis palpebræ supercilium, & malæ. Superest Auditus, in quo & ipso primum quidem meatus, qui est in osse lapidoso, inuolucrum fuit, ne ab extrinsecis illi noceretur.* Conseruant sensorium, & vno & eodem tempore impediunt varia, quæ ab extrinsecis possunt nocumenta inferre cerebro, ossa illa spongiosa, vel foraminulenta, quæ in fine nasi existunt, vt 7. de vsu par. c. 7.

Sensus quibus de causis offensam patiantur, & in actum interdum non erumpant. Cap. XIIII.

CVm ad sensationem perfectè faciendam quinque requirantur nume-ro,quandam tamen inter se conuenientiam seruantia:ita quoque aut ob eorum carentiam, aut vitium pronunciandum venit illam, aut non fieri, aut deprauatè, aut diminutè excitari. Sunt hæc Facultas animalis, Medium, per quod illa defertur, Pars, siue Organum destinatum sensui, Sensibile Obiectum, & Tegumentum, siue Operculum. quæ omnia diuerso tamen ordine, ac diuisione ante oculos nobis posuit Gal. varijs in locis, sed præcipuè lib. 1. de Sym. caus. C. 1. & 2.

Si igitur facultas animalis socium spiritum habens, aut solitaria existẽs imbecilla fuerit, & languens, partes sensui destinatæ infirmè proprio munere fungentur; at si nulla fluat ad illas, omnino priuabuntur, sicut in apoplexia, & epilepsia contingit. Languescit, & impotenter agit aut ob eius crassitiem, aut nimiam tenuitatem, aut paucitatem, crassa enim ægrè permeat, & erumpit in actum, tenuis promptè, sed euanescit, aut ab omni obiecto, etsi non excellenti, patitur; pauca verò vix sensorium informare potest, & operationem edit manc am, & imperfectam; vnde sensibilis omnes differentias exiguas, atque minimas minimè percipere potest. Sub nomine spiritus vitiati has omnes causas interturbantes facultatem emunerauit Gal. libro iam citato: hæc talis euadit ob aliquam cerebri intemperiem, & præcipuè frigidam, & humidam, à qua actiones omnes animales tardę, ac torpidæ reddantur. At si sola fuerit nullo comitante spiritu, tantummodo noxam inferre potest, quatenus pauca ad functiones sensitiuas edendas fluit. non rarò ob ventriculorum cerebri obstructionem impeditur huius potentiæ transitus, omnino si perfecta fuerit eorum clausio; secundum autem aliquam portiunculam migrat ad sensoria, si imperfecta, quam semiobstructionem recentiores dicunt. Cognouit etiam Arist. etiam si de cerebro sermonem non habuit lib. de somno, & vigilia ad læsionem principis partis, à qua omnes sensus dependent, illos malè affici, cuius verba. *Cum principale omnium aliorum sensoriorum, & ad quod tendunt omnia, patitur aliquid, compati necessarium est, & reliqua omnia; illorum autem cum aliquod impotens est, non necesse est hoc impotens fieri.* Sed si cerebrum fuerit solùm ea parte exempli gratia infirmum, à qua oritur neruus deseruiẽs vni auri, vis illa sentiendi tantummodo offensam patietur, hoc nos docet Gal. lib. iam c. 3. dicens *Atqui grauis auditio, surditasque animanti euenire solent aut ob auris partem aliquam, aut ob neruum à cerebro descendentem: aut ob cerebrum ipsum, si ea in parte, vnde neruus oritur, fuerit læsum.* Impossibile enim est ad offensam istius cerebri partis non oblædi etiam facultatem in tali parte commorantem.

[Margin: A facultate. — C. 2. — C. 2. — 5. Cor.]

Medium, quod est tanquàm sensitiuæ potentiæ carnalis, est neruus à cerebro ad sensoria transmissus; hic impedit transitum facultatis varijs de Causis: quas recenset lib. iam allegato sic. *Igitur continua causa, aut continens, aut inhærens, (licet enim pro cuiusque arbitratu eam nominare,) affectus nerui est talis, vt facultatem à principe parte missam impedire possit:* C. 5.

[Margin: A medio.]

atqui

atqui impedietur, si neruus meatu aliquo præditus, (vt manifestè in oculorum neruis videre licet,) vel obstructus, vel compressus, si verò meatum non habuerit, sed vti solis radij per aquam, aeremue transeunt: eodē modo facultas à principio per neruorum corpora permeauerit, ipsa in transitu impedietur, si ad immodicam crassitudinem nerui permutentur, fit crassior, si viscidis, crassisque succis nutrietur, aut vbi violento frigore constringitur, vel ab aliquo extrinsecus adueniente comprimatur, huiusmodi redduntur nerui, vbi vel laqueo, vel manibus constringuntur: aut vbi intrinsecùs à vicinæ partis phlegmone, vel scirrho comprimuntur, aut vbi luxatis, fractisue ossibus fiunt arctiores. Sub ista reducuntur & inflammatio, & eorum durities, quas duas causas narrat 4. de l. aff. C. 2.

Ab Organo. Organum, siue instrumentum potest esse origo, atque primordium malæ sensationis, vel abolitæ varias ob causas secundum eius multiplicem compositionem; quantò enim copiosæ, ac multæ existunt partes ipsum constituentes; tantò augetur causarum læsionis numerus, atque principiū, in vnoquoque enim sensorio varijs conflato partibus semper inter illas est vna princeps, & potissima, cui ceteræ deseruiunt, ac famulantur, dat exemplum nobis Gal. libro iam dicto sic. *Veluti in oculo primum instrumentum est crystalloides, ad illius verò seruitium creatæ sunt reliquæ omnes oculi partes.* Quæ si vitium aliquod contrahunt, obsunt sensationi, præcipuè si vitietur aut propria illarum temperies, aut substantia, aut compositio, aut magnitudo, aut conformatio, aut numerus augeatur, vel minuatur, aut si denique, conueniens, concinnaque situatio. *Si enim oculus ad superiora, vel ad inferiora declinet, tùm quicquid cernitur, id duplum esse videtur.* In medium causam geminationis huius affert Arist. part. 31. Prob. dicens. *Cur distracta conspectuum societate res vna geminari videatur? an propterea quod oculi vtriusque radius non ad punctum idem deuenit.* Si igitur uterque oculus non feriat idem punctum uisibilis obiecti, quod edirecto illis obijcitur, illud uisibile uidenti geminatum apparebit, non ferit autem idē punctum, si unus ad superiora, & alter ad inferiora declinet. incōmoda existit ēt, substantiæ sensorij aut nimia crassities, aut tenuitas, aut inalteratio secundum primas qualitates, aut secundas, ueluti si crystallinus quo ad eius substantiam crassior euadat, aut aliqua aliarum partium deseruientium; uel quò ad colorem oculi inalterentur, sicut euenit, cum citrino suffunduntur colore, & lingua aliquo sapore, & odoratus instrumentum fætido odore; sic etiam si quò ad temperiem sensoriorum tactus detineatur æstuoso calore, aut frigore intenso, iudicat subtepidum calidissimum, aut frigidissimum esse.

C. 2.

A situ mutato.

P. ij. f. oculorum.

Ab obiecto. T. 7. Noxam inferri ab obiecto sensibili excedenti scriptum reliquit Aristot. lib. 3. de anima, dicens. *Sensus enim non potest sentire ex vehementi sensibili, vt sonum ex magnis sonis, neque ex fortibus odoribus, & coloribus videre, aut odorari.* Ab his enim, ut demonstrauit, ratio partis corrumpitur. usurpamus autem excedens sensibile pro illo, quod excedit, & superat naturam talis sensorij, quod non est excedens simpliciter; interdum enim tale fulgidum à multis inspicitur sine aliqua offensa, quod à quibusdam minimè cerni potest; uisus enim eorum destruitur, atque patitur ob oculorū imbe-

imbecillitatem, quod & in alijs sensibus euenire solet. interdum sensus fugit etiã sensibile, ob eius exiguitatem, & impotentiam ad mouendum sensorium; quæ ferè ab Arist. imperceptibilia à sensu dicuntur, de quibus omni in sensu dedit exemplum, & præcipuè tex. 96. sic. *Adhuc autem sicut auditus, & vnusquisque sensuum hic quidem audibilis, & inaudibilis, ille verò visibilis, & inuisibilis, & olfactus odorabilis, & inodorabilis. inodorabile autem aliud quidem secundum id, quod omnino impossibile est habere odorem: aliud verò paruum habens odorem, & prauum: similiter autem, & ingustabile dicitur.* A paruo igitur sensibili, & imbecillo non excitatur sensatio; cum minimè possit inalterare sensorium: *at modum excedentia, sicuti illustrissimi colores, acres sapores, & amari, & vox aspera, & violenti strepitus, odores excellentes, & tangibilia offendunt sensoria, atque corrumpunt*, vt 1. de symp. Caus. legitur. Lib. 2. de anima.

Opercula, siue Operimenta, quæ extant, tanquam propugnacula sensorij, incommodant sensationi, quatenus prohibent congruam sensibilium impressionem, hoc autem contingere potest aut ob eorum crassitiem, aut aliam affectionem ea detinentem. adapertum hoc existit in epidermide, quæ est tegumentum tactus: hæc enim si ita crassa fiat, vt occalleat, tactus organum aut non sentiet, aut obscurè, & obtusè percipiet sensibile. & interdum ob eius scabritiem asperum iudicabitur à sensorio, id quod lene, atque molle existit.

Triplex offensa circa omnem sensum contingere potest, aut enim non sentiunt, aut debiliter, aut deprauatè, & difformiter sentiunt, has duas vltimas offensas sub vnam reduxit 1. de symp. Caus. videlicet vitiosam, quã in debilem, & deprauatam distinxit. ablatio in oculo dicitur cæcitas, in auditu surditas, in tactu stupor, & sic de reliquis. debilitas sensuum singulorum notissima est omnibus, cum ægre, & obtuse sensus infirmi propriam edunt sensationem, sicut etiam & deprauatio, cum rem diuersam à propria natura dijudicant esse. C. 4.

Vniuscuiusque sensorij quatuor esse genera læsionum ad mentem Gal. aperitur, nec dolorem sub deprauata functione collocari. Cap. XV.

QVatuor esse genera læsionum sensitiuam functionem infestantium varijs in locis adapertũ fecit Gal. tres quarum à sensorio ortũ ducunt, quatenus dirigitur ad cognitionem proprij obiecti: quarta verò, q̃ est dolor omnino ab illis tribus seiuncta ab improportionato, & excedenti sensibili suscitatur, quod sua vehementia tristem, & molestam sensationem organo infert seruata tamen illæsa sensibilium perceptione. Triplicem offensam facultatis ob sensorij affectionem aliquam gigni legitur, lib. 1. de symp. diff. ita. *Aut enim propria sensibilia omnino non sentiunt, aut malè sentiunt: malè autem dupliciter, vel enim debiliter, vel deprauatè.* Deprauatur hæc ob incongruum, & inconuenientem modum recipiendi obiectum sensibile, quod contingere potest duobus modis, aut enim sensorium C. 3.

non suscipit speciem rei sensibilis forinsecùs repræsentatę eo modo, quo re vera existit, *sed potius secundum morbosam eius naturam, sicut cum oculus citrino suffusus colore omnia, etiamsi niue candidiora, citrina iudicat, & lingua amaro imbuta sapore omnia amara*: & tactus sensorium excedenti detentum calore, aut frigore subtepidum calidissimum, aut frigidissimum iudicat: Alio modo deprauatur sensatio, cum sensorium suscipit inalterationem proprij sensibilis internè latentis nullo obiecto forinsecùs occurrente; sic lingua ab externo sapore non inalterata percipit aut acidum saporem, aut salsum, aut amarum. hanc vocauit Gal. 1. de symp. Caus. de-
4. prauatam gustationem dicens. *Atque euenit nonnunquam, sed rarò citra vllius rei degustationem, vt humores linguam imbuentes sensu percipiantur, vbi adamussim absoluta fuerit gustandi facultas*, cui exempla aliorum sensuum in medium attulit his verbis. *Haud absimile symptoma ei, quod in oculis vsu venire solet, cum ob ventriculi affectionem suffusione se laborare quispiam putat: aut vbi sonum aures percipiunt nulla re forinsecus obstrepente, sed ipsa circa membranas motione phantasma transmittente: aut etiam vbi nares ob humores in ipsis contentos, odore quopiam afficiuntur*. tali modo etiam deprauatur tangendi sensorium, cum iudicat aliquo flagrantissimo calore detineri, ita vt adustionem iam imminentem percipere putet, aut aliquod graue sentiat, quod auferri iubeat quamprimum infirmus. In prima specie deprauationis, quæ me iudice præcipuè, ac principaliter hoc nomen sibi vendicat, aliqua fit deceptio: visus enim malè affectus alba citrina iudicat, & lingua dulce amarum, aut salsum: In secunda autem nulla contingit deceptio: nam auris cognoscit strepitus in ipsa realiter inexistentes à vaporibus, aut flatu proprium sensorium ferientibus, & lingua amarorem in ipsa existentem ob humoris talis præsentiam. potest autem dici deprauata, quatenus ab obiecto interno excitatur, quod in naturali, & consueta sensatione minimè euenire potest: semper enim obiectum externum requirunt singuli sensus ad proprium obeundum munus, quod ab actu primo, vel ab habitu in vltimum actum ipsos deducat.

Alia præterea offensa, & molestia exercet singulos sensus, sed præcipuè sensorium tactus, quæ dolor nuncupatur, quæ nec sub ablata functione, nec deprauata, nec diminuta collocatur: exquisitè enim sensorium sentit, & vehementer, & percipi tristem illam sensationem, nec decipitur & sæpe, atque sæpe tactum ab externo tangibili occurrēte hoc symptoma exercet, maximo cum eius cruciatu qui in nullo alio genere deprauationis accidit, vt experientia quotidiana demonstrat. hoc symptoma non contineri sub triplice illa iam narrata diuisione elicitur etiam adapertè à dictis Gal.
C.3. lib. de sym. diff. sic. *Igitur sentiendi functiones noxam subeunt, quarum communes quidem omnibus sunt sensus priuatio, & sentiendi difficultas, (voco autem in præsentia sentiendi difficultatem omnem malam sensionem) particulares verò in singulorum sensuum functionibus deprehenduntur, vt in oculis cæcitas, Visus hebes: & deprauata visio: in auribus surditas, grauis auditio, & deprauata, ita de naribus, lingua, & tactu ad portionem dicendum, quanquam propria nomina non obtinent. Aut enim propria sensibilia*

non

non sentiunt, aut malè, male aũt bifariam dicitur: vel enim quod debiliter, vel id quod deprauatè significat Tactus autem in sua functione præter reliquas sensiones proprium, & insigne symptoma obtinet, nempe dolorem: qui licet cæteros sensus ob externa, eademque propria sensibilia obturbet, hunc tamen sensum non solùm ob externa sensilia, sed multò magis ob intimos corporis affectus discruciat.

Ab hac narratione varia mente concipiuntur demonstrantia sub tripli ci illa diuisione non contineri dolorem, seu tristem sensum: nam postquã Gal. demonstrauit illas noxas omnibus sensibus esse communes, diligenter vestigauit illa nomina, quæ particulares offensas indicent, atque significent quæ in sensu Gustus, Olfactus, atque Tactus, minimè adinueniri decreuit dicens. *Particulares verò in singulorum sensuum functionibus deprehenduntur, vt in oculis cæcitas, visus hebes, & deprauata visio. ita de lingua, naribus, & tactu ad portionem horum dicendum est; quanquàm propria nomina non obtinent.* Quæ etiam repetit lib. 1. de symp. cap. his verbis. *Itaque cum de sensione, quæ proprias habet in animanti partes, satis iam disputatum sit; de sensu omnibus quomodolibet sentientibus communi iam dicamus, at tactum hunc nominant. accidunt verò huic symptomata, quæ reliquorum sensuum symptomatis respondent proportione, ac communi appellatione contenta sunt: quia proprium non habent, quemadmodum nuper dictorum aliqua; neque enim in gustandi, neque olfaciendi facultate eiusmodi habemus nomina.* At si Galenus censuisset dolorem esse sub deprauata functione, hæc nõ pronunciasset, cũ notissima sit hæc tristis sensatio, & sit insigne, & egregium symptoma tactus ab ipso peroptimè cognitum, cuius sæuitiem, atque vehementiam expertus est, vt ipse testatur. Præterea consonum est rationi, si pro certo ille habuisset dolorem inter tria genera illa collocari, de illo habuisse sermonem, dum illa proponit, & varia exempla eorum ante oculos nobis posuit. At de dolore nec verbum quidem, immò omnibus alijs absolutis nouum proponens genus symptomatis omnibus sensibus commune subiungit. *Tactus autem in sua functione præter Reliquas Sensiones proprium, & insigne symptoma obtinet, nempe Dolorem. qui licet cæteros sensus ob externa, eademque propria sensibilia obturbet; hunc tamen sensum non solum ob externa sensibilia, sed multò magis ob intimos corporis affectus discruciat: idque interdum adeo vehemens, vt laborantes doloris grauitate victi seipsos interimere cogantur. Atque oculos identidem dolor inuadit ob lucis splendorem: similiter Aures ob vehementem & asperum strepitum: in Olfactu quoque, & Gustu aliæ quædam molestiæ eueniunt, prout quilibet horum à proprio sensili dolenter fuerit affectus.* Postea adaperit vltra iam dictam Molestiam contorqueri etiam illã quæ ad sensum Tactus pertinet, sic. *Maximi verò dolores in sensu tactus percipiuntur: etenim vehemens dolor, quo in auribus ob phlegmonem, aut alium quempiam affectum torquemur non ad sensum auditus, sed ad tactum propriè pertinet: quippe qui omnium sensuum instrumentis communis est. Ita in oculis subinde vehementes dolores excitantur sensu tactus in ipsis laborante.* Hæc eadem scribuntur 1. de symp. Caus. Quapropter affirmandum venit cæteros sensus excepto sensu tactus duobus generibus molestæ sen-

sationis excruciari, vnum quorum à proprio sensibili procreatur, aliud verò à tangibilibus. Adde in principio suæ orationis hæc in medium attulisse verba Galenum. *Tactus autem in sua functione præter reliquas sensiones proprium, & insigne symptoma obtinet, nempe dolorem.* Sicut legitur in translatione Gulielmi Coppi Basiliensis. Per verba illa, præter reliquas sensiones quid intelligere volumus? non præter reliquos sensus, sicuti legitur in Translatione Thomæ Linacri Angli: subdit enim Galenus cæteros sensus etiam dolore detineri illo excepto etiam tactum infestante, quod confirmauit. cap 6. lib. 1. de symp. C. ita *Delectatione verò, & dolore omnes sensus affici possunt, sed dissimili efficacia: quippe Visus parum afficitur, Tactio, & Gustus maximè, mox ab ijs Olfactus, atque hunc sequitur Auditus.* Quid igitur per verba illa intelligendum? nisi, vt re vera est, affirmamus Gal. decreuisse vltra cæteras iam allatas morbosas Sensiones scilicet debilem, & deprauatam, sensus omnes alia offensa affici, videlicet dolore. Et hæc sunt quæ firmiter me ad credendum alliciunt dolorem non sub tribus illis noxis detineri, sed sub quarto illo genere iam proposito locari. & pauci mea refert Gal. statuisse pluribus in libris omnem sentiendi functionem triplici illo modo iam narrato lædi; nam sermonem habuit de offensa ab organo malè affecto suscitata, ad cuius noxam patitur & sentiendi facultas; non autem, ab obiecto excellenti oborta, quam ab exuperanti sensibili fieri manifestauit his verbis. *Qui licet cæteros sensus ob externa, eademque sensibilia obturbet, hunc tamen sensum non solùm ob externa sensibilia, sed multò magis ob intimos corporis affectus discruciat.* A cuius dictis patet sensibilia esse in causa molestæ sensationis, siue intrinsecùs, siue forinsecùs incurrāt molestā sensatione inferētia, & pcipuè in sensu Tactus, & subiungit varia exempla narrans dicens. *Atque oculos identidem dolor inuadit ob lucis splendorem, similiter Aures ob vehemētem, & asperum strepitum, in Olfactu quoque, & Gustu aliæ quadam molestiæ eueniunt, prout quilibet horum à proprio sensibili dolenter fuerit affectus.* Sed tristis sensatio, quæ sensorium Tactus infestat, non solùm à tangibili deforis occurrenti excitatur, sed etiam intrinsecùs ipsum infestanti: vnde non reducitur sub deprauatam functionem, cum illa tātùm ab obiecto interno producatur, dolor autem & ab interno, & ab externo. Et hæc de sensitiua facultate satis sint.

De Sensu Communi. Cap. XVI.

Decreui iam doctissimi lectores in limine libri huius secundi aliquid de communi sensu in medium afferre: quapropter, breui tamen oratione, nonnulla ad talem functionem attinentia narrare vobis aggrediar. Communem sensum inuenio ego à Galeno varijs modis vsurpari: nam interdum hunc vocat facultatem à cerebro influentem ad singulos sensus, cuius præsentia omnia sensoria propriam operationem in apertum edunt. hoc modo credimus nos ipsum appellasse communem, quoniam varijs organis distribuitur 7. de plac. Hip. quo leguntur hæc. *Nam primum sensorium qualecunque id fuerit, sensibus sigillatim omnibus cōmune est, vt Plato* C. 6.

etiam

etiam tradidit in Theæteto; & in fine inquit, in his igitur & sequentibus,
tùm alijs quoque dialogis de communi quadam facultate, & potentia docuit
nos Plato, quæ à cerebro per neruos in singula sensoria penetrãs alterationes
ipsorum omnes præsentit. Et c.8 *Alteratio verò ipsa ab vna, eademque fa-*
cultate omnibus sensorijs communiter impertita à principio emanante cogno
scitur. Quæ etiam repetit 1.de Sympt.Caus. Interdum dixit sensum com- Cap.8.
munem cerebrum: ab ipso enim tanquàm à communi fonte, atque radi-
ce omnes facultates sensitiuæ emanant, hoc pronunciauit lib. 1.de Sympt.
Caus. sic. *Cerebrum primum sensoriorum est, atque primum sentiendi prom-*
ptuarium. Et 7.de plac.iam citato Cap. hæc. *Facultas à principio emanat,* Cap.8.
quod quidem principium siue sensum communem, siue primum sensorium vo-
ces, nihil refert. Non raro tactum communem sensum appellauit, vt 1. de
Symp Caus. his verbis *De sensu omnibus quomodolibet sentientibus com-*
muni iam dicamus, atqui tactum hunc nominant, qui communis fortè ab ip-
so vocatur: quoniam omnia alia sensuum organa sensu tactus prædita exi-
stunt. Et vt reliquit scriptum Arist. lib. de Somno & vigilia in ipso fundan
tur. Nuncupauit itaque Galenus Sensum communem facultatem illã, quę
singulis sensibus distribuitur, vna enim est & eadem, & ab eodem princi-
pio fluens, quæ varia, & multiformis euadit pro conditione organi ipsam
suscipiẽtis, cui duo adscripsit symptomata, dum in ipso cerebro existit, quæ
extant vigilia, & somnus profundus, cuius dicta hæc. *Atque hæc sunt fun-* Scil. par-
ctionum, quæ ad sensus pertinent symptomata, quibus præterea duo non me- ticularis
diocris notæ addi debent, nempe vigilia, & veternus, quæ in primo omnium tre diff.
sensu, qui communis dicitur, consistunt. Quæ indicant communem sensum symp.3.
aliquam esse facultatem distinctam à particularibus sensionibus, quam in
cerebro residere varijs in locis notum fecit appellans partem continẽtem
ipsam potentiam in ipsa residentem, hoc habemus lib. 1. de Symp. Caus. Cap.5.
vbi. *Fit somnus refrigerato primo sensitiuo, hoc est, cerebro ipso sic & vigiliæ*
fiunt propter calorem primæ partis sensitiuę. Attamen ab eius dictis non eli-
citur aliquo in loco statuisse communem sensum aliquam esse potentiam
internam cognoscentem diuersitatem obiectorum sensuum particulariũ,
& cuiuscunque eorum proprias etiam operationes, & sensiones, sicut de-
creuerunt Philosophi, & præcipuè Arist. lib. 2. de anima, quam tamen opi-
nionem dilucidauit Alex. lib. 1. de anima, cap. de sensu Com. cuius verba. T.136. &
Quo autem pacto fieri potest, vt sensorium diuersas, & contrarias formas ex- 138. & li-
cipiat dictum est, hoc autem & communi sensu & videntes nos, & audien- bro de son.
tes, & singulis sensibus sentientes sentimus; qui enim videt, auditve, audire & vig.
sese, & videre iam sentit: nanque non alia potestate, quàm sensu nos ipsos
sentire percipimus, neque tamen nos videre videmus, neque nos audire au-
dimus, sed hoc primi, & proprij sensus, qui communis dicitur, opus est, &
functio. Sic & Them. & Simpt. 3. de anima. Philoponus autem li. 3. com. 9.
hanc facultatem non sensum communem vocauit, sed attentiuam poten-
tiam sic, postquàm redarguit aliorum sententiam. *Quod neque est sextus*
sensus, qui quod sentiatur, cognoscat, neque quod idem, quod videt, & scit,
quod videt: sed hoc est rationalis animæ, huiusque facultatis attentiuæ, &
subdit. quare non rectè dicit Arist. sed vt diximus, est attentiua animæ sensuũ
parti-

particularium operationes cognoſcere. & quòd hoc ſic ſe habeat, ex rebus eſt videre; occupata enim circa quidpiam ratione, etiãſi videat viſus, neſcimus quid viderit, eo quod occupata fuit ratio, & poſtea vbi ad ſe rediјt ratio, licet amicum non videat, nunc inquit, ipſum vidi, vt quæ veluti parùm viſi typum receperit. & ſi ergo occupata fuerit, cum ad ſe redierit, ſe vidiſſe dicit. eſt ergo rationis dicere vidi. Facilius eſſet hanc Philop. opinionem deſtruere, ſed hoc philoſophis relinquamus. cognouit cognoſcere communem ſenſum differẽtias inter obiecta ſingulorum ſenſuum Plato in Theęteto, quo loco hæc ſcribuntur. *Quod vox, & calor ſint inter ſe diuerſa, & quæ ſimilia ſint, & diſſimilia iudicare, id non viſus, & auditus, ſed aliud iudicare poteſt.* & in Charmide, ſiue de Temperantia hæc eadem, dum narrat viſum non poſſe ſe videre; quoniam coloratus eſſet. Mirum eſt Galenum non feciſſe mentionem de ſenſu communi, cum inter Platonicos maximus, ſi multis eſt credendum, fuerit, niſi dicamus ſub imaginatione, vel phantaſia collocaſſe hanc animæ potentiam, nõ diſtinguentem vnam

Fen. 1. harum ab altera. quod fortè nos docet Auic. lib. 1. his verbis. *Et virtus quidem comprehenſiua occultè ſcilicet animalis eſt ſicut genus quinque virtutum, vna eſt virtus, quæ vocatur ſenſus communis, & phantaſia, & apud medicos vna virtus tantùm, ſed apud certificantes, qui ſunt ex philoſophis duæ ſunt virtutes. Senſus enim communis eſt illa, quæ omnium ſenſuum percepta recipit, & ab eorum formis patitur, quia in ipſa coniunguntur. ſed hoc eſt Philoſophi; ſatis enim eſt medico ſcire ſedem eſſe anteriorem cerebri ventriculum.* Medici ergo non ità diſtinctè, vt philoſophi, propriam functionum principalium naturam ſcrutantur; ſed ſæpe duas pro vna accipiunt, & vſurpant.

De Catalepſi, ſeu Catoche. *Cap. XIX.*

CAtalepſim Arabes omnes congelationem dixerunt, recentiores autem Græci teſte Paulo *Fæminino genere catochen, & catalepſin veluti detentionem, & deprehenſionem dicunt qui enim corripitur repentè in illo permanet habitu, quo correptus eſt, ſtans, ſcilicet, vel ſedens: quam ob cauſam antiquiores Græci hoc detentos morbo catochos, aut catochomenos, quaſi dicas occupatos, deprehenſosque nominarunt.* Eſt Catalepſis ſenſus Vigilans ſtupor cum totius corporis conuulſione ob frigidam, & ſiccam cerebri præcipuè poſterioris intemperiem. Exiſtere ſenſus vigilantem ſtuporem

3. docet nos Gal lib. 2. aph. & ab intemperie illa pendere his verbis. *Somnus fit primo ſenſifico, i. cerebro refrigerato, quæ refrigeratio, ſi vehemens cum humiditate morbos lethargicos, ſi cum ſiccitate vocatas græcis catalizas, ideſt vigilantem ſenſus ſtuporem cõmittere ſolet.* Stuporem fortè ſenſus, & præcipue viſus vocauit vigilantem: quoniam oculis adapertis, ac immobilibus ægri tanquam aliqua vehementi ex improuiſo cogitatione detenti manent: uel quia omnes ſenſus diminutè, veluti ſtupore quodam vexati,

Com. 5. operantur, non euidenter enim audiunt, nec vident vt 2. Pror. legitur. ſociam huic morbo eſſe conuulſionem arguit totius corporis ſtatus, nam cõ

discipulus

discipulus Gal. veluti lignum prorsus inflexus, rigidus, & extensus manebat. Magis posteriorem cerebri partem noxam pati habemus 4. de l. aff. sic. *In Catalepsi verò, & vigilanti sopore, Græce catoche posteriora cerebri magis molestantur, quam in sopore.* à frigida illa, atque sicca cerebri intemperie modum excedente partem posteriorem cerebri præcipue occupante, nerui exiccantur, & contrahuntur, necnon etiam illi, qui oculorum motui à natura destinati fuerunt: qui hanc ob causam immobiles, minimè conniuentesque ab astantibus conspiciuntur. Paul. autem sed non propria sententia ductus non simplicem esse intemperiem, sed humorem ventriculum posteriorem replentem, cuius verba. *Interim dicunt etiam priuatim diuersumque à vigili comate catochon fieri, cum simplicem non mixtam habebit causam, nimirum frigidiorem, sicciorem que materiam, quæ posteriore cerebri ventriculo repleto malum hoc excitarit.* à cuius sententia non forte abhorret Aet. hæc narrans. *Medici autem catocham, & catalepsin, hoc est mentis occupationem, & apprehensionem vocare solent ex humore atræ bilis magis contingens.* at Haly vir reuera doctissimus pronunciauit non solum ab humore frigido, & sicco, & præterea crasso obstructionem postremi ventriculi fieri tali in morbo, sed interdum etiam ab aquæ gelidæ potu, ac eius lauacro. quod vt Rhas. lib. 1. cont. confirmat. dicerem autem ego Gal. vestigia sequens immediatam causam esse excedentem frigiditatem, & siccitatem, cui interdum annexa est materia, quæ vel melancholicus humor existit, vel phlegma vitreum, veluti idem scriptor. Quicunque tali passione corripiuntur, sicut colligitur à dictis Gal. 2. Pror. dum de quodam condiscipulo verba habuit, tanquam lignum prorsus inflexi, rigidi, atque extensi manent, eorum oculi adaperti, & immobiles, loqui non possunt, nec membrum aliquod mouere, præterea & venter sicuti lib. 4. de Caus. Pul. legitur, ipsis *constipatur, & cogitur, qui lethargicis laxatur, quorum pulsus non imbecillus, nec mollis, sed in his sanè multum à lethargicis differt.*

C. 2.

Ser.

Com. 56.

Catalepsis si loquimur ad Gal. mentem est morbus in intemperie frigida, & sicca, si Arabum in via. est symptoma deprauatæ motionis, diminuti sensus: & imaginationis ablatæ, vt lib. de symp. diff. de quo infra aliquid dicemus. C. 3.

Difficilè, ac ægrè is Morbus curatur, præcipue si pueros affligat, quibus familiaris existit, ut Serap. decreuit periculosiorem esse Aet. Lethargo, quo quidem loco, vt superiora verba indicant de vero catocho mentionem non facit, sed de affectu quodam inter phrenitidem, & Lethargum medio, cuius quoque meminit Paul. curationem suscipere, etiamsi omnino sit perfectus, elicitur à delictis Gal. in eodem 2. Pror. quæ patefaciunt adolescentem fuisse sanatum, vera catalepsi correptum.

Si ab intemperie frigida, & sicca nulla comitante materia originem hęc affectio ducat: operepretium erit calefacere, atque humectare; humentia enim calida frigidis, atque aridis pugnare certissimum est. quæ respiciens Serap. instituit inunctiones ex oleo sesamino, atque instillationem, gutturnium supra caput ex lacte asinino, vel caprino, vel cataplasma ex maluis, violis, & oleo sesamino, pro cibo Ptisanam, mucilagines psylij, vel

lac asininum cum oleo amigdal. dul. & zuccaro.

Si verò talis intemperies socium crassum habuerit humorem: quamprimum erit reuellendus,& abducendus hiera,turbit, colocynthide, & scam-
Aet. monio, vt Haly.qui si indicia sanguinis adfuerint, venam quamprimum
Aet. scindere suadet. si vires permittant iubente Paulo. conueniunt & acres
Paul. clysteres, & frictiones, & cucurbitulæ cruribus admotæ, sicut Haly. & totum corpus leuiter fricari iubet Abynzoar. deinde caput ex castoreo, euphorbio, & oleo sambucino liniatur suasore Rhasi:potest enim talis inunctio non tantùm frigidam intemperiem delere, sed crassum humorem attenuare, & foras ipsũ educere. postea olfaciant menthã, muschũ, & ambram, vt roboretur cerebrum, narrante Abynz. præterea omnia conueniunt, quæ apopleticis opitulantur. his si tremor superueniat, drachma vna castorei cum aqua mulsa, vt Aetio placet, exhibeatur.

De Somno morboso, quem coma, vel cataphoram Græci dicunt.

Morbosum somnum coma, cataphoram, & soporem consueuit Hip.
C.1. appellare teste Gal. 3. Pror. qui cataphoram, & coma in somniũ delationem vocauit, ab Arabibus Subet nuncupatur, sub quo apud nõnullos & Carus continetur. Est somnus præternaturalis facultatis sensitiuæ
Diffin. qui es quædam modum excedens ob prohibitũ egressum spiritus animalis ad organa sensuum à causa morbosa obortum. Quiescere facultatem tempore,quo dormimus reliquit scriptum Gal.lib.1.de Symp.Caus. *nemi-*
C.8. *nem enim latet sensus per somnos aut ociosos omnino esse, aut debiliter agere : at in profundo somno sentiendi functiones offenduntur.* non differt autẽ somnus naturalis à morboso, nisi quia hic aut longitudine excedit, aut in expergefaciendo difficultatem coniunctam habet. hæc 2. aph. Prohiberi
3. spiritus transitum, & caloris in somno, narratur 3.de Cauf.Pul.vbi de expegiscentibus sic. *Somnus incidit,cum calor ex fatigatione, aut nimia siccitate ad alimentum se conuertit : Aut ob nimiam humiditatem foras nequit egredi spiritus.* Primus est salubris, & naturalis, secundus est comatosus, & morbosus, quod confirmat eodem lib.de sym. Caus. dicens. *quòd enim aliquis vel profundè, vel minus profundè dormiat,ex eo est, vt quotidie dicere solemus, quòd aut plus, aut minus facultatis affluit : quippe tanto minus affluere par est, quantò grauior est somnus.* in morboso igitur non fit reditus ad interna spiritus,vt Auic. vtque falsò multi putant, sed prohibetur eius ad organa distributio. Prohibent,& vetant eius effusionẽ quæcũque densare, & in vnum cogere cerebrum possunt, & præcipuè eam partem,quæ finitima existit organis sensuum, quæ ab Auic. anterior reputatur. inter cætera hęc efficere potest pituitosus humor, qui cæcos ductus, siue insensibiles obstruit, sua quantitate premit, & aggrauat,& frigiditate, & humiditate animalem spiritum ignauum reddit, retardat, & destruit. vt plurimum à frigidiore, & humidiori materia cerebrum irrorante acci-
Auer. dere decreuit Paul. at non tantummodo à pituitoso humore aggrauatur, & densatur cerebrum, sed etiam à copia optimi succi, vt sanguinis, vt legitur 3.Pror.ita. *Fit vel grauato ob succi vtilio copiam cerebro, à sanguine abundan-*

ab undanti, interdum ob pituitosum humorem. Hi enim humores replentes, & grauantes prohibent spiritus transitum, & ideo Gal. vtitur fere semper verbo illo grauari. at si viscidi fuerint, grauiores fiunt somni; difficilè.n. à facultate expelluntur: comprimitur præterea cerebrũ à caluaria attributa, aut à musculis temporum malè affectis, vt 4. de l. aff. sic. *Si quis premendo membranam violauerit, uel cum os caluariç uehementer attritum uentriculos comprimat, & maximè medium sopor peruenit.* quæ lib. 3. de mor. Vulg. com. 1. affirmat. Alias causas enumerauit 2. Pror. s. ægrè separabilem absque humore frigiditatem, vel frigiditatis excessum, vt 1. de sym. Caus. interdum humiditatem, sicut lib. 4. de l. aff. sibi me iudice contradicens, vt infra considerabimus. non negamus posse ortum trahere à frigiditate, quatenus exprimit humiditatem, quæ postea irriget cerebrum, vel quatenus constringit illud: quæ opera proueniunt à frigiditate per accidens, at non primariò. etiamsi 3. de l. aff. hæc. *Quippè quò ad uigilias, & sopores attinet per morbos, calida, frigidaque intemperies primam sibi facultatem vendicant: altera verò ab hac ad humiditatem, ariditatemque refertur.* nos autem semper humidum corpulentum esse statuimus nõ recedentes à Gal. dictis 3. de Mor. vulg. quæ. *Cum igitur humectata fuerit, uel irrigata multum ea pars, quæ sensus est fons, in qua & rectè Arist. somnum fieri demonstrauit, sopor sequitur, ut nonnullis euenit ebrijs.* Erit igitur semper humidus succus talis affectionis causa, siue sit frigidus, siue sit calidus; at si tali admisceatur aliqua bilis portio, concitatur aliud genus comatis, quod Vigil appellatur; *à pituita enim somnus inducitur, à bile irritate, & calefacienti uigilia,* sic legitur 3. Pror. Co. 3. præterea lib. 3. de mor. vul. iam citato enumerat inter somni pręternaturalis causam virium languorem, qui me iudice somnus appellandus non venit, sed potius quædam somni imago, quam recentiores impotentiam vigilandi dicunt, & ideo Gal. in com. *Quinetiam ob infirmitatem virium talis affectus fit iam emorientium, vt apertas palpebras seruare non valeãt, sed hi aut nihil prorsus, aut parum dormiunt, sed vigilant, sed attollere palpebras nequeunt.* & ob hanc causam ad vehementes dolores sopor sequitur concidente robore spiritus animalis, vt 4. de l. aff. 2.

C. 2. C. 4. C. 3. T. 11 C. 8. C. 5. Com. 1. 7. Co. 1.

Morbosus is affectus ad morbum in via reducitur; impeditur enim ad talem partem transitus facultatis, omne autem, quod migrat, & mouetur, semper per aliquod spacium mouetur: Ac non omnino ductus clauduntur, & obstruuntur, vt Auic. qui sub nomine subeth etiam carum desumpsit. Est symptoma functionum sensitiuarum in genere diminutarum sic. 1. de Sym. Causis. Pars, quæ oblæditur docente Auic. est anterior; primo. n. & visus, & auditus habetantur. C. 8.

Differentiæ sunt variæ pro diuersitate causæ materialis, & eius copia, à qua magis, & minus spiritus exitus prohibetur, quanto enim grauior erit somnus, tantò minus affluere quantitatis par est teste Gal. 1. de sympt. l. c. Præterea lib. de comate, duplex decreuit adinueniri comatis genus, scilicet somnolentum, & Vigil. attamen coma commune ambobus esse nomẽ. quod comprobat Hip. testimonio dicentis. *Erat coma continuum nõ somnolentum, & ait comatosos vigiles, vnde cataphora somnolenta, vel pigra*

dicitur; altera verò insomnis. prima Lethargicis propria, vtræque phreniticis contingere possunt. cum Hip. dicat, neque maniacus factus est phreniticorum aliquis, sed in quadam cataphora pigra capite grauati perierunt, & subdit Gal. duas esse species cataphoræ, insomnis, nominatur altera pigra reliqua nomine generis, & in hoc differunt a somnolenta, quoniam loquuntur, & delirant, & ad surrectionem promptissimi, quorum nullum in lethargicis contingit cataphoris. Indicat hoc mali genus continua in somnum delatio, quæ modum in longitudine excedat, vel difficilè ægri in ipsa expergiscantur, semper oculos clausos tenentes: at si ita occupet animal, vt neque
Carof. sensus, neque motus fungatur munere spirandi tamen facultate illæsa, talis
C. 2. grauissimus somnus Caros dicitur, vt 4. de l. aff. quos si ferias, veluti 2.
28. Pror. com. 2. stimules, & inclamites, minimè expergiscuntur. Si frigida, & humida humorum congeries somnum inducat, lingua ingrauescit, dolor tenet caput, palpebræ in molem eleuantur, & pituita à naribus, aut ore
Auic. fluit. At si venæ tumidæ apparuerint, & facies, & oculi rubeo colore conspiciantur suffusi, & lingua rubescat, in causa erit sanguis. Imbecillam facultatem demonstrant pulsus languidi, parui, & rari. Aliæ causæ innotescunt à relatione ægrotantis.

Inter morbos graues, atque molestos hic collocandus venit; interdum enim in apoplexiam, & lethargũ degenerat; non rarò si augetur, ratio,
C. 5. & memoria deperditur, auctor est Gal. 3. de l. aff. Omnem somnum modum
3. excedentem malum esse decreuit Hip. 2. aph. denotat. n. copiam humorum in capite detineri, & virtutem expultricem imbecillam esse. *At*
2. *in quo laborem facit, signum exitiale ab Hip. aph. 1. nisi in principijs febriũ, fiat: attamen illæ vix ad consistentiam perueniunt, & humores fiunt inconcoctiores; præterea deest illa vtilitas, quæ ex vigilia habetur, in hac enim humores excernuntur. Præterea quidam in somnis delira loquuntur, qui vbi expergefacti fuerunt, multo tempore in delirio perseuerant. quosdam somnus grauissimus occupat, & vix dum punguntur, excitantur. aliæ accidunt in somnis læsiones, quas Hip. scripsit in lib. epid sic. inter hos multi erant graui oppressi somno, & delirantes, & nonnulli ex somnis tales fiebant*. Vidit Gal.
67. sicut legitur 4. aph. & sæpe in morbis exitialibus, & timores, & labores, & conuulsiones factas à somno. Bonum autem est signum, si *somnus delirium sedat*, vt 2. aph. 2. scribit Hip.

Duo à me proponuntur, quibus æger potest à tali vendicari offensa. Vnum respicit materialem causam, alterum morbidum symptoma. De morbo in via non loquor, cum à tali à medicis non sumatur hoc in morbo curatrix indicatio, vel si sumitur, non reperitur auxilium partes illas aperiens, & ideo in epilepsia, & apoplexia ab aliquo non proponitur: etiamsi vtraque ab obstructione ventriculorum cerebri ortum trahant. Cũ igitur vt plurimum origo talis noxæ, sit frigidus, ac viscidus humor, nempe pituita, hæc est ad partes remotas reuellenda, & postea ad finitimas partes deriuanda.

Cum talis affectus sit de genere magnorum morborum tum ratione loci, tum ratione symptomatum, opus erit, si vestigia sanguinis apparuerint venam tundere, vel venas in sede aperire. venam secare iubet Paul. cephalicam,

licam. Auic. verò & à saphena, & à cephalica sanguinem extrahere suadet. At si corpus sanguine non abundet, purgetur, & euacuetur aliqua humoris portio diaphænico, & melle rosaceo, vel hiera, aut ijs, quibus lethargici euacuantur suasore Haly. conducit & Vomitus, vt Paul. præcipuè si stomachus repletus, sicuti Auic. reuellere affirmat efficaciter clysteres acres Rhas. qui habeant colocynthidis & panis porcini decoctum iubente Haly. Cucurbitulæ cruribus affigantur teste Auic. imperat Haly *Pedes optimè fricandos, crura stringenda, & fricanda squilla, piretro, & aceto acerrimo, quæ exulceranda esse* etiam decreuit Paul. sinapi, aut alio simili. Materia ad propinqua deriuetur vesicantibus brachijs summis, aut spatulis admotis. Et naribus insuflatis, & mansis per ductus consuetos materia euacuetur, auxilia celebrata ab Orib. Auic. Haly. nec non etiam à Gal. 3. de l.aff. & postea caput radendum, & aceto, castoreo, & sinapi illinendum vt Rhas. vel ferro ignito occiput inuratur. Inalterant per os desumpta theriaca, mithridatum, & castoreum, & caput èmbrocetur decocto ruthæ piretri, & castorei, vt Auic. præcipuè si causa erit frigiditas extrinsecùs capiti occurrens. olfaciant muscum at minima quantitate, vt cerebrum roboretur, eodem imparante.

Abynz.

Orib.
Auic.

Haly.

Nunc me transfero ad ea, quæ symptomati occurrunt cui, cum sit somnus quies, & immobilitas quædam, aduersantur excitantia, mouentia, & exagitantia. hæc docuit nos Gal. 13. Meth. dicens. *Quæ cum vigilijs lenire, quæ cum immobilitate excitare*. excitant præcipue obiecta dolorem inducentia, & colores, & splendores visum disgregantes, nec non etiam vociferationes, ac acuti soni auditus sensum interturbantes, & vt ita dicam, sua acutie diuellentes.

C. 21.

Sit victus calidus, siccus, & tenuis, vt Paul. exhibet Rhas. loco alimenti solum hydromel, optimum alimentum, si vires sint validæ, corpus pituitosis humoribus repletum, & noxa admodum grauis. at si materia calida, & humida fuerit, alijs auxilijs, & alio victus genere erit vtendum.

De Vigilia Morbosa.

SI somnus est sensitiuæ facultatis quies quędam, & immobilitas, vel vinculum quoddam, vt antecedenti capite satis abundè demonstrauimus: sanciendum erit vigiliam morbosam existere talis facultatis excedentem quò ad durationem ad organa sensuum distributionem ob continuam cerebri meatuum insensibilium reserationem à causa morbifica suscitatam. diffundi calorem, & facultatem ad exteriora in vigilia reliquit scriptum Gal. 6. de Mor. Vulg. com. 5. & ideo Auer. appellauit vigiliam motus continuitatem, perpetuò enim facultas ad exteriora mouetur. Reserantur tales ductus à calore, ipsius enim munus est rarefacere, & aperire, & præcipuè si aliqua acutie, atque mordacitate fuerit insignitus; stimulat enim facultatem expultricem partis, qua stimulata adaperiuntur meatus illi, vt obnoxium expellere tentet; ad quorum apertionem spiritus effunduntur ad organa sensuum, quæ functione sensitiua insignita agunt. has duas

Definitio.

3. causas in medium attulit Gal.2.aph.sic. *fiunt propter calorem primæ partis sensitiuæ, sed vel sola intemperatura, vel ex humoris biliosi abundantia.* bilis enim & vt calida,& vt mordax irritat facultatem,& vigiliam inducit
26. prohibetur etiam ab acri pituita vt 3. de Morb. vulg. com. 3. vbi legitur acredo ex putredine vigiliam procreauit. præterea adaperti etiam seruantur ob priuationem corpulentæ humiditatis, quæ somni existit in causa: priuatur cerebrum humiditate ob siccitatis præsentiam. cognouit etiam
C.5. siccitatem esse originem vigiliæ.3.de l.aff.dicens: vigilia maior,pro maio-
C.8. ri, vel minori siccitate. quod confirmatur lib. 1. de Caus. symp. 1. Pror. com. 1.& de Vict.rat.in morb.acut.com.4. siccitas igitur erit potius vigiliæ causa per accidens, & secundariò; non rarefacit enim nec relaxat, nisi iuncta sit calori;& nisi humiditatem destruat. quod cognouit Auic. affirmans caliditatem, & siccitatem esse vigiliæ primordium, sed caliditatem principem,ac potissimam causam.ad has reducuntur causas dolores,aeris splendores,& animi passiones;commouent enim spiritus ab internis partibus ad externas,& præcipuè ad organa sensibus destinata. Intemperies hæc calida,vel sicca aut in ipso cerebro oboritur,vel à vaporibus calidis,& siccis sursum elatis suscitatur,vt in febribus;& hæc interdum sociam habet
Auer. materiam acrem,& mordacem,vel salsam, vt testatur Auic. his verbis. accidit senibus ob salsedinem, vel ob siccitatem cerebri. quæ à Gal. causa
31. refertur lib.3.aph.sic. *Complures etiam-neque enim omnes, continenter vigilant; tum quia alioqui ferè senectus, ipsa solicita est,et anxia, tum etiam propter corporis siccitatem: quare tunc etiam magis vigilant, cum integra fruuntur sanitate.namque diximus in commentarijs de Temp.ipsas corporis partes per senectutem sicciores fieri.*

Est vigilia præternaturalis morbus in via, vel ad ipsum reducitur: est symptoma sensitiuæ facultatis, consuetum temporis spatium in actione excedentis.

Indicant hunc affectum à caliditate, & siccitate pendere, sitis, capitis calor, & oculi igne micantes. à simplici siccitate excrementorum à naribus,& ore exeuntium omnimoda priuatio;siccitas quędam oculos tenens, & capitis leuitas,præterea nec calor, nec frigus caput exercent. Humorem acrem oculorum ardor, ac morsus, & capitis pungitiuus dolor: coindicant ætates,anni tempus,vita anteacta,& temperatura. Hæc passio,si longo tēpore ægrum cōflictet,labefactatis viribus syncopim inducit teste Gal.
C.7. 12.Meth.Corpus exarescit,& fit gracile,vt tertio de san.tu.ob alimenti penuriā: præterea inutiles,& incoctos reddit cibos assumptos, vt de Vict.rat. in acut. com. 2. calor enim interna relinquit. Cum igitur vigilia sit inter
18. ea,quæ maximè euacuant,& exiccant teste Gal.7.aph. non immerito Hip.
20. 6.de Morb. Vulg.com.4. appellauit vigiliam edacem. *Dissipat enim narrante Gal. in com. corpus, insito calido dum exterius emicat secum non exiguas corporum substantiæ particulas educente.* adde in longis vigilijs non leue imminere periculum,ne phrenitis superueniat:in dies enim biliosior
18. euadit sanguis teste Gal.7. aph. at si fortè inuadat vigilia detentos desi-
18. pientia, aut conuulsio pessimum signum autore Hip.7. aph. hæc enim omnia à siccitate pendent, ab his omnibus euadit manifestum omnem

nem vigiliam modum excedentem malam esse, vt scribitur 2. aph. ab .3
Hippocrate.

Intemperies illa calida, atque sicca contrarijs erit remouenda, & sym-
ptomati occurrendum, enimuerò hanc sinceram, & solam esse rarò con- Cura.
tingit, sed materiæ annexam; ideo alia oboritur indicatio euacuandi sci-
licet, ac purgandi talem humorem, qui vt plurimum biliosus existit. Hic
purgatione euacuandus, & ad ignobiliores partes attrahendus, præcipuè
si ab infernis ad caput repat. purgant placidè, ac blandè (non enim effreni
medicamento exagitandum corpus, nec exiccandum,) manna, cassia, &
syr. viol. solutiuus, vel rosaceus: facta leni alui euacuatione reliquus matu-
randus; & postea paratus abducendus rhab. diach. & alio simili medica-
mento. Plures venam secant, refrigeratur enim habitus totius, & euacua-
tur totus; quantitas sit pauca, & reiteratis vicibus extrahatur, vel hirudines
hæmorrhoidibus admoueantur. interim non inutile erit ad partes attra-
here humores ligaturis, & frictionibus extremitatum docente Auic. adhęc
clysteres non admodum acres, & cucurbitulę inanes infernis admotę pro-
bantur partibus. Narrat Hipp. lib. de aere, aquis, & locis venas post aures
incisas somnum conciliare: Intemperies cum calida, & sicca contrarijs tol-
lenda: hanc immutant refrigerantia, & humectantia. sunt huiusmodi
syr. de lactuca, de portulaca, semperuiua, de violis, & de virga pastoris, se-
rum caprillũ, & aqua Lucensis, vel virginis. Extrinsecùs hoc præstat oxir-
hodinum, loco aceti citri succus ponatur, vel habeat succum lactucæ, sem-
peruiuæ, & solatri.

At quoniam sæpe, & sæpe nõ satis est aduersari morbificæ causæ: nã ali-
quando affectus vehemẽtia ad se totam trahit curationem: ideo vtile erit,
immo necessarium ante oculos eà ponere, quibus somnus conciliatur: op-
ponitur enim tanquam contrarium somnus vigiliæ, etiamsi hæc causam
quoque respiciant. hæc sunt quæcunque prohibere possunt exitum spiri-
tuum ad organa, & vinculum afferre sensui, in vigilia enim foràs erumpit.
appellantur hæc somnifera, quæ caput replent, & grauant vt Galen. 1. de
sym. Caus. c. 8. Caput igitur irrigandum sæpe venit papaueris decocto, vt
13. Meth. vel aqua, in qua violæ, lactuca, mandragoræ folia, & papauer C. 21.
imbullierint: vt Rhas. vel lac muliebre capiti infundendum, vt Auic. aut
emulsio ex semine papaueris parata: tempora nenupharino oleo, vnguen-
to rosato, ac populeo inungenda, quibus si opus erit, aliquid opij, & croci
addatur, hic enim tanquam vehiculum existit deferrens qualitatem medi-
camenti. Odorent aquam rosaceam, & caput papaueris; Et tota facies
abluatur aqua, in qua papauer, & melilotum incoquantur: & Auribus, &
naribus instillentur oleum nenupharinum, vt Auic. vel aqua lactucæ,
in qua aliquid opij adfuerit. At si omnibus his tentatis optatus somnus
non occupat corpus, bibat ea hora, qua se tribuit quieti prius tamẽ assum-
pto cibo seminum papaueris emulsionem (probantur semina talia à Gal. Auic.
1. de alim. facult. & 7. simpl. quæ emulsio lactucæ, vel violarum aqua pare-
tur: confert & Diacodion, vt 7. de comp. medic. legitur. hoc præstant 2. de
l. aff. vinum dilutum, & lactuca: hæc enim vt 3. lib. graues inducit somnos, C. 9.
si multam ipsius quantitatem aliquis ingesserit. præterea & syr. de papa-
uere

uere cum aqua lactucæ conuenit. at si ægri vita aliquo discrimine versetur, ad confectiones opiatas suasore Gal. 12. Meth. confugiendum. hæc sunt Theriaca recens probata ad Pisonem, Philonium, & requies Nicolai. inter cætera auxilia, quæ probantur à Rhasi. 1. Cont. hoc inueni, quod est, vt hirudines admoueantur venis temporum, quæ postea opio claudantur. Ad hæc reperiuntur quædam somnum inducentia, quæ spiritus motus quiescere faciunt, & hominem ab omni cura solutum reddunt, curas enim
31. impedire somnum certissimum est vt 3. aph talia sunt, quæ delectationem afferre possunt, vt suaues, & placidi cantus, sicut narrat Auic. plura refe-
C.2. runtur ab Areteo lib. 1 *scilicet contractio pedum suauis cum oleo, nec non etiam aurium mollis obtrectatio. nam ferarum iram, ac furorem arcet mollis aurium attrectatio. in Cimba decubitus; Maritima nauigatio; littorum sonus; vndarum murmur; ventorum bombus; citharæ sonus; & fabellarum enarationes.* Hęc enim omnia animum demulcent. iubet Auic. eo tempore, quo ad somnum conuerti solet ægrotans, extrema liganda esse ita vt dolor excitetur, & lampadem ante oculos ponendam, & multos esse amicos varios sermones habentes, & euestigio remouendam esse lampadē, nexus soluendos, & amicos omnino tacitos manere: ab his enim somnus placidus conciliari affirmat. Nutriantur cibis optimum sanguinem gignentibus, qui natura humidi existant, vt caro hædina, & pullina: conuenit & ptissana, & lactuca decocta. Vinum competit, sed dilutum. 2. simpl. facul. & liberalius epotum, vt 1. de sym. Caus. Aer humidus, & frigidus opitulatur illis, qui, si talis non teneat cubiculum, arte paretur: hæc nos docet Gal.
C.8. 10. Meth. sic. *Subterraneis inuentis domibus, quæ frigidissimæ sint, & maximè perflatæ, & ad septentrionem versæ: tum auris quibusdam, quæ ipsis sint propriæ, opera nostra paratis, aliàs ex euripis, in quo se deijciant multi aquarum fontes: aliàs aqua frigida de vasis in vasa transfusa. iam hoc statim etiam somniferum est. præterea domo assiduè aqua, quæ prorsus frigida sit, aspersa, ac rosis plurimis humi fusis, aut vitium capreolis.* Vitandi labores, venerei amplexus, & cogitationes, vt Auic.

De Visus Hebetudine. *Cap. XX.*

IMbecillitatem Videndi vocauit Gal. 1. de symp. Caus. Amblyopiam, videlicet visum hebetem, & obtusum; Ablationem autem cæcitatem dixit,
C.5. & eius deprauationem hallucinationem, quæ omnia ferè & cap. 4. narrauit ita. *Hebeti aciei in visu graui auditioni in auditu respondet, deformis autem gustus, & deprauatus visioni respondet, vbi quis aut citra colóres, aut figuras, aut magnitudinem, aut habitus fallitur.* Hebetem viden
31. di sensum interdū obtusum appellauit, vt 3 aph. quo legitur: senibus visus obtusior, ad quem fortè reducūtur & oculorum caligines; ab ipsis. n. actus videndi non aboletur, nec deprauatur, sed minuitur; Hanc noxā nuncupauit Paul. Obscuritatem his verbis. *Obscuritas, quā Amaurosim Gręci vocāt, est totius cernēdi visus plerumq; absq; manifesto oculi affectu impedimentū: Hebetudo, quæ Amblyopia Græcorū lingua vocatur, est obscuritas visus ab*

occulta

occulta causa proueniens. à cuius verbis elicitur Hebetudinem esse etiam non diminutum videndi actum, sed ablatum à causa interna suscitatam, vel vt placet Aet. & Actuar. 2. Meth. ob plurimas causas contingentem. Nos autem Gal. vestigia sequentes Hebetudinem non cæcitatem, & ablationem visus appellamus, sed diminutum videndi actum, atque obtusum: quæ quidem offensa interdum ab ijsdem causis adauctis, & vigorosè agẽtibus in cæcitatem degenerat. Hebes, & obtusus euadit cernendi sensus quatuor de causis, à quibus interdum & omnino aufertur, Aut enim vis sentiendi à cerebro infirmo ægrè transmittitur, & impertitur. Aut mediũ deferens scilicet neruus opticus munere proprio languidè fungitur: Aut Oculus aliqua offensa detentus prohibet facultatis actionem, aut obiecti receptionem: Aut denique obiectum excellens tantam offensam affert sensorio sano, vt illud ægrè, & obtusè videat. Hæc omnia perfectissimè cognouit Gal. & enumerauit 1. de symp. Caus. & cap. 1. sic. *Facultas autem* 2. & 3.
offenditur vel neruo affecto, vel cerebro: atque vtriusque horum octo sunt morbi, ipsis vt similaribus accidentes, atque alij, vt instrumentis: nempe obstructio, constipatio, ac tumores præter naturam, quos affluentes humores pepererunt. Præterea & continui Solutio, quæ cerebro, neruo, ac omnibus similaribus partibus, & instrumentarijs accidere potest. A cerebro enim malè affecto spiritus aut paucus, aut crassus, & turbidus, vt nebula, ac fumus, producitur, qui talis existens visioni incommodat, vt Cap. 2. legitur. Impedit Oculus cernendi actum varijs de causis secundum eius variam structurã cõstat. n. ex humoribus, tunicis, & foraminibus, tali tẽperatura, substantia, colore, situ, & cõtinuitate præditis, à quorum omnium offensa præternaturali visio hebetatur, aut aliquod incommodum patitur. Humores enim si quantitate, aut substantia, aut colore, (vt si subfusco insignita) à naturali statu recesserint, procul omni dubio obtusè cernet *animal, & maximè si crystalloides primum videndi instrumentum, ad cuius seruitium creatæ sunt reliquæ oculi partes, offensam aliquam ex iam dictis patiatur. Foramen, vt Pupilla, quatuor de causis à propria natura permutatur, nempe aut auctum, aut diminutum, aut diuulsum, aut ruptum, imminutio verò. s. constrictio si in vtero cõtracta est, acutissimã efficit visionẽ, quæ verò postea accidit, prauam. At cũ pupilla siue in prima protinus cõformatione siue postea amplior fuerit, vniuersus animalis spiritus à cerebro demissus implere non sufficit: vnde ipsum diffundi, ac dissipari necesse est. Imminuta aũt pupilla, siue exigua censetur mediocri deterior, quia prauos affectus sequitur, nõ aũt suapte natura. Tunicæ multas sustinent passiones, quæ afferre possunt visioni detrimentum, sed præcipuè si aut contrahantur, & rugentur, aut laxentur, aut ipsarum cõtinuitas soluatur: exẽplũ desumamus à ceratoidẽ tunica, si. n. teste Gal. huius tunicæ ea pars, quæ pupillæ obiecta est, crassior, densior, & humidior fiat, visionem offendit. Sic etiam si color immutetur: si vlcere notatu digno infestetur: si eorum, quæ extrinsecùs ei adiacẽt quidpiam ita increuerit, vt eam tenebrosam reddat. Corrugatur hæc in ijs, qui extrema iam senectute premuntur. Sedes earum partium, & totius oculi vitiatur, si ad alterum angulorum, vel maiorem, vel minorem conuertatur; si verò ad superiora, vel ad inferiora declinet, tum quidquid cernitur, id*

duplum

duplum esse videtur. Duplum autem obiectum cernitur, vt rationi consonum, quoniam oculi idem punctum non feriunt intuitu, cum vnus altero sit aut humilior, aut altior: Sed hæc non obtusum visum, sed potiùs deprauatum reddunt, quod non rarò efficiunt tunicarum varij colores, & humores diuulsi, vel vapores inter ipsas, & humores contenti: qui tamen humores, vel vapores, si inter rhagoidem, & crystalloidem contineantur, impedire possunt, quò minus res visibiles dignoscat animal, attamen diuersimodè; nam interdum totum foramen à crasso humore læditur; interdum non totum, sed aliqua eius particula: & non rarò in pupillæ centro exigua consistit suffusio, vnde manent partes, quæ in circuitu sunt, puræ. Visibile denique obiectum interturbat, & hebetat visionem, vt solis splẽdor, albus color, necnon etiam vastę tenebræ, in quibus si diu aliquis commoretur, ita vt nullum splendorem intueatur, is luci restitutus nihil penitus videre poterit: quippe, vt 6. cap. scribitur; extinguitur quodammodo visio, & crassior, & obtusior redditur. Omnes verò prædictæ causæ, cum auctæ fuerint, visum delere, & auferre possunt, cum nònnunquam sola ceratoides tunica corrugata offendat, cuius quidem morbi si fuerint magni, in totum visionem impediunt: *sic & inhærens membrana phlegmone laborans ex accidenti videndi functionem impedire potest, etiam si non sit aliqua earum partium, quæ oculum essentialiter constituunt*: hæc omnia literis mandauit Gal. 1. de sym. C. cap. 1. & 2.

Cerebrum, Nerui Optici, Humores, foramen, & Tunicæ vt plurimum ab humoribus pituitosis, atque serosis repleta actum cernendi impediunt: 5. quæ nos docet Gal. 3. aph. quo habet Hip. *Auster auditum hebetat, caliliginem visui obducit, & caput grauat. sic. Causam autem, quamobrem auster hęc efficit, difficile non est ex eius temperamento intelligere: quippe qui calida sit, & humida natura: eiusmodi enim omnia vim replendi capitis obtinent, quę eadem ipsa causa est, vt sensuum instrumenta humiditate multa infarciat*. Interdum autem ab intemperantijs omnia illa infestantibus, quæ numero octo extant, & à tumoribus præter naturam, & à soluta vnitate, necnon etiam ab obstructione, & stipatione, quæ duo potissimum ad neruum opticum attinent, hoc genus mali suscitari solet, vt 1. de symp. caus. cap. 1. scribitur: ab intemperie enim calida, & sicca spiritus animales absumuntur, malè cerebro affecto, neruus opticus exiccatur, atque contrahitur, humores pauci euadunt, & quò ad substantiam permutantur, foramen præter naturam constringitur, & Tunicæ corrugantur: at si sociam materiam habuerit, eo magis grauiora hæc omnia euadent, cum non tantummodo qualitas solitaria illa agat, sed vnà cum quantitate replere, distendere, & obstruere possit: hæc omnia etiam contingere possunt ab intemperie frigida, & humida, cui annexa sit humorum copia, at dissimili modo, & ratione.

Est Hebetudo Visus Symptoma in genere diminutæ functionis, at si augeatur, cæcitas nascitur, quod est in genere ablatæ. Ad varios reducitur Morbos, sed vt plurimum per multa media, crystallinus enim humor turbidus factus, vel fuscus procul omnidubio idola rerum visibiliũ malè recipiet, vnde animal ægrè videbit, quæ tamẽ impuritas immediate ab intẽ-

perie

perie nō oritur, vel ab obstructione, sed ab humore à cerebro illuc cōfluēte vitiata concoctione, quæ diminuitur, atq; vitiatur ob aliquam cerebri intemperiem: ab his patet impeditam visionem, vel imbecillam ab obscuritate crystallini obortam non reduci immediatè, nec per media ad morbum in intemperie oculum fatigante, sed cerebrum obsidente.

Indicant cerebrum læsum esse cæteri sensus ægrè munera propria obeūtes, sicut Raf. & Auic. etiamsi non sit arbitrandum totum cerebrum semper oblædi, sed tantummodo partem illam, à qua nerui optici nascuntur; sicuti contingit in auditus oblæsione, si credendum Gal. cuius verba. *Surditas aduenire solet aut ob auris partem aliquam, aut ob neruum à cerebro descendentem, aut ob cerebrum ipsum, si ea in parte, qua oritur neruus, fuerit læsum.* Si itaque totum cerebrum non sit malè affectum, ad quid statuendum venit omnes sensus offensam pati? Sig. à cerebro. C. 4.

Spiritum à cerebro fluentem esse in causa imbecilli, ac hebetis sensus, varia arguunt, pro eius diuersitate: *Si enim multus fuerit & crassior, res distantes videt quidem, sed non ad vnguem discernit, At si humidior, & exiguus (vel paucus) is neque exactè, neque porrò videre potest, si paucus, & purus, res propinquas planè discernet, ita distantes haud quaquam videt.* Hæc Gal. attulit Auic. in medium horum omnium causam & ad mentem illorum, qui affirmant fieri visionem per extramissionem, & etiam illorū, qui pro firmo habent produci per susceptionem, cuius verba. *Causa in hoc apud loquentes de radio est, quod visus non fit nisi egressione radij, & cum obuiat ei quod videtur: & quod motus vadens ad locum longinquum subtiliat eius crassitiem, & æquat eius essentiam, quemadmodum huiusmodi motus resoluit spiritum subtilem; quare interdum non operatur aliquid. Et apud illos, qui dicunt fieri formarum receptionem, est, quod glacialis motus fit fortis, cum videt illud, quod remotum est, & illud est ex eis, quæ subtiliant spiritum crassum habitantem in ipso, & resoluit spiritum subtilem, & propriè paucum.* Arbitrandum enim venit speciem visibilem è longinquo venientem ad crystallinum magnam facere impressionem, ac motum, à quo motu crassi spiritus subtiliores euadunt, & vim obiecti faciliter ferunt. Auer. autem 3. Collig. censuit causam cernendi in nōnullis remota, & non propinqua, esse spatium illuminatum; in maiori enim interuallo maior lucis copia continetur, à qua oculus infirmus facilius mouetur, quàm à minori luce: & ideo videt ille remota, & non propinqua: si autem spiritus essent pauci, à luce abundanti disgregantur, ac resoluūtur; & ideo hi propinqua vident, dummodo non sint excellenter etiam illa illuminata; splendorem enim minimè ferrè possunt, vt peroptimè scribit Auic. maiorem, & minorem lucem esse causam videndi longinqua in aliquibus, & in nonnullis propinqua fidem faciunt oculi nigri, atque glauci: nigri. n. cū multum luminis requirant, cernunt remota, & propinqua non benè vident: glauci autem parum desiderant luminis; & ideo propinqua melius, quàm remota visu percipere possunt. A spiritū. 1. de sympt. Caus. c. 2.

Difficilè cognoscuntur hebetudines illæ, quæ ab aliqua offensa humorum, vel tunicarum visum fugientium, oboriuntur, si Auic credendum, sicuti si maximè patentes aut corrugentur, aut aliquo colore afficiantur, sub

oculos medici cadūt. Foraminis adstrictiones, vel dilatationes visui inno-
tescunt, sicut etiam tumores, & vitiatæ oculorum figuræ.

Auic. Humiditatem esse in causa obtusi visus indicant lachrymæ, totius oculi
humiditas, iris apparens, & humorum oculorum potius adaucta magni
tudo, quàm secus, Irim enim contingere ob superfluam humiditatem in
2.cont. oculis existentem Rhasis nos docuit.

Aridam, siccamque intemperiem oculos exercere arguunt eorum sicci-
tas, paruitas, & augumentum hebetudinis tempore famis, vt Auic. placet,
exercitij, atque meridiei.

Si subitò impediatur, aut omnino aboleatur, est statuendum ab obstru-
ctione nerui optici ortum trahere, si Aetio credendum, vel eius resolutio-
ne, aut temporum percussione, à qua optici nerui lædantur, & diuellantur,
præcipuè si nulla noxa in oculis conspiciatur.

Maximam, re vera offensam sustinet homo, cum ægrè, aut obtusè cer-
nit: sed admodum grauissimam, cum omnino tàm nobili functione pri-
uatur: nocitura enim fugere quando debeat, & iucundis gaudere ignorat:
adde illo excellenti sensu esse orbatum, qui hominem in multarum rerum
cognitionem ducere potest: At penitus spem amittit illum recuperandi,
cum ætas senilis iam ipsum occupauerit; humores enim facti sunt impu-
ri, & diminuti, spiritus pauci, & ad motum tardi; & tunicæ exiccatæ, aut
corrugatæ, à quibus omnibus actus videndi vetatur, aut aliquo modo im-
peditur. Curationem etiam respuit, quæ à neruo optico obturato, aut reso-
luto, aut percusso: sed ab humore hebetudo oborta non raro suscipit cura-
tionem; etiamsi aliqua cum difficultate, vt Aet.

Cura. Si plenitudine grauatus fuerit æger vnà cū humore pituitoso aut cere-
brū, aut humores, aut foramen, aut tunicas infestante, vena cubiti secetur,
sicut Orib. Ras. Aet. Act. & Paul. Si cephalica vt Haly. hac. n. humores re-
trahunur, & à loco morboso abducūtur, cōuenit ēt purgatio cum pil. lucis:
prius tñ cōcoquatur humor syr. acetoso, & oximelle squillitico, vt Mes. vel
vomitus excitetur, si facilè æger euomat, minimeque sit laboriosus docente
Auic. At Rhas. ad Alm. affirmat eogendos esse ægrotātes, probat Mes. si sto
machus in causa, prouocetur ante cibum, vt Paul. & Actuar. partes inferne
Orib. quotidie fricandæ, vt Act. Rhas. Auic. & Paul. & dolorosè ligandæ, & cly-
steres acres inijciendi iubente Haly: deinde occipiti cucurbitula admo-
ueatur, vt Orib. contingit enim plerunque statim incumbente adhuc cu-
curbitula hominem respicere, sicuti Aet. conueniunt & aurium scarifica-
tiones suasore Mes. vel hirudines temporibus, vt Paul. Act. Rhas. & Orib.
Aut sanguis ab oculorum angulis extrahatur, auxilium probatum ab illis
narratis scriptoribus. narrat Aet. aliquando ex angularibus venis se eua-
cuasse ad tres heminas. At priùs si grauitas caput teneat, vena frontis sece-
tur imperante Rhasi. postremo fonticulus in sutura coronali iubente Mes.
excitetur, aut caput varijs in locis inuratur, aut setaceum collo infigatur.
Interim materia per nares, & os euacuetur cum his, quæ pituitam à cere-
bro eliciunt, quæ probant Auic. Aet. Paul. & Rhas. Intemperies cerebrum
fatigans, à qua ferè semper humor obnoxius producitur, contrarijs remo-
ueatur, quibus admiscenda sunt illa, quæ cerebrum, & oculos roborare

possint,& spiritus visiuos turbidos illustrare,talia censentur theriaca,vt ad Pisonē legitur: ad sydera tollit electua. quod habet Zinzi.acori,hieræ,ana drach.iij. cū succo fęniculi,& melle fiat elect. Multi nucem myristicam cō-ditam, & mirabalanos conditas probant,aut Zac.e floribus betonicæ, & euphragiæ. Foris stillicidia competunt ex aqua salsuginosa, aut nitrosa,vt Aet.oculis instillentur illa,quæ facultatem habent detergendi, & exiccandi,sed non vehementer, vt Mes. & Auic. priùs tamen fouendi aqua marina pura vt Act.& calida vt Orib.Laudat Paul.mellis,& olei æqualem portionem oculis iniectam, Auic.tutiam aqua fœniculi ablutam,vel collirium ex felle hirci, hirundinis, & passeris cum melle, aut fel aquilæ, & viperæ: Gal.10. facul.simp. fœniculi succum cum melle, sief è fellibus describitur à Rhas.lib.9.ad Alm.à quo mirum in modum celebratur. Vel vtatur med. à Gal.descripto 4.de Comp. Med. secundum locos,quod recipit succi chelidoniæ, fœniculi ana drach. 1.mellis quantum satis. Sed maximè commendantur à Rhasi loco liquidorum pulueres exiccantes oculis impositi: si multa humiditas affectus erit in causa; alij medic.ex flore æris, aq. fœniculi, Zac. & vino albo: nonnulli aceti aliqua vtuntur portiuncula,vel aquæ ardentis,& copiosa fęniculi aqua his vti debet medicus,si ī oculo morbosa fuerit affectio: At si cerebrum,aut neruum opticum materia aliqua occupat,omnino ab his abstinendum,nisi indulgere quærat voluptati,ac mandato ægrotantis. Victus sit tenuis, & exiccans, immo præceptore Haly cœnam fugiant, & vinum fugiendum, vt Rhas. exercitium imperandum ante cibum, & deducendi sunt horis matutinis pectine capilli, mouentur enim ad superiora vapores oculos petentes,vt Auicen. vitent acria, vaporosa, fumum,& omnes colores,qui sensorium interturbare possunt.

Si neruus opticus obstructus huius affectus fuerit origo:toto iam dictis peroptimè mundato & venæ sectione,& purgatione,vt Abinz. *Collum fascia constringatur, & cum frontis venæ tumidæ apparuerint, exoluatur, & iterum ligetur, vt per spiritus motum violentum, humores concutiantur, postea secentur.* Hæc Rhas. hoc efficere possunt & violentæ, & cum impetu factæ sternutationes. A neruo optico.

Si à paucitate spirituum,vt in senibus euenire solet: credit Abynzo, illū adaugere columbarum ū oua cum rapis comesta, aut vitella ouor gallinarum cum sale, pullos palumborum siluestrium cum rapis ablatis capitibus, grana pini disrupta,& mala redolentia odorem gratum: inter medicamenta ab omnibus theriaca celebratur. A spiritus paucit.

Si à siccitate ortum ducat,cibis humectantibus nutriendi, vt lacte, teste Auic.est quies,& somnus imperandus: vinum bibant, & balneum ingrediantur,hac tamen lege,ne multùm sudent,vt Rhas.qui probat gutturniū ex aqua tepida, Auic.lac,aut olea humectantia capiti imposita, *& naribus oleum ex amigd. dulcibus inijciendum. Oculis autem lac mulieris adolescentis quaque die instillandum,* Hæc. Rhas. quæ omnia etsi varijs partibus admota vim habent humectandi & totum, & cerebrum, & oculos. A siccitate. Ad Alm.

De dilatatione Pupillæ. *Cap. XXI.*

DIlatationem incommodare visioni omnibus adapertum existit; Hæc à Paulo,& ab Oribasio Mydriasis appellatur: dilatatur,si credẽdum
C. 1. Gal.lib. 1.de symp.Caus. geminam ob causam,cuius verba. *Quippe continens causa, vt ita dixerim, quæ eam scilicet induit, rhagoidis tunicæ tentio est, cum itaque bifariam tendatur: quando propria ratione ipsius afficitur, aut exiccata vt similaris, aut humectata, vt instrumentum: etenim phlegmone, scirrhus, abscessus, & alij huiusmodi morbi ad instrumenta pertinent à redundantibus geniti humoribus. Verùm Tentio in rhagoide tunica nonnunquàm euenit ex accidenti, cum à subiectis humoribus ortum habuit: impleta enim veluti vter, aut vesica extenditur, et vltro, citroq; distrahitur, ipsis in medio spatio aceruatis inter ipsam, & crystalloidem.* Modum, quo suscitatur, narrat Auic. etiamsi me iudice Gal. dictis aduersans, attribuit enim defectum ipsi pupillæ, qui humoribus conueniunt, quibus lęsis ipsa per accidens aliquam noxam patitur, vt peroptimè superius ad Galen. mentem demonstrauimus. Sunt Auic. verba hæc. *Et quandoque fit propter causas existentes in ipsa pupilla, & illud est in albugineo; aut in vuea. Albugineus enim cum humectatur, & multiplicatur, comprimit vueam, & mouet eam ad dilatationem. Albuginei verò siccitas non facit dilatationem per se, sed per accidens scilicet inquantum sequitur eam siccitas vueæ, & vuea ipsa si desiccatur, aut extenditur ad extremitates suas, sicut extenduntur coria perforata, cum exiccantur: accidit ei, vt dilatetur, sicuti dilatantur foramina illorum coriorum: & propriè quando comprimitur ab humiditate, & quandoque accidit illud ex humiditate intrante substantiam eius, & addente in spissitudinem ipsius, & extendente eam ad grossitiem, quare accidit foramini, vt dilatetur.* Arbitratus igitur est Auic. primigenio morbo pupillam detineri, cum humores oculorum oblæduntur, quam affectionem ex accidenti decreuit suscitari Galen. Causæ remotæ sunt percussio, & casus capitis dolor, aut opij vsus vt 3. Meth. legitur, non rarò oritur à multa retentione anhelitus, vt in mulieribus parturientibus, narrãte Abynz. Hæ itaq; sunt causæ amplitudinis pupillæ, à qua imbecilla redditur visio; *Spiritus enim vniuersus ipsam implere non sufficit; vnde ipsum diffundi, dissiparique necesse est: Dissolutum autem, & dissipatum sentiendi difficultatem inducere;*
C. 2. In lib. de vsu partium iam demonstratum est, hæc lib. 1. de symp. Caus. Reducitur hæc passio tanquam ad morbum ad malam partis conformationem, dum enim partes aut laxantur, aut adstringuntur, vitiatur semper
Quis morb. partis figura, atque conformatio: attamen supra citato lib. & ad intemperiẽ, & ad instrumenta talem noxã Gal. refert; cuius verba. *Cum itaque bifariam tendatur, quando propria ipsius ratione afficitur, aut exiccata, vt similaris; aut humectata, vt instrumentum.*

Est symptoma vitiuæ facultatis in genere functionis diminutæ, sed interdum narrante Auic. ita dilatatur, vt omnino deleatur videndi actus.

Sig. Cum pupillæ color nihil immutatur, sed multo quàm naturaliter esse consueuit, est latior, quæ interim ex toto orbat lumine, interimq; per multum cernendi potentiam impedit, aciesque hebetescit, vt omnia minora

quàm

quàm sint, videantur esse, Statuendum venit, vt Paul. Orib. Auic. Rh. Haly. & Abyn. pupillam dilatatam existere. varij autē varia dixere, ob quam causam res minores cernantur. Aliqui enim in causa esse pronunciauerūt imbecillitatem, atque paucitatem facultatis visiuæ, quæ languida euadit, quoniam dispergitur per dilatatam pupillam: vnde species visibilis ad oculum perueniens non potest multiplicari, ita vt diffundatur ad tantam magnitudinem: ipsa enim cum pauca existat, ab obiecto respectu talis facultatis excellenti corrumpitur. cum autem non multiplicatur res videntur minores: Nonnulli in angulos obiecti causam referunt ab oculos susceptos: nam cum res videntur per paruum angulum, minores à visu iudicantur: cum verò per angulum pyramidalem obtusum, aut latum maiores. cum autem obtusè videntes palpebras vniant, atque constringant, visibile oculum ferit mediante angulo acuto, aut stricto, vniūt autem, vt isti decernunt, palpebras, quibus dilatata est pupilla, cum aliquid cernere tētant. & ideo res minores conspiciuntur, quàm existunt. Sed quando pupilla est adstricta, multum dilatantur palpebræ; quapropter visibile recipitur per angulum pyramidalem latū, & ex consequenti res cernūtur maiores, quàm reuera existunt.

Si magna dilatatio oculum infestet, amittenda venit spes salutis, vt ad Alm. non rarò degenerat in cataractam, si Aby. credendum. respuit etiam curationem narrante Mes. cum inueterascit. ęgre autem, ac difficilè quocunque tempore suscipit curam vt Haly. Præcipuè si à siccitate ortum trahat, sicuti legitur. 1. de symp. Caus. Prog.

Si ab humorum copia, vena secetur, vt Orib. & Auicen. vena sit cephalica docente Rha. & copiosè educatur sanguis iubente Abynz. initiumque curationis sumatur ab hoc auxilio, vt Actua. & venæ sedis referentur, pręcipuè si talis euacuatio sit suppressa, sicut Mes. *Pręterea corpus sępe purgetur; nonnulli enim cum aliquandiu nihil uidissent, repentina alui profusione lumen receperunt: noxiam enim materiam medicamenta deiectiones mouentia depellunt.* hæc Cel. & ideo legitur ad Alm. dragm. 1. s. pil. cochiarū singulis decem diebus exhibendam esse. Conueniunt & omnia illa genera reuulsionis, de quibus sermonem habuimus capite pręcedenti. deinde cucurbitulæ occipiti cute incisa admoueātur, vt Rh. Actua. Orib. & Paul. & super spatulas vt Mes. & sanguis ab angulis oculorum maioribus extrahatur iubente Auic. Actu. & Paulo. vel venæ temporum scindantur imperante Mes. Auic. & Rh. vel arteriæ adurantur, vt Mes. postea oculis infundantur illa, quæ vim teneant incidendi, & detergendi. Probat Orib. poscam: alij, vt Actu. & Rh. vtuntur aqua salita, & aceto, necnon etiam capiti infusis, ac fronti, à quorum sententia non abhorrēt Act. & Paul. Valentius est medicamentum, quod ex felle testudinis, & capitis hirundinis adusto paratur, vt Mes. vel sieſè fellibus, & tutia, vt Auic. Tandem cum dilatationi opponatur constrictio, vtendum erit adstringētibus, quorum vsum celebrat Rha. & Haly, qui collirium ex tutia, argento, auro, & omnibus illis, in quibus est repressio, commendat. Victus sit tenuis, vt aqua ciceris cum oleo sesamino iubente Auic. imperetur exercitium à Paulo laudatum his verbis. *Mederi his conuenit exercitio, & studiosa* C. 1. Cura. Auic. 12. Cōt.

diosa capitis, faciei, & oculorum fricatione. Si à ſiccitate, humectandum, vt Rh.3.cont.& Auic.

De Nyctalope, ſiue nocturno videndi impedimento. *Cap.* XXII.

C.2. *E*St *Nyctalops teſte Gal.2.Meth. diurna viſio, quæ nocturnis horis euaneſcit*: huius cauſa, atque origo eſt oculorum tenebroſitas, atque opacitas quædam, quæ lumine indiget vigoroſo, vt oculus ſplendidus euadat,
3. Collig. hanc cauſam narrat Auer. redditur tenebroſus oculus aut propter ſpiritus craſſitiem, aut humorum, ſi credendum Auic. & Ser. Addidit his duabus Aet. tunicarum craſſitudinem, quam fortè Auer. appellauit duritiem. Vt plurimum ſpiritus, ac humores craſſi fiunt ob cerebri ſuperfluam humiditatem, aut in cauſa eſt interdum ventriculus, vt Auic. placet, à quo multi vapores eleuantur ſupernam partem petentes, qui poſtea in oculis incraſſantur, aut in cerebro.

Sig. Facilè cognoſcitur à narratione ægrotantis, homo enim per diem cernit, ſole deinde occiduo obſcurius, noctu omnino nihil, vt Orib. & Paul. quorum opinioni omnes ſcriptores conſentiunt.

Pro. Minatur hic morbus futuram cæcitatem, niſi ſummo cum ſtudio curetur; præcipuè ſi à cerebro imbecillo gignatur.

Cura. Si bono habitu præditi ſint, vena ſecetur in cubito, vt Aet. & ſi humorum adfuerit multitudo, ſicut Auic. qui decreuit venam eſſe cephalicam.
Act. immo Rh. ad Alm. ex duabus cephalicis ſanguinem extrahit. ad inferiora
Pau. attrahunt, & acres clyſteres, qui ab Orib. probantur. ſicut etiam frictiones
Ori. à Celſo inſtitutæ, & omnia illa, quæ primo capite propoſuimus. Interim
Pau. digeratur humor ſyr. de hiſſopo ab Auic. probato: vel ante cibum bibat
Ser. hiſſopum, origanum, & rutam vt Aet. Deinde euacuent humores ſcam-
Aet. monio, atque caſtoreo, medicamentum celebratum ab Orib. & Paulo. ho-
Ori. rum quantitatem deſcribit Aet. dicens. *Si per hæc non ſucceſſerit, rurſus*
Hiſſopū. purgatorium dandum quale hoc. ſcammonij obol. iij. caſtorei ob. ij. ſalis ob. iij. in debilioribus autem ſcammonij obolos duos inijce. Sed fortè nonnullis ſufficiens doſis erit ſcammonij à granis decem, vſque ad quindecim. hanc operationem efficere poſſunt Pil. cochiæ, & lucis, & de agarico Mes. quæ purgatoria reiteranda eſſe decreuit Auic. deinde ſanguis ab
Actu. & angulis oculorum extrahatur, vt Orib. Aet. Paul. & Auic. vel à venis fron-
Ser. tis iubente Rha. ad Alm. vel à naribus, vt Mes. *Tum apophlegmatiſmi impe-*
Pau. *rabuntur, aut vt ſternutamenta excitentur* docente Orib. Oculi melle de-
Aet. ſpumato illinantur, claudanturque premendo humores, continendoque,
Act. vt Paul. addit Auic. melli fœniculi aquam, vel virtutem aluminis, vel ſa-
Ser. lis ammoniaci, ſi vigoroſius exoptamus auxilium. vel melli addatur fel hirici, vt Alex. qui nitrum cum aqua ſummopere commẽdat. Ad Alm. fiet de fellibus. Auic. omnia fella hircorum præcipuè, & arietum montanorum, & medicamentum ex ſanguine calidorũ animalium, & collirium è flore æris. denique omnia illa conueniunt, quæ facultatem poſſident, & attenuandi, & calefaciendi, quæ potius acria exiſtunt, quàm ſecus: quo-

rum

rum frequentem vsum Aet. damnat, & hoc forte, ne dolore oculi infesten tur attractis humoribus, vel in oculo existentibus liquatis. iubet tamen assiduè vtendum esse oleo vetustissimo. Ab omnibus scriptoribus hepar hircinum assatum celebratur, si humor ab ipso fluens oculo instilletur, vt Gale. 11. simpl. med. facul. vel vapores ab ipso elati oculis excipiantur, vt Aet. addit illi Auic. salem indum, aut piper. Conuenit & comestum, si illi credendum. quod etiam scribit Aet. his verbis. *Putatur ipsis prodesse hepar hirci assatum cum sale citra oleum calidissimum comestum.*

Excitetur sopita illa, vt ita dicam, videndi facultas fulgentissimis splendoribus nocturnis horis paratis; propria enim obiecta excellentia facultatem mouere possunt: & ex consequenti exagitando, & disgregando humorum reliquias, aut spiritum illum crassum attenuare, & discutere.

Diæta sit attenuatoria, & vinum in principio fugiant, vt Aet. probat vinum Auic. vetus iam perfectè concocto humore.

De Diurno visus impedimento.

VOcatur Nocturna visio, quæ oriēte sole delitescit, ab Auic. Algiehar, affectio omnino Nyctalopi contraria non solùm quò ad vidēdi tempus, sed etiam quò ad causam; perpetuò enim à pauco, subtilique spiritu producitur, si Auic. Rh & Aet. aliqua præstanda est fides. quod consonum est rationi, spiritus enim paucus, & subtilis facilè à splendore diei destruitur: se habet enim aer ille illuminatus in relatione ad illum, tanquam excellens sensibile destruens sensum, disgregat enim oculum; vnde spiritus cum sit subtilis, & paucus foras elabitur, & euanescit, nocturno autem tempore ob absentiam diurnæ lucis, & noctis frigiditatem crassescit, & in vnum cogitur. & sic visibilia percipit. causa igitur immediata est spiritus paucitas, atque tenuitas, paucus autem euadit, aut quia à cerebro morbido non producitur quantitate conuenienti, vel quia à tunicis rarefactis non retinetur, quam causam in medium attulit Aet. dicens. *Nos coniectamus spiritum multum attenuari, aut tunicas rarefieri, atque ex hoc spiritum dissipari, ac visum obscurari.*

In hoc genere morbi curando, dirigat Medicus mentem ad intemperiē cerebri remouendam contrarijs, ad spiritum augumentandum, & ad oculos, ne facilè rarefiant tunicæ, roborandos. iubet Auic. humectandum esse corpus, & sanguinem incrassandum, vt spiritus crassiores euadant, & cerebri intemperies sicca inalteretur in contrarium. quæ respiciens Rha. imperat caput irrigandum esse aqua dulci tepida, & naribus injciēdum lac, & oleum violatum. nos Robur addere oculis decreuit Aet. Hoc efficere possunt omnia adstringentia, vt tutia abluta plantaginis aqua, aut vino austero, aut plantaginis aqua, in qua sumach, aut mirti folia, & rosarum rubearum bullierint, vel aurum candens extinctum fuerit. Præterea & omnes colores, qui possunt facultatem in vnum cogere, atque vnire, vt nigri, & obscuri.

De

De Cataracta, siue suffusione, quæ hypochyma appellatur à Græcis. *Cap.* XXIII.

Quid. Vel rhagoidis. C.1. ESt vera suffusio visionis impedimentum ab humoris præsentia, aut cõcretione inter crystallinum humorem, & corneam tunicam oborta meatum fulgoris vitrei obstruente. Tali spatio procreari nos docet Galen. lib. 10. de vsu part. his verbis. *Suffusiones apellantur, quæ interiacent quidẽ inter humorem crystallinum, & corneam tunicam, visionem impediunt.* quę etiam leguntur cap. 4. & com. 1. Prog. nec non etiam lib. 1 de symp. Caus. C. 23. C. 7. Obstrui quoquomodo meatum litteris prodidit 7. de Decret. Hip. & Plat. his verbis. *Huiusmodi obstructionibus proportione respondet oculorum affectio, & morbus, qui suffusio appellatur, in qua fulgoris vitrei meatus, qui in acinali tunica est, obstruitur vt proprium visus instrumentum non amplius queat cum externo totum oculum ambiente aere copulari.* Humor autẽ qui loco illo medio continetur, interdum consistentiam quandam habet: quapropter tractu temporis veluti in tunicam quandam concrescit, hic est pituitosus à capite, vt plurimum fluens: vel tenuis, ac serosus existit. Sicuti C. 19. legitur 14. Meth. sic. *Etenim leuius est, ac, vt ita quis assimilet, nebulę similius hypochyma, quàm pus; quanquam horum quoque ipsorum quędam (hypochymatum dico) serosioris humoris sunt, hęc autem punctione ad pręsens discutiuntur.* Fiunt igitur ad Gal. mentem interdum à seroso humore, qui tamen non negauit à crasso produci, vt lib. de symp. C. sic. *Si verò foramen non totum à contento ibi crasso corpore obtenebratur, quem arbitratus est Abynz. non aliunde ad oculum fluere, sed à vaporibus. in oculo incrassatis produci.* Oritur alia suffusionis species à vaporibus à ventriculo, vel alia parte subleuatis, quæ per consensum vocatur, de hac varijs in C. 2. lib. verba fecit Gal. sed præcipuè 4. de l. aff. dicens. *Igitur accidentia suffusorum visis similia videntur, oculis nulla propria affectione molestatis, sed aut oris ventriculi, aut cerebri cognatione id accidere solet.* & Com. 1. Prog. Com. 23. *Ita fit, vt per cruditates quoque nonnunquam visa similia suffusis contingant: ita accidit per febrem acutam, ac peripulmoniam exhalantibus ad caput humoribus: humor enim ille in pupilla mundus concipit exhalationem. vbi* C. 2. *verò perturbatur, prædicta visa apparent.* & lib. 1. de symp. Caus. *Ad hoc genus symptomatum pertinent eorum, qui suffusione infestantur, visa, neq; non illorum, quibus sanguis e naribus fluxurus est, aut in quibus vomitus speratur: visa ab Hippocrate prodita: præterea quibus adeo absoluta est cernendi facultas, vt ne minimum quidem visibile eos latere possit: si vapores à ventriculo sursum ferantur, præsertim vbi non probè concoxerint, hos symptomata suffusioni similia infestabunt.* Has non appellari veras suffusiones à Gal. demonstrant hæc verba in quocunque loco in medium allata, (similia suffusis.) ad quas etiam reducitur illa, quæ à crassitudine tenuis humoris emergit.

Quis Morb. Est hæc passio morbus in via, existit enim quædam obstructio: quæ cũ pendeat ab aliquo superaddito præter naturã, potest etiam reduci ad morbũ in numero. vt legitur lib. de Differ. morborũ. est symptoma visiuæ fa-

cultatis in genere diminutæ functionis, at si increscat, ablatæ.

Huius affectus multiformes existunt differentiæ: quarum quædam à quantitate, ac continuitate ipsius, vt ita dicam, membranulæ, desumuntur: aliæ à substantia; & nonnullæ ab eius colore. illas, quæ ab eius quantitate hauriuntur, in medium retulit Gal. lib. 1. de symp. Caus. his verbis. *Si verò foramen non totum à contento ibi crasso corpore obtenebratur, sed relinquitur aliqua particula: videre licet per illam res externas, idque nihilo deterius, quàm antea, sed vnam quamlibet solam: neque enim eodem tempore multas similiter intueri datur ob uisionis conum, qui seipso factus est angustior. Si uerò in pupillæ centro exigua cōsistat suffusio, manentque partes, quæ in circuitu sunt, puræ: qui ita affecti sunt, quicquid aspiciunt, tanquam fenestratum esse putant: quippe id, quod in medio non uidetur, excisum esse arbitrantur. Quòd si iuxta iam dictum humorem craßa corpuscula, diuulsa, & inter se non continua appareant, hoc ob crasſiorum humorum copiam.* Aliquando narrante Auic. medium tantummodo occupat foramē; vnde rei obiectę solùm medietatem vident; interdum vnicam partem tantùm, nisi permutetur pupilla secundum situm, ad mutationem enim situs ab oculis varia variè conspiciuntur. Differ. C. 2.

Eius substantiam aliam esse subtilem, & claram, & aliam crassitie donatam adapertum est omnibus; sicut etiam notissimum illam varijs affici coloribus, de quibus verba facit Auicen. dicens. *Alia aerei coloris, alia gypsei, alia alba tanquàm margarita, alia ad glaucedinem tendens, alia ad aureum colorem, uel nigrum, uel citrinum, uel plumbeum, uel uiridem:* Horū nonnulli à diuersitate materiæ tali loco contentæ nascuntur, nonnulli à maiori, aut minori eius concretione: quanto enim magis concrescit; eo magis luciditate priuantur oculi morbosi; quapropter colores ad opacitatem, ac nigredinem tendunt.

Futuram suffusionem minantur corpuscula quædam aut crassa, aut diuulsa oculis apparentia: perinde ac si in exteriori aere culices circunferri intuentes viderent: præcipuè si alteri oculorum res luminosæ obuersari putent. Præsentem esse demonstrant pupillæ conturbatio quædam, atque obfuscatio, quæ sub oculos cadit; & hæc non ambos oculos, sed vnicū tantummodo occupare solet. quę ante oculos nobis ponit Gal. 4. de l. aff. his verbis. *Igitur accidentia suffusorum uisis similia uidentur, oculis nulla affectione molestatis, sed aut oris uentriculi, aut cerebri cognatione, id accidere solet. uerum hæc ipsa ab ijs, quę à ventre oriuntur, distinguenda sunt. Primū quidem ex eo, quod uel alter duntaxat oculus, uel uterque similiter uisis occupetur, nam si uentriculus in causa erit, utrique oculo accidunt: quę uerò per suffusiones apparent, neque incipiunt simul in utroque, neque similiter apparent, deinde ex tempore quoque distinguuntur: si enim tribus, quatuorue, aut etiam pluribus mensibus suffusionis apparuerint accidentia, contēplanti tibi pupillam nihil tenebrosum uideatur, ab ore uētriculi affectum procedere inuenies: præterea quærendum est, utrum singulis diebus perpetuò huiusmodi apparitio perseuerauerit nullo scilicet interueniente die, qui omni reprehensione caruerit, an diebus quibusdam laborans exactè uideatur conualuisse: nam asſiduitas suffusionem portendit. intermiſsio uerò demonstrat* Sig. Futuræ 4. de l. aff. C. 2. Si à ventriculo.

malum à ventriculo nasci: idque magis, si perfectè quis concoquens nullum sibi visum apparere fatetur: sed multò magis si cum apparuerint visa mordicus in ore ventriculi doluit: maximè si post hæc vomendo eiecta re mordente, mitigata fuerunt accidentia. Discrimina huius affectus varia à signis supradictis peroptimè narratis desumantur.

Prog. Curationem non admittant suffusiones, si magnæ, si nigra pars oculi amissa naturali figura in aliam vertit, si color cæruleus, aut auro similis, si labat, & hac, atque illac mouetur, vix vnquam succurritur. ferè verò peior est: quo ex grauiori morbo, maioribusue capitis doloribus, vel ictu vehementiori orta est: neq; idonea curatio, si senilis ætas, ac ne puerilis ætas. hæc

Rhas. Cel. Decreuit Auic. suffusionē præditā colore gypseo, aut viridi, uel nigro, vel citrino respuere curationem, suscipere aūt curationem, quæ subtilis existit, & in vmbra quoquomodo splendet. sic etiam *quibus altero oculorum*

1. de simpl. C 2. 7. de Plac. c. 4. *clauso (narrante Galeno) pupilla clarior apparet, ij sperare debent, vt facta perforatione visum recuperent. quibus vero non dilatatur, ij ab omni spe recuperandi visus exciderunt; etiamsi iucundissimè, & per quam probè tractentur.*

Cura. Incohante itaque hac affectione, antequam humor ille concrescat, omnibus viribus prohibere debemus illius ad oculum impetum & iam fluxum discutere, atque dissipare. *Vetatur eius fluxio euacuationibus, cibi*

Rhas. *abstinentia, & humectantium* hac nos docet Auic. si itaque corpus fuerit repletum, vena secetur, vt Actua. & extrahatur illa sanguinis copia, quæ & plenitudini, & fluxioni, & viribus respondeat. & corpus medicamento aliquo vigoroso mūdetur, docente Abyn. tale ab Auic. censetur pil. aureę. quarum vsum singulis diebus probat Haly, & etiam hieræ logodionis Rha. pil. cochias in lib. diuisionum. non inutile erit prius ipsos humores concoquere, vt syr. de betonica, oxymelle, & melle rosaceo cum aliqua portione diluti euphragiæ: interim non sunt relinquenda cetera genera reuulsionum. Retractis humoribus sanguinem a fronte, vel naribus mittere

Cel. Auic. oportet, & in temporibus venas abducere. Cucurbitulæ cute incisa occipiti affigantur, vt Act. vel hirudines temporibus iubente Auic. aut Setones imperentur. Conueniunt præterea illa, quæ gargarizando pituitam euocare possunt, vel naribus iniecta Actuario iubente: etiamsi à multis vituperentur; dubitant enim quin humores exagitati præcipites ad locum malè affectum fluāt, sed hoc non affirmat faciendum esse nisi toto purgato, & capite: vnde nullum erit periculum nouæ fluxionis. immo a motu illo subtilior euadit humor in oculo contentus, ac dissipabitur. Materies illa, quæ in dies coaceruatur, rarefacientibus, atque detergentibus remouenda erit, quæ si forte fortuna serosa fuerit, quamprimum acu foras educatur; hoc nobis præcipit Gal. lib. 14. Meth. his verbis. *Quanquam horum*

C. 19. *quoque ipsorum quædam (hypochymatum dico) serosioris humoris sunt: hæc autem punctione ad præsens discutiuntur: interposito tamen haud longo spatio ceu vini fex quędam, ceu limus, deorsum fertur.* & paulò superius. *Hypochyma si incipiens digeritur: vbi diu' constitit, non potest.* Discutere suffusiones affirmat sed hyenę lib. de The. ad Pisonem. & 8. de simp. Med. sagapenum, si ab humorum crassitie. si tenues, myrrha in collyrijs, vt

lib. 1.

lib.1.de Antid.& lib.7.de simpl.med.facul.cyclaminis succum cum melle, cepę succum, aut fæniculum probat. Serap.omnia genera fellium volatilium cum melle. Act.oleum cum fæniculi succo, Rhas. fel cũ melle. & pręcipue fel viperæ, qui eius pinguedinem probat. attamen Gal. ipsam sanare suffusiones. ij.simpl.med.facul. omnino negat, etiamsi eodem libro pinguedines piscium laudet. inter omnia commendat Haly. collyrium, quod fit ex marchesita aurea per septem dies in fictili vase adusta. semper autem iubente Auic. à leuioribus est incipiendum. Leue est fomentum quod decocto croci paratur, cuius euaporationem oculus infirmus recipiat, auxilium ab Abyn. mirum in modum probatum. Victus sit tenuis & exiccans, ita vt sit contentus æger assatis, & frixis, fugiat repletionem, vinum, & coitum, pisces, & carnes crassa substantia præditas: hæc Auic. & cænam vitet, vt Haly. Auic. Victus.

Cum autem vetustior facta fuerit suffusio, & humor in vnum fuerit densatus, atque cõcretus, manus curationem desiderat, quod omnes scriptores vnanimes affirmant: cætera enim alia auxilia, vt litteris prodiderunt, frustra tentantur. sed cum talis operatio à te exoptatur, nec perfecta fuerit suffusio, ad ipsam augumentandam nutriantur ægri humectantibus, & incrassantibus, Auic. præceptum, & Rha: nec obstat Celsi sententia, qui decreuit victu tenui esse vtendum, hic enim timebat futurum impetum humorum ab acus perforatione, ac suffusionis depositione suscitari, qui supposuit tum cataractam iam perfectam fuisse, verba eius sunt. Cels. Abynz. Auic. Rhas. Haly. Gal.

Expectandum igitur est, donec iam non fluere, sed durities quædam coucreuisse videatur, ante curationem autem modico cibo vti, bibere aquam triduo debet, pridie ab omnibus abstinere. & ideo non inutile erit, si corpus humoribus abundet, & purgare, & venam tundere, ne aliqua inflammmatio ægrum inuadat post manus operationem Auic. docente: facilè autem à perito medico deprimitur, atque deponitur, vt inferiori parti insideat: locus enim quo acus excipitur, inanis, & satis amplus existit vt reliquit scriptum Gal. 10. de vsu part. sic. *Instrumentum, quod, vt eas educat, immittitur per amplissimum spatium sursum, ac deorsum, huc, atque illuc, & vt in summa dicam, in orbem, & quoquo versum circumactum neutrum prædictorum corporum attingit, tanquam magna à sese distent intercapedine. At si subinde redit, Celso suasore, eadem acu magis concidenda, & in plures partes dissipanda; quæ singulæ & faciliùs conduntur, & minus latæ efficiuntur.* Narrat Auic. à varijs hominibus variè exerceri hanc operationem, atque fieri: sunt enim quidam, qui cum instrumento disrumpunt partem inferiorem corneæ, & foràs educunt suffusionem, sed non paruo cum periculo, ne vna cum illa egrediatur etiam albugineus humor. Cel. C.4.

Curationem suffusionis à ventriculo suscitatæ cap. de deprauata visione narrabimus.

De Glaucomate. Cap. XXIIII.

GLaucedines, quæ à morbidis causis contrahuntur, maximum detrimentum afferre visioni nemini obscurum esse arbitror; immò non rarò, si Gal. credendum, *futuram cæcitatem pre omnibus maximè, qui oculis accidunt, morbis, minari solent.* naturales autem glaucedines & faciei pulchritudinem adaugent, si poetis credendum Græcis, & actum cernendi perficiunt: glauci enim oculi in se multum retinent spiritus, à quo illustrantur: & substantiæ extant raræ, & peruiæ parum habentis opacitatis: vnde facillimè species rerum visibilium suscipiuntur, diffunduntur, & à parte cognitioni destinata cognoscuntur. omnes causas glaucedinis in medium affert lib. de Arte Medica, vbi de Oculorũ coloribus, quas narrare non grauabor, cum in cognitionem morbosæ nos adducere possint. hæc sunt verba. *Glauci quidem oculi, qui pura humiditate, ac non multa præfulgent, tales fiunt ob splendidi luminis abundantiam: glaucus igitur oculus fit vel propter magnitudinem, vel propter splendorem humoris, qui à Græcis crystalloides appellatur: vel propter situm prominentem; aut propter tenuis, & aquei humoris, qui in pupilla existit, paucitatem, & puritatem, atque omnibus quidem in vnum conuenientibus fit glaucissimus oculus. Est morbosa Glaucedo, sicut legitur* 10. *de vsu part. siccitas quędam, ac concretio immodica humoris crystallini.* fieri à siccitate narratur 3. aph. quo habet Hip. *Senibus visus obtusior, glaucomata, & auditus hebetior. his verbis. Et glaucomata, idest glaucitates ipsis accidunt ob immodicam instrumentorum visui seruientium siccitatem, & quia suffusionis habeant speciem.* Auic. autem & lib. 19. de Natura animal. & in sua practica duas decreuit esse causas huius affectus superfluam scilicet humiditatem, & siccitatem, & primam conuenire pueris, secundam verò senibus, quibus multiplicatur humiditas extranea, & absumitur natiua, statimq; exempla duo à plantis desumpta ante oculos nobis ponit dicens. *Causa autem in tunicis est vuea, (proponit enim aut ab humoribus, aut à tunicis ortum trahere (quæ geminam ob causam glauca euadit, aut propter digestionis priuationem superfluæ humiditatis, sicut contingit in plantis nuper natis, quarum folia ad albedinem quandam tendunt, quæ postea concocta virescunt: aut propter humiditatis indigentiam, & siccitatem albescunt, cum iam ad interitum veniunt senio confecta.* Aetius duas species glaucomatis in medium affert his verbis. *Glaucedo duobus modis dicitur. Glaucedo enim propriè est mutatio crystallini humoris ad glaucum colorem siccitas & concretio: altera autem ex pręgressa suffusione fit humore iuxta pupillã vehementissimè congelato, & resiccato. & hęc species incurabilis. At propriè dictam glaucedinem incipientem aliquando sanare datur ex deambulatione pro viribus, totius corporis frictione, ac lauacris maximè capitis; oculi solo oleo antiquo subliniantur.* Hæc me quidem iudice potius ad augendam talem passionem conueniunt cum corpus exiccare, & consequenter crystallinum possint, à cuius siccitate narrante Aetio, glaucedo nascitur. ego autem potius humectantibus, ac quiete vterer in hoc curando genere mali, quàm alijs.

10. de vsu part. 6. Progn.

Vel Cæsius.

C. 6. Quid. 31.

Cura.

De vi-

De Visione deprauata, vel Hallucinatione. *Cap. XXV.*

Deprauatam visionem, quam lib.1. de sympt. Caus. hallucinationem Gal. appellauit. Deceptionem quandam esse visus circa propria obiecta multis in locis ipse quoque decreuit. aberrat autem circa illa, quæ ipsi forinsecus occurrunt, multis in modis; Aut enim videns circa magnitudinem; Aut numerum, aut colorem, aut figuras, aut motum, aut distantiam visibilium fallitur. Circa magnitudinem, cum parua magna, & magna parua iudicat esse, quæ offensa, vt iam dictum est, aut à pupillæ morbosa dispositione, aut spiritus animalis nascitur. In numero decipitur, cum vnum & idem numero duo existere existimat, quod contingit, vt nobis tradidit Gal. 1. de symp. Caus. *Quotiescunque oculus ad superiora, vel ad inferiora declinet; tunc quicquid cernitur id duplum, esse videtur.* Inæqualiter enim secundum situm visibilem speciem recipiunt, vel idem punctum nō feriunt, si statuamus visionem fieri per radiorum extramissionem. Alter oculorum ad superiora, vel inferiora declinat ob conuulsionem musculorum eos mouentium, sicut legitur lib. de Caus. morborum, & ideo Paul. dixit strabismum esse conuulsoriam dispositionem musculorum, qui bulbum mouent. Auic. autem non solùm ob conuulsionem, sed etiam ob resolutionem hoc symptoma accidere posse narrat. Aet. verò solùm à resolutione gigni prodidit litteris. Quid c.5. libr. dicto c.1. & 2. A magni. A numero. c.1.

Non leue erratum circa colores committit, cum album citrinum, aut rubeum existere decernit, causam huius affectus recenset Galen. 1. de sympt. Caus. sic. *Cum verò humor inter crystalloidem, & rhagoidem medius colorem mutauerit, si quidem ad fuscum declinat, arbitrabitur quis vel per nebulam, vel per fumum videre: si verò inæqualiter vel per colorem, vel per substantiam à naturali habitu recesserit, quæcunque pars ipsius sic affecta ad pupillæ regionem peruenerit, efficit, vt simile visum sibi, in rebus, quæ spectātur, appareat.* Hoc autem & ab humoribus, & à tunicis colore aliquo suffusis contingere solet, quod paulò infra eodem capite legitur, dum verba habet de ceratoide tunica, cum color eius immutatur: *Et cum humores non multitudine, sed colore peccauerint: secundum eius naturam coloris parorasis, idest hallucinatio suborietur: proinde qui ictero morbo laborant: quicquid vident, id pallere arbitrantur: quibus verò ex plaga ruptæ sunt in prima tunica venæ; ij rubra putant omnia, quæ aspiciunt.* A colore.

Circa figuras non rarò decipitur, cum integra disrupta, aut (vt ita dicā) fenestrata cernat: in causa est exigua suffusio in pupillæ centro, vnde partes, quæ in circuitu sunt, puræ manent: & ideo id, quod in medio non videtur, excisum esse arbitrantur. Fig. Eodē lib.

Longe præterea à debita sua functione operatur, cum stabilia mobilia, aut circumuerti dijudicat, sicut in vertigine accidit ob inordinatum motum vaporum, ac spiritus in oculis existentium, etiamsi sæpe prius in cerebro, deinde in oculis in gyrum vertantur. Mot.

Si credendum est nonnullis, statuendum venit etiam circa obiecti visibilis distantiam visionem fallere: cum remotissima propinqua iudicet, & Dist.

propinqua remota: quod impossibile non esse mihi suadent specilla quædam, quæ obiecta & maiora, quàm existunt, & propinquiora oculis offerunt.

Aliud genus deprauatæ visionis adinueniri omnes Medici decreuerũt, in quo visus non decipitur circa obiecta foras occurrentia, sed nonnulla in ipsis oculis à vaporibus sæpè, & interdum ab humoribus oborta, & ab ipsis visa tanquàm foris existentia cernit: hoc quotidie audiri licet ab illis, qui suffusione illa, quæ à ventriculo, aut alia parte ortum trahit, infestantur, aut à quibus sanguis e naribus est fluxurus, aut vomitus expectatur; C.2. quod legitur 1. de sympt. Caus. sic. *Quod si iuxta dictum humorem crassa corpuscula, diuulsa, & inter se non contenta appareant, visa quædam obuersabuntur, perinde ac si in exteriori aere, culices circunferri viderent, ac sæpenumero veluti simulacra quædam apparere imaginantur ob crassorum humo*
C.2. *rum copiam.* Et lib. 1. de l. aff. hæc. *Accidit nonnunquam, vt efficiens causa pertransiens non firmum in particula faciat affectum, veluti cum suffusioni similia quædam oculi imaginantur collecto in ore ventriculi tenui excremento, vnde vapores quidam subleuati, dein circunuenti à visifica facultate similes imagines mouent, quales per suffusiones apparere consueuerunt, idque maximè euenire solet ijs, quibus oculorum humor exquisitè purus est, aut visifica facultas quàm facillimè sentit.* Ab his notum euadit sensibile positũ supra sensum sensationẽ procreare, cum obiecta illa ab extrinseco ad oculum non perueniant: sed in ipsis apud crystallinum procreentur; concurrit tamen, tanquàm medium deferẽs speciem illorum humor albugineus, quæ suscipitur in crystallino ab exteriori aere illuminato, qua recepta fit circa tale obiectum visio, quæ errat, iudicans tale obiectum in exteriori aere existentiam habere. Auer. autem 3. Colliget alium modum talis visionis in medium affert decernens speciem obiecti visibilis interdum à potentijs internis ad sensum visus deferri, & visionem suscitari ab ipso in illis iam conseruato, cuius verba. *Non est impossibile, quamuis sensatorum motus venit ad extra, fieri etiam simile per contrarium, sicut contingit in somnijs; incipit enim motus à virtute imaginatiua propter formam deforis receptam vigiliæ tempore, & ideo primo mouet sensum communem & communis mouet particulares; qui tali tempore res sentiunt, sicuti si deforis occurrent illis, & sicut fit in somno, potest etiam eodem ordine fieri in vigilia.* Idola hæc, aut rerum visibilium imagines procreantur vt plurimum à vaporibus ad oculos transmissis, raro à tenuissimis humoribus, qui pro eorum diuersitate, atque copia varia inducunt simulacra, quæ Arabes omnes imaginationes dixerunt. interdum enim subtilia quædã, vel nebulosa apparent, quandoque varijs figuris prædita secundum eorum varium situm oculis offeruntur; ita vt cernant tali affectione detenti saltantes culices, volitantes muscas, & stamina quædam, vt Auic. non raro & coruscationes, ac lampades à subtilitate vaporis, ac eius igneitate productas. Portendit hoc mali genus veram suffusionem, vt Auic. placet; vapores enim interdum aut à frigiditate aeris ambientis, aut oculi in aquosum humorem degenerare
Cura. possunt, & quoniam sæpe, atque sæpe talis noxæ origo est ventriculus, in
C.2. medium adducam auxilia illa, quæ à Gal. proponuntur lib. 4. de l. aff. his verbis.

verbis. *Quippe si à ventriculo prouenerit accidens, hiera picra potui exhibita facillimè curatur accedente simul bona concoctione. equidem quosdam sic affectos, quamuis, (vt scitis) non viderem, cum in alienis essem terris, per litteras curaui: nam cum nonnulli ex Iberia, Celtica, Asia, Thracia, atque alijs regionibus, per epistolas à me peterent, etiam in suffusionis initio, nullo adhuc vitio in pupilla apparente, vt probatum aliquod eis medicamentum transmitterem, volui prius certiorem me redderent, num ex multo tempore ita fuissent affecti, qui cum per epistolas responderent, sex menses, aut annum iam exactum esse, vtrunque oculum similiter affici, cum probè concoxissent, melius se habere: per cruditates, atque ventriculo mordicus dolente grauiùs irritari, educta verò per vomitum bile quiescere, nulla facta de pupilla quæstione, satis efficaciter cognoui, non proprio affectu, sed per ventriculi consensum oculos infestari. Mittens itaque picram ipsos, & alios multos per eos sanaui.* Vomitus à Rh. & Auic. mirum in modum probatur, & postea oculi roborandi, ne facilè vapores suscipiant, plantaginis succo, & omphacij, aut decocto sumach, & rosarum rubearum. At si caput erit in causa, curetur ijs medicamentis, quibus cataracta sanatur.

Si strabismus hominem exerceat: reuulsis, deriuatis, ac à parte finitima oculo infirmo euacuatis humoribus cum his, quę eo capite de spasmo, aut resolutione proposuimus; curetur rebus faciei adiectis, vt rectè aspiciant, hoc assequitur pracipuè lucerna in conspectu ipsorum constituta, nec obliquè intueantur: cumque ad nares oculis conniuent, stipulas ex palma etiam oculorum angulis, qui ad tempora sunt, agglutinare conuenit: vt aspectu ad has firmiter directo oculos emendent. hæc Orib. quæ omnia probat etiam Auic. In infantibus tamen, & nuper natis ab his vt plurimùm sanantur, vt quotidiana experientia nobis demonstrat. Cura strabis.

De Auditus Grauitate, ac Surditate.

Sicut in videndi sensu tres affectiones præter naturam deprehenduntur, de quibus sermonem habuimus: ita & sensum audiendi illæ excruciare solent: nam vel difficilè homo audit, vel omnino non audit, aut deprauatè talis sensus suo fungitur munere, quæ deprauatio à Galen. 1. de Sympt. Caus. Subauditio vocatur. Difficilis, atque grauis euadit auditus quinque de Causis: aut enim facultas à cerebro pauca transmittitur: aut neruus ipsam ægrè defert, aut eam non admittit: aut in aure malè recipitur: aut excellens audibile ipsam auditionem corrumpit, & inturbat: aut denique obiectum impeditum ab angustia meatus, per quem trãseunt species audibilium, sensorium vix mouet, & excitat. Has omnes causas diligentissimè ante oculos nobis posuit lib. iam citato his verbis: *Atqui grauis auditio, surditasque animanti euenire solet aut ob auris partem aliquam: aut ob neruum à cerebro descendentem: aut ob cerebrum ipsum, si ea in parte, vnde neruus oritur, fuerit læsum: (ab hoc enim fluit facultas) igitur nerui, cerebrique offensa in his haud aliter, quàm in oculorum affectibus accidit. Eamdem autem habet rationem in auribus interna auditorij meatus extremitas, vbi dilatatum neruum attingit, quam habet humor crystalloides in* C. 3.

oculis. Qui verò ad instrumenta ex obstructionibus, siue ipsarum partium tumor aliquis præter naturam meatum obstruxerit, vt puta abscessus, phlegmone, ædema, & scirrhus: siue aduentitius, isque omnino præter naturam tumor in meatu ipso, vt plerunq; fieri solet, suboriatur, vt cum vel callosum, vel carnosum innascitur tuberculum: atq; huc pertinent sordes illæ, quæ creberrimè in auribus gigni solent. Turbant præterea, auditumque difficilem reddunt, immo & interdum ipsum penitus destruunt acutissimi, asperrimi, maximique soni, atque strepitus, quæ omnia cap. 6. dilucidissimè narrauit, sic. *Auditionem verò turbat vox & aspera, & grauis & maxima, & celerrima, atque cum hæc omnia in terrifico tonitru coire videantur; accidit, vt nonnulli audiendi facultate priuati omnino surdi euaserint: quippe violentus strepitus audiendi instrumentum diuellebat.* Vt plurimum autem humiditas occupans partem illam auris, quę auditui destinata existit, talis offensæ est origo, atq; primordium, & ideo pronunciauit Hip. 3. aph.
5. *Austrum auditum hebetare.* Cum enim narrante in Com. Gal. natura talis venti calida sit, & humida, facilè caput replere potest, & instrumenta sensuum multa humiditate infarcire. à qua procul omni dubio partis optima temperies, & natura inalteratur tanquam à contrario, atq; destruitur neruus enim ille dilatatus, quem expansum dicunt, natura frigidus, & siccus re vera existit. & ideo eodẽ lib. aph. 17. scribitur *Aquilonias constitutiones auditum perfectũ suscitare, simili. n. gaudet, & conseruatur. Interdũ ẽt à biliosò succo gignuntur surditates ad caput, & aures traslato nulla exi-*
60. *stente peculiari in instrumento auditus affectione, sicut narrat Gal. 4. aph.* interdum etiam à melancholico humore ortum ducit, si Auic. credendum. at à pituitoso sæpe, atque sæpe. Isti verò humores non solùm primis qualitatibus noxam inferunt, sed etiam eorum copia aggrauant sensoriũ, & replent, & non rarò obstruunt non tantum cæcos ductus, per quos facultas ad aures migrat, sed etiam meatum auditorium, sicuti legitur eo-
38. dem libro ita. *Bilis si quidem, cum meatus auditorios obsedit, surditatem efficit, quæ si per aluum à natura deijciatur, ipsam soluit.* à cuius verbis cognoscitur bilem non primis qualitatibus, sed potius sua copia surditatem procreate, quatenus scilicet obstruit meatus illos internos, meatus enim externos non auditorius appellare debemus, sed potius sonos deferentes. reliquit scriptum illos primos esse in causa surditatis lib. 1. Pror. com. 1.
C.32. ita. *Fit surditas ob humorem quendam in auditorio meatu impactum, & infarctum.* Hæ itaque sunt causæ, quibus difficilis, hebes, & grauis redditur auditus.

At si facultas à cerebro non transmittatur, vel neruus omnino impeditus non deferat illam, aut partes destinatæ auditui illam non recipiant,
Gal. c. 3. i. de sympt. caus. aut denique si meatus ille externus ita sit affectus, vt obiectorum externorum occursus penitus prohibeatur, animal auditione priuabitur. *Partiũ Morbi aut ad similares pertinent, ij ex intemperie, aut solutione continui oriuntur, qui vero ad instrumenta, ex obstructionibus.*

Est is affectus varius, nam si auferatur omnino functio, est symptoma in genere ablatæ auditionis, quæ affectio dicitur surditas. ac illos, qui ægrè, & difficulter audiunt, appellauit Galen. 3. de Comp. Med. per locos

surdastros.

surdastros. hęc ad varia reducitur morborum species, vt iam narratum est.

Facillimè is cognoscitur morbus & ab ægrotante,& ab astantibus, atq; Medicis. Cerebrum esse in causa indicant aliorum sensuum læsiones teste Auic. quod tamen me iudice non semper necessarium existit. potest enim euenire partem illam cerebri tantum, à qua oriuntur nerui ad aures peruenientes aliqua affectione laborare,cæteris cerebri partibus illæsis manentibus. quod respiciens Gal. hæc fortè scripta nobis reliquit. *Aut ob cerebrum ipsum, si ea in parte, vnde neruus oritur, fuerit læsum.* C.3.l.1.de sympt. caus.

Neruum aliquo morbo vexatum esse,à quo facultatis transitus vetetur, rationali quadam vestigatione possumus inuenire, sicuti etiam facultatis noxam. hæc Galen. nobis tradidit.4.de l.aff.dicens. *Illæso apparente aurium foramine, si audiendi facultas læditur, inuestigatione inquirendæ sunt notæ. Vbi enim præter hanc nihil læsum est, Neruum proprium affectum esse haud absurde coniiciemus.* Notæ erunt Capitis aliquis dolor, aut grauitas,aut intemperies,aut percussio, aut aliæ grauissimæ noxæ, atque offensæ,quæ ipsum iam excruciauerunt. A quibus omnibus aut pauca, & imbecillis redditur facultas,aut prohibetur eius distributio,aut in totum corrumpitur, atque destruitur. Materiam frigidam esse huius mali causam indicant destillationes,atque grauedines, in somnum propensio, pigrities quædam,quæ omnia horis verspertinis magis inualescunt. Calidam materiam arguunt inflammatio, mordicatio, & horis calidioribus mali incrementum. C.2.

Grauis auditus, atque difficilis valde suspectum est symptoma, paulatim enim sensim augescens temporis progressu perfectam surditatem inducit narrante Gal.3.de Comp. Med. per locos. At si alicui alui profluuium superueniat, aut sanguis è naribus fluat, talis morbi sit solutio teste Hip.4.aph.quæ verò ab origine,vel prima etiam natali die longissime, & absolutæ surditates constituuntur, nulloque remedio eliduntur, vt Paul. quæ verò non absolutæ, diuturnæ tamen difficilimè curantur, maximè si ab humore crasso generentur, sicut Alex. vel à Verruca narrante Mes. C.1. 28. & 60.

Cura.

Cum igitur aliquis grauius audire cœpit,quod post longos capitis dolores euenire solet,aurem pisam considerare oportet, & si crusta,aut sordium coitus,hæc auferenda Cel.deinde si ob biliosum humorē sursum vergētem nascantur,vacuationibus per medicamenta bilem educentia ex facili abolentur,vt Alex. immò quidam etiam sua sponte affectu liberantur bile inferius descendente de hoc genere surditatis sermonem fecit Hip. 4.aph. his verbis. *Quibus surditas adest, biliosorum deiectione finitur.* & ideo Medicus imitans naturam, quę interdum solet alui fluore hunc affectum sanare, medicamento bilem educente vti debet. At si sanguinis signa conspiciantur, vena tundatur iubente Rha. at Paul. imperat secandam esse, etiamsi ab humoribus crassis, atque crudis initium ducat. Et purgetur corpus hiera,aut pil.ex colocynthide,vt Gal.3.de comp. Med.per loc. c. 1. probat Alex. medicamentum appellatum ex sale. quod habet ammoniaci drag.ij.piper.drag.i.euphor. drag.iiij, dantur pro viri- Orib. 28. Ser. Haly. Auic. Rha. Paul. Auic. Mes. Aet.

bus scrupuli quatuor, aut sex ex ouis, aut mulsa: prius tamen concoquantur humores, & incidantur oxymelle, syr. de betonica, & de stæcade. si affectus perseueret, Vomitu vtendum suasore Alex. ex elleboro. non enim tantummodo educuntur, & reuelluntur humores a capite, sed etiam exagitantur qui in auribus infixi, & inculcati manent, qui postea foras à natura propelluntur. His omnibus factis cucurbitula occipiti cute incisa admoueatur, vt Actuar. vel hirudinibus, sinapismis, & cutis perfricatione vtendum, & tandem arteriarum incisione; sicuti Alex. Sinapisma capiti non longè ab auribus iubente Rhasi applicentur. Interim necessarium erit ad nares, & ad os deriuare obnoxium humorem his, quę Græci apophlegmatismos, & errhina dicunt, vt Pau. & Haly. sed præcipuè celebrantur à Rh. Actuar. & Aaron sternutationem mouentia. Narrat Alex. aures optime purgari à medicamento, quod ex centaurio, colocynthide, & veratro conficitur, si naribus infundatur. arbitratus est fortè, nec immerito à tali concussione cerebri, & partium omnium faciei humores etiam in meatibus aurium internis detentos foràs elici. Caput resiccandum, & omni modo curandum, vt robur ei addatur, Gal. præceptum loco iam citato: intus probatur Theriaca lib. ad Pisonem: ligni indi decoctum, & chinę. Conueniunt forinsecus stillicidia ex aqua Aponensi, vel de Corsena, narrat Fallop. ex gemino huius aquę stillicidio surdum auditum recuperasse. Laudant aquas Paul. & Alex. sua sponte scaturientes, vel marinas. At si inopia harum adsit, embrocetur caput, vt Auic. placet, decocto foliorum lauri, & baccharum eius. Auribus instillentur ea, quibus insit facultas incidendi, atque secandi humores viscidos, & crassos, hoc iubet Gal. loco iam citato. nec non etiam attenuandi, vt Actu. & Haly. hæc sint actu tepida præcipiẽte Auic. à frigidis enim maximè auditus sensorium oblęditur. probatur 3. de comp. Med. per loca à Gal. decoctum absinthij, origani, baccarum, & raphani succus. à Paulo fel caprillum, & vrina. Ab Auic. oleum, in quo castoreum dissolutum fuerit, succus absinthij, fel taurinum, colocynthidis decoctum, succus rutæ cum melle, oleum ex staphisagria, & de balsamo. à Rhasi oleum e scorpionibus experientia comprobatum. Abynzoar oleum de amigd. amaris. vel Collyrium ex ficu, & sinapi auribus per duas horas imponatur, vt Orib. vel docente Alex. Veratri nigri, castorei singulæ drachmę, aceto exceptis vsitor. vel quod ex nitro, & cedria componitur. aut per multos dies infundatur acetum, vt Aet. cum nitro læuissimè trito, aut castoreum cum aceto, & oleo laureo. fel. capræ cum galbano probat Ser. Conueniunt præterea vaporationes arundine pertorata auri adaptata, sit, à quo eleuantur vapores, aut decoctum pulegij, foliorum lauri, & absinthij, aut aqua marina cum aliqua aceti portiuncula. Ad hæc est illa sopita audiendi facultas obiecto audibili satis excellenti excitanda: quod nos docet Alex. his verbis. *Quidam extrema tubicinalis calami parte in auris meatum imposita ita modulati sunt. Alij verò per magna tintinnabula insonarũt, et alij alijs machinis excogitatis vsi sunt. nã in magnis affectibus etiamsi multa remedia nihil notatu dignũ facere videantur, tamẽ excogitãda sunt; nihilq; omitti debet.* Dieta sit attenuatoria, vt Gal. loc. cit. repletionẽ, & somnũ fugiant, & vtatur exercitio, hæc Auic.

Mes. Aet. A frigida. Auic.

De

De Auditu deprauato. Cap. XXVII.

SVb deprauata Auditione sibilos, fragores, bombos, sonitum, ac tubarum clangorem strepitus quosdam æmulantes collocari medici omnes litteris prodiderunt, quotiescunque enim nullo audibili obiecto forinsecus occurrente Auditus aliquod horum percipit, deprauato modo agere statuendum venit. hoc nos docet Gal. 1. de symp. Cauf. dum de functionibus omnium sensuum deprauatis agit, dicens. *Aut vbi sonum aures percipiunt, nulla re forinsecus obstrepente, sed ipsa circa membranas motione phantasmata transmittente*. Hanc offensam ca. 5. Obauditionem vocauit. Causas horum in medium attulit lib. 3. de Comp. Med. secundum locos, his verbis. *Sonitus quidam ex flatuoso spiritu generantur; quidam ob exquisitam sensus audiendi subtilitatem, quemadmodum in oculis imaginariæ suffusiones propter vapores ex ore ventris exhalantes*. at non solum à flatu, sed etiam à vaporibus copiosis, vt in febribus à feruore saniei, à motu vermium in meatibus aurium procreatur narrante Auicen. decreuit Paul. & Alex. ab humoribus crassis, atque glutinosis produci: quod quidem non facilè, cum ægrè exagitentur, & commoueantur, nisi dicamus aut socium habere flatum, aut ab ipsis, vt rectè scripsit Auic. flatum eleuari, qui postea aerem in aure existentem exagitet: cum enim exitum non habet, circumuoluitur, atque fluctuat: meatu autem interno cõtineri decreuit Gal. loco iam citato sic. *Si verò ob flatum ventorum cui transitus interclusus sit. Vtplurimum autem à flatulenta materia initium suæ generationis trahit, vt Aet. facilè enim commouetur, & impetum facit*. Causæ forinsecus aduenientes, quas Græci procatarcticas appellant, narrat Gal. loco iam citato, his verbis. *Quemadmodum ex prægressa plaga, aut tali, vel tali morbo: velut & ex cruditate, aut largo vini potu, aut violento, & multo vomitu, aliquando & ob pharmacorum auricularium vsum sonitus quidam fiunt*. Ab his enim aut procreantur vapores materiam subministrando, aut iam genitam attenuant, & in halitus dissoluunt. Omne enim, quod aerem illũ internum commouere potest, & agitare, deprauatam auditionem inducit quæ multiformis, & varia euadit aut ob diuersitatem materiæ, aut copiam, aut impetum, aut eius inordinatum motum, & aut ob angustiam, aut amplitudinem loci, in quo fluctuat, atque mouetur: flatus enim copiosus impetum faciens, ne foras erumpat, in angusto loco fluctuans acutos sibilos edere potest. sicuti multus vapor per quædam parua interualla aures feriens satis capaces bombum. exemplo sunt nobis fistulæ, quibus flatu canitur. C. 4. S. Sonos. C. 1.

Statuendum venit à capite læso nasci, si perpetuo fatiget ægrotantes: at si horis quibusdam lenitur, atque delitescit, originem ab alijs partibus habere sanciendum. quod adaperuit Auic. sic. *Si autem quiescit, deinde excitatur post repletionem aut vacuitatem, aut motum, aut cum calor fit fortis, aut frigus tunc per communitatem*. Si sonitus nunc excitentur, nunc cessent, & spatio interposito rursus reuertantur, intelligito ex spiritu prouenire, maximè si præcesserint cibi, qui flatus generare possint, & multæ Sig.

cruditates. An verò propter viſcoſos, craſſoſque humores accidit, inde co-gnoſces, quod neque repente oboriantur, ſed paulatim increſcant, inſu-per quòd etiam grauitas percipiatur: hæc Alex. Exquiſitam eſſe facultatem modum excedentem arguunt capitis ſiccitas, remota auditu percipere, veluti propinqua, à propinquis aliquam noxam pati, etiamſi debilem fun dentia ſonum exiſtant, vicem enim illa excellentis ſenſibilis gerunt reſpe-ctu talis facultatis: præcipuè autem ſi hoc ſymptoma augetur tempore inediæ, atque famis, vt obſeruauit Rhas. ad Alm. vel poſt febres, & eua-cuationes, vt Auic. interdum tamen difficilè, quænam ſit eius cauſa, co-gnoſcitur. & ideo Gal. dicto libro de comp. Med. per loca hæc reliquit ſcri-pta. *Verum certa cognitio tempore contingit poſt vſum pharmacorum arti-ficiali coniectura exhibitorum. Quin & ſi vel paulatim congregetur, vel coaceruatim irruat ſonitus, idipſum quoque ad inuentionem affectionis con-ducit: inſuperque ſi per interualla repetat, vel continenter hoc ſymptoma perſeueret.*

Prog. *Si igitur in febribus ſonitus fiant, minimè interturbandi ſunt: vt plurimũ enim ſtatim ſedantur*, ſicuti legitur lib. iam citato. quod etiam continge-re ſolet in criticis commotionibus, ſi Alex. credẽdum. Leuiſſimum eſt hoc genus vitij, vbi ex grauedine eſt: peius vbi ex morbis, capitisve longis do-loribus incidit: peſſimum, vbi magnis morbis venientibus, maximeque comitiali, prouenit.

Cura. Celſ. Si itaque aures intra ſeipſas ſonant, & ex grauedine hoc accidat, purga-re oportet præcipuè ſi totum plenitudine abundet, vt Actua. hiera iuben-te Haly. aut pil. cochijs. Mes. & retrahẽdi ſunt humores illis auxilijs, qui-bus hebes auditus curatur. Deinde toti capiti eſt proſpiciendum, & apo-phlegmatiſmis vtendum præcipiente Gale. intemperieſque eius auferen-da, vt Actuar. & tandem roborandum, vt Auic. & auribus imponenda diſſecantia, attenuantia, & diſcuſſoria pharmaca ſicut legitur 3. de comp.

iam citato. Med. probat Alex. Fomentum ex abſinthij decocto, aut raphani ſuccum cum roſaceo infuſum, aut veratrum nigrum cum aceto. Rhas. ſuccum por-ri, aut cepæ cum nitro, aut vinum cum ſinapi. Paul. caſtoreum, crocum, & nitrum aceto contrita. Ser. oleum raphaninum. Aet. ciminum, rutam, anethum, & nigellam aceto incocta, ſicut etiam per accidẽs diſſipat vapo-res, & illos expellit ſpiritum continere vt Celſ.

Si autem ſenſus audiendi ſubtilitatẽ cauſam ſonitus ſtatuamus, ad o-piata tranſeundum venit; hæc. n. ſpiritum animalem incraſſando retar-dant, acuitatem caloris, aut humoris compeſcunt, & ſenſum partis audi-tui deſtinatæ hebetant, atque conſopiunt. maxima cum vtilitate, & felici cum exitu his vſus fuit Gal. libro iam dicto. cuius verba. *In eiuſmodi ita-que quendam, qui prædictis pharmacis vſus erat, nec quicquam opis ſenſe-rat. cum ego fortè incidiſſem, ex ſtupefacientibus ſenſum quippiam admi-ſcui, veluti eſt mandragoræ ſuccus, & papaueris, ex eiſque à ſonitus ſym-ptomate liberatus fuit.* at paucum ſit opium, vt Aet. Auic. verò arbitratus eſt prius quoquomodo reprehendens Galenum conuenientius eſſe medi-camen, quod ex granis pini, caſtoreo, oleo, & aceto paratur.

Victus rõ. Sit victus in his, quibus ob flatulentum humorem aures reſonant, atte-nuans,

nuans, & vinum vitent, sic Cel. & cœnam, sicut Auic. qui decreuit omnes tali symptomate excruciatos solem, balneum, motum laboriosum, vomitum, clamores, venereum amplexum, & repletionem fugere, & vitare.

De Olfactus Nocumento. Cap. XXVIII.

TRes Causas statuit esse Haly, diminuti olfactus, aut ablati, ventriculorum anteriorum cerebri ab humoribus crassis obstructionem, ossis perforati, vel colatorij clausionem, & nasi, qui est tanquam ductus, aliquod impedimentum, quod vetare, atque prohibere possit odoris ad ventriculos cerebri distributionem; his addit Actuar. aliquam intemperiem cerebri, à qua prohibeatur facultatis communicatio ad processus mammillares. Sed Gal. diligentissimè ante oculos nobis posuit omnes has causas lib. 1 de symp. Caus. dicens. *Etenim si morbus aliquis ipsis acciderit, ita vt meatus impediatur, olfaciendi facultas vel minus probè odores percipit, vel eos omnino non sentit. nam si vehementer contritus sit nasus, aut si polypo, aut alio quopiam tumore præter naturam infestetur: meatum, quà spiritus transire solet, impediet. Itidem eæ res, quę circa Ossa, quæ à percolandi adminiculo ethmoidæ à Græcis vocantur, aliquid vt membranas ibi constitutas, vel ipsa quoq; ossium foramina, obstruere possunt; nam & ab his offenditur olfaciendi sensus: Id verò multò magis, si circa propagines, quæ à cerebro exortæ, in hasce particulas deriuantur, fiat obstructio.* at non solùm humores illi obstruunt, sed & spiritus ipse, qui in ventriculis continetur, & ipsum cerebrum intemperie quadam afficiuntur. Denique insignes iã dictarum partium tum contusiones, tum sectiones odorum sensionem, vel difficilem reddunt, vel omnino prohibent. sed lib. 3. de l. aff. non in meatuum noxam, qui in naribus conspiciuntur, sed in anteriorum cerebri ventriculorum, cum intemperantia quadam afficiuntur: aut eorum meatuũ, qui in ossibus sunt, causam retulit. Preterea offensam inferunt olfactui omnes odores excellentes; destruunt enim proportionem partis: & dolorem inducunt. Ab his omnibus aut impeditur obiecti odorabilis occursus, aut sensorij olfactus dignotio, à cuius munere odoratus sensus odoris vocatur, vt lib. de instrumento odoratus.

Auic. C. 4. C. 10. C. 6. de symp. C.

Collocatur hic affectus interdum sub morborum genere, qui ab intemperie nascuntur, & non rarò sub morbis in via.

Cognoscitur hæc affectio à relatione ægrotantis: at variæ causæ mentis acie indagandæ veniunt: si enim vox seruetur incolumis, ad priores ventriculos cerebri morbus referetur, qui aut ex intemperie sola noxam conceperunt, aut etiam ex humorum copia. Sin autem vox quoque mali contagium senserit, laboriosior quodammodo reddita propter meatus, qui à colando ethmoides Græcè vocantur, obstructos, affectum rursus malis quibusdam succis contrahi censeto. hæc Paul. Ser. & Auic. at si in naso aliquod fuerit impedimentum, oculis facilè illud internoscitur. Sig.

Non contemnendum est hoc morbi genus, cum hominem vno sensu priuet, qui et si necessarius ad vitam non existat, attamen vtilis, atque iucundus reputatur. aliquem futurum affectum portendit, quotiescunque à Prog.

cere-

cerebro morboso initium suæ generationis trahit: imminet enim periculum, ne in ventriculis humor copiosus retineatur, qui aut apoplexiæ, aut epilepsię, aut cari sit in causa. Vena secatur, si corpus repletum, vt Paul. sit basilica iubente Abyn. & purgetur hiera sicut Aet. Ser. & Haly. prius tamen digerantur humores, si viscidi aceto scillitico, vel simplici, sed scilliticum mirum in modum ab Aetio celebratur. postea cerebrum per proprios ductus enacuandum præceptore Auic. vnde eliciendi sunt humores & masticatorijs, & sternutationem excitantibus: sed maiorem vtilitatem desumunt ægrotantes ab errhinis, materiam enim non solùm educunt, sed mota illa concutiuntur, humores, & attenuantur; vnde partes obstructæ reserantur. prius tamen à leuioribus est inchoandum, vt Aet. qui probat veratrum album leuissimè tritum, vel elaterium cum lacte, vel ciclaminis succum, aut nigellam tritam cum oleo vetustissimo naribus infusam. quo auxilio narrat se adolescentem quendam sanasse curriculo quatuor dierum, qui ex muco, ac destillatione diuturna olfactus sensum læsum habuit, qui quarto die attracto vehementius per respirationem pharmaco fortem mordacitatem in profundo capitis sentiebat. Modum hoc vtendi nos docuit Gal. lib. de instrumento olfactus, simile exemplum ante oculos ponens his verbis. *is itaque dum curari cuperet, ore prius aqua repleto, capite resupino, medicamento in nares introducto, aerem inspirando vehementius attraxit.* Hæc manibus instillata cum sint incidentia, & attenuantia materiam illam crassam secant, & sternutationem excitant. hoc efficiunt & vaporationes ex arsenico. & vrina cameli, vt Haly. quod probatur ab Auic. tanquam expertum, qui laudat caput purgium, quod ex oleo calido, castoreo, euphorbio, & musco simul confusis paratur. Interim non inutile erit, si causa erit humor in osse illo perforato, factis iam euaporationibus, & embrocationibus cucurbitulas capiti affigere, & gargarismis vti, hæc Auic. proponit. Vel caput radendum, & sinapi illinendum, vnà cum fronte, & naso, vt Aet. vel hirudines ipso docente sublimiori parti nasi admouendæ, quibus sanguis copiosus extrahatur. est præterea, si cerebrum malè affectum fuerit, & aliqua intemperie detineatur, in alterandum cõtrarijs, ne humores generentur, hoc iubet diligentissimus Mes. Et postea sopita, ac ignaua illa facultas odoribus suauibus, vigorosis tamen excitanda, hoc genus auxilij proponit Paul. & Aet. sic. *Sed & odoramenta assiduè adhibeantur, odorata hęc. Narcissus, sisymbrium, serpillum, lilij folia, violæ, menta, & thymbra:* at si ab obstructione nasi, aut ossis colatorij morbus dependeat, frustra hæc instituuntur. Mouent autem odoratum teste Gal. 4. simp. Med. facul. acria, vt allia, & cæte.

lib. de instr. olf.
Cura.
Auic.
Haly.
Pau.
Auic.
Mes.

De Deprauato Olfactu.

DEcipitur sensus Olfactus circa propria obiecta, sicuti etiam cæteri sensus, duobus in modis, aut enim odores naso occurrentes omnino longe à propria natura iudicat, sicuti cum odorem suauem fætidum credit; aut proprium sensorium internè fatigantia deforis euenire censet, hanc offensam cognouit Gal. lib. 1. de symp. Caus. ita .. *At verò olfactio veluti*

C. 4.

defor-

deformis, & depravata in his partibus fieri solet ob indigenam quandam intemperiem, quæ fœdum odorem eructans, eos vapores, qui à vicinis corporibus ad olfaciendi facultatem feruntur, interturbat. Nec absimile videtur, quod huic facultati accidit symptoma ei, quod regio morbo laborantibus in gustandi iudicio accidere dictum est. Auic. quoque hæc litteris prodidit dicens. *Et corruptio fit duobus modis: unus eorum est, ut odoret odorem fraudolentum, quamuis non sit inuentus (scilicet foris non existat) secundus est ut sentiat odores, qui boni non sunt, bonos, & abhorret aromaticum.* Causa est intemperies quædam sensorium olfactus indigena, atque mala infestans: quæ non quidem simplex existit, & solitaria, sed humorem aliquẽ putredine contaminatum habet secum.

Humor obnoxius è corpore propulsetur, & reuellentibus, & deriuantibus, & à loco infirmo abducentibus. postea oppugnantibus debelletur intemperies, & denique odoribus contrarijs symptomati occurrendum. Cura. hoc præceptum nobis reliquit scriptum Auic. sic. *Ille autem, qui sentit odorata, & fœtida non percipit, non cesset sibi facere caputpurgium cum castoreo sæpe atque sæpe, usquequo talis affectio aboleatur.* at qui malè olentia tãtum, ex musco paretur.

De Gustu diminuto, ac ablato.

GVstus post sensum tactus necessarius re vera animalibus existit; hoc enim quale veniat optandum, & quale fugiendum alimentum, ab ipsis cognoscitur: immo nonnumquam animal voluptate illa impulsum, quæ a saporibus percipitur, neglecta, vt ita dicam, innappetentia comedit, & in vita seruatur. Cum igitur minuitur talis functio, aut penitus aboletur, toto pectore elaborandum est, vt acquiratur de nouo: At hoc impossibile censetur, nisi prius causæ talis offensæ inquirantur. quas varias decreuit esse Gal. 1. de symp. Caus. sic. *Morbi, qui gustandi tum functionem, tum* C. 4. *facultatem impediunt & in similari linguę corpore, & in circundante ipsam tunica, & in mollibus neruis, atque eo maximè cerebri spatio, vnde illi exoriuntur.* à cuius verbis innotescit nobis interdum ortum trahere talem affectum à cerebro non procreante facultatem, interdum à neruis ipsam non transmittentibus, & non raro ab ipsa lingua inepta ad munus talis functionis obeundum, quod contingere potest varijs causis. quas proposuit, Auic his verbis. *morbus linguam obsidens aut est morbosa intempe-* Rha. *ries, aut in magnitudine aucta, aut diminuta, aut in corruptione figuræ, aut situs: quamobrem nec dilatatur, nec constringitur.* attamen narrauit Gal. lib. de Mor. different. linguæ molem posse adaugeri seruato eius sensu. cuius verba. *Vidimus etiam linguam cuiusdam mirum in modum auctam,* C. 9. *idque citra omnem sensum doloris, vt neque œdema, nec scirrhus, neque phlegmone videri posset: nam neque excauata erat sub premente digito, neque sensum amisit, nec dolebat: sed hic affectus incrementum quoddam erat partium ita tamen, vt ipsa partis essentia ab omni noxa videretur immunis.* sed fortè hoc loco Galen. sensum linguæ non vsurpauit pro gustu, sed pro

sensu

ſenſu tactus, qui difficiliori modo à lingua aufertur, quàm guſtus, ſi ipſi credendum lib. 4. de l. aff. hæc dicenti. *Atque videmus interdum ipſius mo-*
C. 2. *tum, interdum guſtandi ſenſum lædi, atque nonnunquam tactum quoque. neque enim alio guſtus, atque alio tactus neruo vtitur, vt in motu videre eſt: nerui enim à tertia coniugatione orti non ſolum tangendi, verum etiam guſtandi vim obtinent. verùm crebriùs læditur guſtandi, quàm tangendi facultas, quamquam iiſdem neruis vtraque vtatur: nam ad guſtum quidem exacto iudicio opus eſt; tangendi verò ſenſorium craſſiſſimum. Mouendi aūt vis linguæ aduenit à ſeptima neruorum a cerebro ortorum neruorum coniugatione non longè à ſpinalis medullæ initio.* vt plurimum origo huius offenſæ, aut cerebri, aut neruorum, aut linguæ eſt ſuperflua humiditas retardās, & hebetans guſtandi facultatem, & nonnunquàm omnino ipſam auferens. interdum ſed raro à proprio obiecto oblæditur, ſicuti à comeſtione rerum acetoſarum, acutarum, & ſalſarum, vt placet Abynz. quod non eſt
C. 4. à ratione alienum, ſicuti demonſtrat Gal. 1. de ſymp. Cauſ. ita. *Porrò guſtandi inſtrumentum ab amaris, acerbis, acidis atque acribus infeſtatur.*

Purgetur totum corpus, & caput hiera, & pil. cochijs ſuaſore Auic. qui his actis imperat caput eſſe roborandum: & gargariſmis
Rhaſ. vtendum: intemperiem capitis contrarijs remouendam eſſe, ſi illud fuerit in cauſa, litteris prodidit Actuar. qui etiam ſternutatorijs abducendam eſſe decreuit. at ſi humores in lingua detenti hunc affectum ſuſcitent, à venis ſub ipſa collocatis ſanguis hauriatur ſuaſore Rhaſi. Et cibentur ſinapi, aceto, & alijs, ſi humores craſſi, vt Auic. hæc enim incidere, & attēnuare eorum lentorem poſſunt, & ſopitam facultatem acri ſua qualitatē excitare; ſed hæc tentanda minime veniunt, niſi prius reuulſis, deriuatis, & à parte morbida euacuatis humoribus.

De Guſtus deprauatione.

DEcreuit Auer. impulſore tamen Galeno duo genera adinueniri deceptionis, Guſtus Senſorium fatigantia: aliquando enim ſentit lingua ſaporem aliquem nullo obiecto deforis occurrente: & non raro iudicat dulce forinſecus adueniens amarum eſſe. Abſente externo obiecto percipit ſapores, ſi humores ab aliqua parte qualitate ſapida donati ad linguā impetum faciant, & guſtus ſenſum inalterent, & excitent, quod præcipuè euenire ſolet, ſi lingua exquiſito ſit prędita ſenſu. Obiectum externum alienum à propria natura iudicat eſſe, ſi aliquo imbuta ſapore ab illo externo pulſetur, & commoueatur: tunc enim ille in ipſo contentus in vltimum actum erumpit, & ſenſationem facit, & prohibet, ne qualitas illius obiecti externi à lingua percipiatur; intus enim exiſtens vetat externi ſuſceptionē quòd ſi recipitur, ſuſcipitur ſecundum naturam recipientis, & non recepti niſi admodum fuerit excellens obiectum: tale enim poteſt magis ob ſuam maiorem actiuitatem mouere ſenſum. De primo genere ſermonem habet
C. 6. Gal. 1. Symp. Cauſ. ſic. *Interdum dulces ſucci in lingua contenti ſenſu percipiuntur, voluptatemque inducunt, huiuſmodi verò dulces ſucci pituitæ ſpeciem referunt.* Sed raro hoc contingit, vt legitur cap. 4. ita *atque euenit non-*

nun-

numquam, sed rarò citra vllius rei degustationem, vt humores linguam imbuentes sensu percipiantur, vbi adamussim perfecta fuerit gustandi facultas. De alio genere verba facit eodem capite his verbis. *Deprauata verò saporum sensio, cum lingua quæpiam humore fuerit imbuta, euenire consueuit, vt omnia, quæ gustauerit quis vel salsa, vel amara, vel alium quempiam saporem absurdum, siue is effabilis, siue ineffabilis, habere videantur: quippe per morbum regium bilis amarorem non linguæ, sed saporum, quos degustat, pathos esse suspicatur: adueniente enim extrinsecus re sensibili, mouenteque vitiatum humorem, qui in lingua quietus latebat, sentit quidem gustandi facultas non rem sensibilem aduenientem, sed abundantem in lingua humorem.* Hæc Gal.

Propriam naturam acquiret gustus sensorium, si à peregrina, & aduentitia illa qualitate denudatum fuerit: tali priuatur, si humores, qui ipsam linguam replent, purgentur, & inalterentur, & ille sapor, qui actu illam infestat, suo contrario destruatur, hæc duo peroptimè cognouit Auer. vt ab eius dictis elicitur, & Auicen. necnon etiam Aaron referente Rhasi in Cont. Varia sint purgantia pro humorum linguam replentium diuersitate: interdum enim amari, interdum acidi, & interdum salsi existunt, qui non solùm purganti medicamento prohibentur, ne ad linguam impetum faciant, sed etiam alijs auxilijs reuellentibus, & deriuantibus, & tandem materia actu in lingua existens aliquo mordaci, & acuto medicamento foràs educatur, aduersantur amaris dulcia, mordacibus, & acutis insipida, & lenientia.

De Causis Doloris, varijs speciebus eius, Signis, atque Curatione.

QVoniam non satis est in auxilijs adhibendis vniuersali quadam narratione causam immediatam doloris in medium attulisse, consonum erit rationi diligentiori, & accuratiori modo omnes eius singulatim vestigare causas obiectum excellens naturæ sensorij tactus improportionatum, quod est causa continẽs doloris, inducũt, atq; suscitant oẽs tangibiles qualitates modum excedẽtes: inter has principes, ac præcipuæ sunt primæ illæ, quæ actiuæ dicuntur, caliditas scilicet & frigiditas: post has quę ab ipsis fluunt, atque emanant: hæ existunt acutum, sub quo mordax continetur, asperum, & durum, addunt nõnulli his graue, quod fortè tristem sensationem inducit, quatenus duritiem quandam parti sensitiuæ offert, & repręsentat, dum eam premit, & grauat; & principaliter tamen sensum lædit quatenus graue, inter enim qualitates tangibiles ab Aristotele hoc enumeratur.

Qualitates primas actiuas huius affectus primordia existere nemini obscurum; repentinum enim insultum inferunt sensorio, & eius partes facilimè sua actiuitate inalterant. exemplum sit nobis frigus ingens, quod non solùm vt prima qualitas, sed etiam vt mordax, vel acutum; & vt partes indurans tristem sensationem affert: sic & calor etiamsi solitarius sine alicuius humoris societate, partes sensitiuas excruciat varijs modis iam dictis:

At non ita repente acutum, asperum, ac durum inferunt noxam tactui, nisi ab aliquo mouente impellantur: si enim acuta figura effigiatum tangat sensorium, sensationem facit, sed non tristem: dummodo aliquis in ipsum impetum non faciat: ab impulsu etenim illo acquirit naturam excellentis sensibilis, sic etiam asperum, & durum cum ab aliqua impulsione mouentur. Humores, flatus, lapides in corpore viuenti detenti dolores proritant, quatenus qualitatibus tangibilibus sunt insigniti, quoniam biliosus humor suo æstuanti calore, sua acutie vel mordacitate, & sua subtilitate, qua corpora subit, & permeat, vnde duritiem ipsa replendo inducit, dolorem his tribus modis concitare valet. vitreus autem humor, vt frigidissimus teste Gal. 2. de l. aff. & vt adhæret, & aggrauat partes, & in vnum ipsam vnit. Flatus verò & primis qualitatibus, vt plurimum enim frigidus natura existit, & vt replendo, & extendendo duritiem suscitat. Lapides & quatenus duri, & quatenus graues, & quatenus asperi, vel aliqua acuta figura donati tactum affligunt.

Est dolor symptoma sensus Tactus omnino præter naturam sub quarto genere læsionis sensuum contentum, in qua sentiunt sensus ipsorum lesionem, hoc interdum & per multa media ad morbum in intemperie reducitur.

Species doloris multiformes sunt, & pro diuersitate materiæ, à qua procreantur, & pro diuersitate partium, quæ ab ipso affliguntur, quas tamen nemo narrare potest, nisi qui has passus sit, vt Gal. loco citato: attamen nonnullas in medium afferemus ab Auicen. descriptas, quæ numero sunt quindecim, cuius [illegible]ba. *Dolorum genera, quæ nomina habent, sunt hæc. Pruritiuus, asperatiu[illegible]s, pungitiuus, compressiuus, extensiuus, contusiuus, frangitiuus, laxatiuus, perforatiuus, acualis, stupefactiuus, pulsatiuus, grauatiuus, lassitudinalis, & mordicatiuus.* Causas horum dolorum, & ideas, etiamsi non fortè omnium ante oculos ponit Gal. & loquens de stupido dolore hæc. *Itaque stupidum dolorem dispositio efficit frigida, simulque dolorifica indicante id nomine, non doloris, vt dixi, differentiam, sed dolorem simul, & frigidam dispositionẽ.* Quæ & postea confirmat sic. *Similiter antea iam declaratum est, ne torpidum quidem dolorem particulæ cuiusdam proprium esse: nam ad dispositionem potius referendus est.* Modum, quo fit pulsans, sic describit cap. 3. *Res ad hunc modum se habet: Duabus præcipuè occasionibus vehemens dolor inflammatis partibus infertur, cum mouentur, vel cum à re quapiam comprimuntur: inflammato igitur musculo omnino duplici modo productis arterijs dolorem sentimus: nam & mouentur, & ab adiacente carne comprimuntur, & ipsam comprimunt: atque hæc ratione partes inflammatæ pulsant, & subdit talem dolorem à medicis pulsatiuum, vel pulsatorium vocari.* Grauatiuus infestat renes, & iecur; quoniam nullus neruus per totum corpus ipsorum dispersus est, nec etiam per pulmonem: quo circa grauitas in ipsis sentitur, cum tumoris præter naturam genus aliquod ea infestauerit: nam in horum viscerum quolibet adiacens membrana, per quam neruus dispergitur, sensu potitur; quia verè à tumore, qui est in viscere, ipsa extenditur, doloris speciem appellatione donauit. proinde Hip. primus omnium scripsit, in renem dolor grauis. Alius,

L. 1. fen. 2 doc. 2. c. 20.

Loco cit. Stupidus. C. 2.

Pulsatorius.

Grauis. cap. 4.

qui ob tensionem fit, non soli affectæ parti proprius, vt qui vicinas partes interdum afficiat. Mordax autem humor rodendo dolorem excitat, plurimus autem tendendo, flatuosi spiritus exemplo, ac veluti vrina vesicam intendit, cum non redditur. Sunt quidam dolores, qui perinde ac si partes terebro perforentur, molestare solent, narrantibus ita infirmis. Causa aut materia crassa, aut flatus narrante Auic. quæ retinētur inter tunicas membri crassi, ac duri, sicut intestini Coli, quæ in ipsum permeat instar terebelli perforando: passus est Galen. hoc genus doloris vehementissimi, qui sentiebat imum ventrem terebro perforari in eo potissimum spatio, per quod à renibus ad vesicam vreteras scimus extendi & subdit. *Sunt & alij dolores, per quos palus videtur infixus, qui & ipsi corpus affectum crassum motu esse significant: differunt autem inter se aut multitudine, aut crassitie, aut rei dolorem facientis potentia, siue ea humor sit, siue spiritus flatuosus; quippe paucus multo, & tenuis crasso, & permanens moto minorem dolorem excitare solet.* Arbitror autem ego hoc quidem in dolore humorem, aut flatum loco semper eodem permanere omnino immotum: vice versa in illo, qui à terebello nomen desumpsit, semper nouum locum infestari, quod cum à materia lenta omnino effici non possit, concludendum venit illam tenuiorem esse, vt facilius ad nouum locum se transferre valeat. *Turgidus autem dolor est, qui à parte primario affecta, veluti à radice incipiens celeriter in partes adiacentes transfertur.* Causam talis statuerem esse aut tenuissimum humorem, aut flatulentam materiam, argumento sit nobis celeritas illa se transferendi. *Dolores Distendentes ad neruos attinent, quia ad vtraque extrema tenduntur, tùm id à quo incipiunt, tùm illud, in quod finiuntur; non secus quàm chordæ in cithara, quæ sæpenumero, vbi nimis intenduntur, disrumpi solent; à contrarijs causis intendi planè constat, siue humidus fuerit aer, vt rigare ipsas, & implere possit, siue vehementer aridus.* Decreuit Auic. huius interdum causam esse flatum. *Profundi à loco in intimiori corpore existente desumuntur. Etenim cum venæ quidem semper priores in superficie sint, deinde post eas arteriæ, quibus postea nerui subduntur; idcirco laborantes tensionem in imo sentiunt.* Et subdit. *Sed quòd membranarum, quæ ossibus adiacent, dolores profundi sunt, idest in intimo corpore sensum excitantes, & ossium ipsorum, veluti dolentium inducūt imaginem, haud quaquam mirandum: nam ij ossium labores nominantur.* Fiunt dolores extensi cum venam, aut arteriam secūdum longitudinem corporis occupant, veluti chordæ cuiusdam speciem referentes, nulla itaque grauitate simul apparente. *Nullus autem dolor laxus est, nisi eos fortasse, qui minus intenduntur, laxiores vocet Archigenes; sed dicitur laxus, vt Auic. placet, quia carnem musculi extendit, quæ laxior est neruo, chorda, & panniculo,* Fortè sequens Archig. sententiam, qui de carnibus dicit referente Gal. quòd & fusos, & laxiores inducant dolores. Carnes quoque inuadunt dolores asperi, qui ipsas reddunt asperitatibus similes, hi ab humore oriuntur exasperare suapte natura potente. *Omnes Medici eos vlcerosos vocant, per quos inter mouendum, vel tangendum in laborante parte sensus excitatur, qualis in vlceratis partibus percipi solet; facilè intelliges per dolorem leuiter acutum, huiusmodi quampiam speciem significari, qualis ab acutæ acus punctura fieri*

Tensiuus. C. 4.
Mordax.
Perforat.
Pali ideā referentes qui infixi dicuntur. c. 7. c. 5.
Turgidus.
distendēs c. 7.
Profundi.
Extensi.
Laxi.
Asperi.
Vlcerosi. C. 7.

solet, ergo constat ipsum neque continuum esse, neq; æqualiter per omnes partes porrectum, Pruriginosus verò re vera ad solam superficiem pertinet, non tamen primariò pro rationes ipsius propria, sed per accidens, fiunt vterq; ob acres humores; sed Vlcerosus non solùm ad cutim, sed ad imas quoq; partes, & ad ossa extenditur. Lib. autem 2. de Sympt. Caus. doloris à lassitudine nomen desumentis varias species narrat dicens. *Triplex in lassitudine fit sensus, videtur enim corpus vel fractum, & contusum: vel vltro, citroque distentum: aut cum mouetur plurimis veluti vlceribus conspersum. igitur cum tendi videtur corpus, idque citra exercitationem, affectus huiusmodi nominatur lassitudo tentio nisi spontanea: euenit autem potissimum ob multitudinem continentes partes distendentem, vt ab ipsis contineri non possit. Cum verò vlcerum sensus per corpus transcurrere videtur, id verò accidit humoribus magis motis, quàm quiescentibus; ac putant ita affecti perinde se pungi, ac si complures sint ipsis acus infixæ: nam ab erodente humore hoc symptoma nascitur: per tertium autem lassitudinis genus, quo aiunt ossium se fatigatione detineri, ne minimum quidem motum laborantes tolerare possunt; manifestusque in ipsis est caloris sensus, neque non mordicationis, & tensionis: quippe magna vitiatorum copia per totum animalis corpus transmittitur, hæc omnia à mordacibus oriuntur excrementis*. Multas harum differentiarum narrauit quoque 6. aph. his verbis. *Id fit ex duobus manifestum doloris tum specie, tum vehementia. ex specie, si pungens, si distendens, aut torporem concilians, aut cum oneris phantasia grauis, aut aliquo veluti lancinante, aut erodente, aut pertundente: si continuus, ant cum intermissione, si æquabilis, aut inæquabilis fuerit. secundum vehementiam etiam qui vehementior, remissiorque sit spectare oportet.*

Prurig.

C. 4. Lassitu.

5.

Hæ omnes differentiæ & pro tangibilium diuersitate, siue hæc sint humores, siue flatus, siue corpora dura, & partium læsarum conditione, atq; natura variantur. quæ duo patefecit 2. de symp. Caus. dum de lassitudine dolorosa ab humore solùm oborta verba facit, sic. *Differunt inter se excrementorum multitudine, motu (& qualitate) alia enim magis, & alia minus erodunt: præterea pro laborantis corporis natura: alia enim facilè afficiuntur; alia sunt imbecilla; alia facilè sentiunt; & alia hebetiori sunt sensu.* ab his patet tangibiles qualitates materiæ annexas, quantitate, miscela, qualitate, & motu huius esse causas diuersitatis, quæ omnia si simul coeunt; grauissimum protitabunt dolorem.

C. 3.

Extant ad hæc alia dolorum discrimina magis communia, quæ me quidem iudice si non omnia, saltim eorum maior pars sub iam narratis continentur. sunt hi alij vehementes, & atroces: alij obscuri, vel vt ita dicam, vites: alij æquales, & alij inæquales: alij continui, & alij intermittentes. quæ omnia discrimina nobis reliquit scripta Gal. 2. de l. aff. qui Atrocem dixit violentum, continuum, & vehementem. capite autem septimo æqualem, & inæqualem his verbis ante oculos nobis ponit. *Neque etiam in totum verum est, quod membranarum dolores sint inæquales: si quidem contrarium magis veritati consonat; quippe ex propria ratione videntur æquales inducere dolores, eo quod vniuersum ipsarum corpus æquale est: nam quod ob communicationem cum vicinis, inæqualitatem quandam afferunt, id*

8. Atrox.

Aequalis.

interdum

interdum per accidens euenire solet; cum enim ad affectam ipsam partem circumiacentes & ducuntur, & tenduntur, dissimilem fieri dolorem necesse est: vbi enim intenta particula acutiori sensu est predita; ibi dolore vehementiori excruciantur: vbi verò sensum habent hebetiorem, ibi minus dolent. & subdit. Continuum, & intermittentem nemo est, qui non nouerit: continuum à causa perpetuò sensorium tactus affligente gigni notissimum, sicut intermittentem ab illa, quæ quibusdam temporibus mouetur, & suum effectum producit. Conti.

Dolor, vt est dolor, à medico cognoscitur solùm ægrotantis relatione: at si à materia calida, aut frigida, aut flatulenta, aut vaporosa, vel duritie insigni ortum trahat, à superuenientibus accidentibus, & concomitantibus patefit; calor enim & partis rubor, & interdum pulsatio materiam calidam indicant: frigidam arguunt pallor partis, grauitas, pigrities, & eius frigiditas: flatulentam dolores vagantes, Errabundi, & sæpè intermittentes socio nullo calore; Duram, & Lapideam graues, permanentes, & stabiles, quæ si aspera fuerit, & inequalis, atroces, & immanes euadunt: etiam si hi non raro materiam lentam, crassam, & multam contineri in illa parte denotant. sed hæc à medico perito, ac prudenti pro partium læsarum diuersitate distinguenda veniunt.

Hic si insequiat, & per aliquod temporis curriculum affligat ægrotantem, animi deliquium vires destruendo inducit, quod narrat Gal. lib. de Aret. Cur. ad Glauc. vires destruere legitur 12. Meth. & de vict. rat. com. 3. I.C.14. vigilias enim suscitat, concoctionem interturbat, & spiritus ad se trahit, & C.2. sanguinem, vt lib. de Cur. ratione per sang. Mis. & fluxionem mouet sicut lib. de vict. rat. com. 4. At si adhuc inualescat hoc acerbum symptoma, impellit ægrotantes ad optandam huius amatæ auræ priuationem, sicut euenit aliquando illis, qui dolore dentium vexantur. & aliquando narrante Gal. 5. de loc. aff. ipse solus vita priuat miseros infirmos diris cruciatibus confectos, præcipuè si pars sit nobilis, & præcipua. Tex.27. C.1.

Duo à nobis proponuntur ad symptoma hoc acerbè excrucians ægrotantes remouendum. Vnum respicit causam: Alterum tristi sensationi aduersatur. Causam remouentia existunt varia pro earum diuersitate: nam sola intemperies, exempli gratia calida, suo contrario debellatur, nempe frigidis, quæ si sociam materiam habuerit, eam longè à tentata parte abducere necesse est, & reuellere, deinde illam ad propinqua deriuare, & tandem, si occasio, & partis natura, atque situs permittit, ab ipsa parte foras est euocanda. probat Hip. in omnibus vehementissimis doloribus sanguinis emissionem, ad animi deliquium; hoc præstat & purgatio, vt scribitur 1. aph. his verbis. *In maximis verò doloribus nullum præsentius noui remedium ea euacuatione, quæ ad lipothymiam vsque fiat cum ea tamen distinctione, vt intelligatur phlebotomia ne, an purgatione ad defectum usque animi vti conueniat.* Præcipuè autem talis quantitas est extrahenda, si totum corpus sanguine affluat, sicuti legitur 12. Metho. & si vires sint validę: si verò imbecilles, non extrahatur; quod patefacit dicens. *Ergo si resolnantur vires, non tamen vehementer sunt iam resolutæ, sed adhuc resistunt, ad symptoma tantùm sumus attenti. atque id quamprimum submouere maturamus:* 23. C.8. C.1.

curamus: sin autem resolutæ sint vehementer, non modò symptoma sedare, sed etiam illas firmare præparamus, & ante oculos nobis ponit tale exemplum. Fuit medicus quidam quinquagenarius, cum iam septimam noctem ægrotaret, nec viribus admodum valentibus esset, dolore illi capitis vehementi in dextero potissimum tempore oborto non expectans, dum amicorum quispiam ad se veniret, sibi ipsi nocte venam incidit, itaque dolor illi protinus conquieuit, cæterum longo tempore tum decolor, tum viribus imbecillis, tum exilis mansit, alique corpus illi desiit, sic, vt vix pristinum habitum receperit. Fugienda igitur omnino sunt euacuantia viribus infirmis, sed per epicrasin materiam auferre debemus vires interim alimentis instaurantes. si humor peccans alienus sit à natura sanguinis, talis existit aut pituitosus, aut melancholicus, proprijs purgantibus è corpore extrudendus venit, qui tamen prius concoquatur, & paretur, si crassus, & viscidus oxymelle simplici, & squillitico, melle rosaceo, & de betonica, si subtiles, & æstuosi refrigerantibus, & incrassantibus, ne maiorem impetum in partem afflictam faciant. parati purgentur, quod probat Hip. 6. de Mor. vulg. com. 6. ita. *In doloribus ventrem purgare oportet. auxilium narrante Gal. & leuibus, & sæuis doloribus conueniens.* conueniunt & alia auxilia reuellentia, vt frictiones, nexus, cucurbitulæ inanes, vel cute incisa admotæ, clysteres, & vstiones, siue fonticuli, quæ omnia procul ab infirma parte agenda veniunt. Reuulsis humoribus, & ad partes remotas attractis deriuare illos ad propinquas opus erit, quod varijs assequi possumus auxilijs; hæc censentur cucurbitulę, hirudines, scarificationes, sinapisina, vstiones, & sectio, horum duorum meminit Hip. lib. iam dicto. & Gal. in com. hęc. *Primum verò inter deinceps enumerata est vstio, quę pessimè affectis locis ob prauorum succorum exuperantiam adhibetur. post vstionem sectio posita est.* Nemini autem obscurum est hoc præsidium euacuato diligenter toto, si candentibus ferramentis, aut vstorijs medicamentis adhibeatur ipso narrante, summam opem infirmis afferre. Sicut etiam medicamenta ruborem, & ampullas inducentia hoc pręstare possunt, maximè si frigidus humor, & in intimiori parte commorans; foras enim euocatur à medicamenti calore liquatus, pars inalteratur, & tandem roboratur: vtebantur his medicamentis, & Græci, sicut legitur lib. de comp. Med. per locos, vbi de dolore capitis non solùm ad deriuandum, sed etiam à parte læsa euacuandum, caput enim ipsum illinire rubificanti suadebant teste Gal. qui tantùm in frigidis doloribus hoc genus auxilij probauit; quod commendant & Arabes omnes. Sed sectio non rarò cæteris alijs est vtilior, cum materia illa in parte contenta foras educatur, & si ossa aliqua carie infestetur, hac ducimur in certam cognitionem talis læsionis; vnde auxilia parti commodè adaptantur. Cucurbitula etiam præcipuum est auxilium ad deriuādum, & ad euacuādum, si parti morbosæ affigatur, & cutis incidatur, probata ab omnibus medicis, si percurramus diligenter singulorum dolorum curationem. Sed quoniam humores magis primis qualitatibus, ac secundis, vt acutie, morsu, & subtilitate, quàm quantitate hanc offensam inferunt. operepretium erit & frigefacere, & calefacere, acrimoniam obtundere, & incrassare illos. illa duo prima nobis præcepit Hip. 6. de Morb.

Vulg. iam dicto dicens. Calefactio, & refrigeratio. quæ intemperiem auferre poſſunt, & humorum, & partium ipſos continentiũ. Gal. in com. hæc notatu digna. *Calefactio lauationibus, atque fomentis accerſita ex aquę calidæ fotu extremorum membrorum tollitur: atque frequentiſſimus, & plurimus in dolentibus particulis calefactionis vſus apud medicos eſt: nam contenta relaxat, completa euacuat, & refrigerata calfacit. Refrigeratione autem rariùs ſedandis doloribus vtimur membrorum quidem exteriorem ſuperficiem denſante, & propterea difflationes impediente, diſtenta magis intendente. ſolas igitur calidas intemperies ſine multitudine materiæ factas refrigeratio diſcutiet, ſicuti in capitis dolore ob ſolis æſtum, aut febrium ardores.* Affirmarem tamen ego ſemper in contrarium alterãdum eſſe corpus, ſi dolor acerbus vrgeat, & angat infirmos; ad eius enim remiſſionem, vt caloris, miteſcunt etiam triſtes ſenſationes: non negarem tamen à tali genere auxilij protrahi morbum, cũ materia ab inalteranti frigido magis ſtipetur, & incraſſetur, ſicut doctiſſimè narratur ſupradicto loco. Mordaces, & acres humores, ac ſubtiles hebetant, ac compeſcunt non ſolùm frigida, ſed lentorem quendam habentia; quippè vt habemus 12. Meth. *Tenuis cõſiſtentiæ, & calidarum virium plurimi talium humorum ſunt, & ideo cogẽtia, & incraſſantia conueniunt.* & ideo ptiſſana, maluæ, & portulacæ decoctum probantur, & omnia illa, quæ ſomnum inducere poſſunt. Reducitur etiam ſub genus illorum præſidiorum, quæ cauſam reſpiciunt, nouus dolor aliam excrucians partem primo tamen atrocior, atque ſęuior. humores enim primum dolorem concitantes à vehementiori dolore attrahũtur, vnà cum ſpiritu, & calore ad talem partem impetum facientibus: vel quia ægrotantes dirigunt imaginationem ad illum, qui magis illos affligit, & excruciat, neglecto minore. Dolorem eſſe medicinam doloris, quatenus obſcurat alium reliquit ſcriptum Hip. 2. aph. ſic. *ex duobus doloribus ſimul non eundem locum occupantibus, qui vehementior eſt, alterius ſenſum obſcurat. Obſcuratur dicente Gal. in Com. quoniam tota ſentiendi facultas ad id, quod magis vrget, conuertitur, & in contrarium trahitur.* dolor enim vt dolor, ſicuti legitur 6. de Mor. Vulg. cõ. com. 2. ſedare non poteſt dolorem, ſed magis irritare: quapropter concludendum erit per accidens dolorem mederi dolori, quatenus prima pars dolore vexata priuatur humorũ aliorum confluxu, ſpiritus, caloris, & facultatis ſentientis præſentia.

C. 8.

t 46.

9.

Si flatulenta materia hoc ſymptoma producat, quod quidem duplici de cauſa producitur, aut ab obſtructione, aut à calore, vt 12. Meth. affirmatur, *nam obſtructio ſpiritum cohibet, nec exire permittit; à calore cum craſſa, & glutinoſa incaleſcunt, flatuoſum ſpiritum gignere ſolent.* Si humores erunt in cauſa, incidendi, attenuandi, & è corpore poſtea propulſandi, ſi ſoli flatus retenti, rarefacientibus, calefacientibus, & diſcutientibus ſunt diſſipandi, nec non etiam exiccantibus, *ſicut eſt fomenti vſus, qui ex milio paratur; quoniam id omnium & leuiſſimum eſt, & maximè ſiccans, quodque ab eo defluit, innoxium, experſque morſus eſt. & ſubdit. is dolor, qui ſpiritum flatuoſum comitatur, propriam quandam curationem eſt ſortitus ex cucurbita cum flamma copioſa ſubinde admota. videbiturque tibi præſidium hoc in huiuſmodi affectibus incantamenti cuiuſdam ſimile quid efficere, ſiue hi in*

C. 8.

inteſti-

intestinis, siue in quauis corporis particula excitati sunt: illico enim cucurbita admota, qui spiritu flatuoso cruciantur, tum à dolore liberi, tum omnino sani redduntur, quos verò nō spiritus modò flatuosus, sed etiam humor quispiam, vnde is oritur, malè habet, ijs illico ad tempus dolor sedatur, redit tamen vel in sequenti nocte, vel postridie, vel tertio die similis dolor: ac potissimùm cum in uictu aliqui deliquerint, aut importuniùs particulas excalefecerint.

Sin moles aliqua grauando, contundendove dolorem excitat, moli ipsi est medendum ibid. hæc extant, quæ tristem sensum, aut sedare, aut remouere possunt, quatenus eius causam è medio tollunt.

Dolori Symp. C. 2. Dolori, vt molesta est sensatio, aduersatur voluptas, blandusque sensus. quod scribitur 2. de l. aff. ita. *quippe dolor vt tristis est sensus, ita voluptas blandus.* Amicum suscitant sensum, atque suauem, quæcunque in qualitatibus tangibilibus non excedunt naturam sensorij tactus, sed mediocritate quadam insignita sunt, inter qualitates primas tepidum sibi vsurpat locum, quod remissè calidum appellatur à Gal. & anodynum, inter alias qualitates mollia, ac lenia lentorem quendam possidentia, & ideo à multis mucago fœnugreci, & seminum lini mirum in modum celebratur. talia fortè vocauit ille lenta sine morsu. sed longo, ac diligenti sermone ante oculos nobis ponit varia voluptatem tactui afferentia, lib. 1. de symp. Caus.

C. 6. sic. *Non solùm autē balneum, & mollis ex plurimo oleo frictio fatigatas partes voluptate afficiunt; verùm etiam mollis, suauis, & lenis attrectatio ingentes dolores nō mediocriter mitigare, & vt simpliciter dicam delectamur in huiusmodi sensus genere ad naturalem habitum redeuntes, talia in gustu sunt dulcia, & in olfactu odorata.* Hoc efficiunt anodyna, si verè anodyna

C. 18. erunt, vt dilucidissimè pronunciauit lib. 5. de simp. med. facul. his verbis. *Transeundum deinde ad sermonem de facultatibus anodynis, hoc est dolorem sedantibus, & paregoricis, aut parynticis. i. lenientibus, aut mitigātibus, aut vtcunque nuncupare libebit,* & subiungit declarans quæ re uera sint anodyna, quæ enim affectum sanando dolorem mitigant, anodyna non dicuntur, hæc. *Porrò, quæ affectum sanando dolorē sedant, nec ea meritò anodyna dici possunt; nam id commune est omnium, quæ curant. itaque quæ re vera sunt anodyna, sint tenuium partium, & calidiora quàm quæ symmetra sunt, vt se euacuent, digerant, rarefaciant, extenuent, concoquant, & æquabile reddant quicquid in partibus dolore vexatis inclusum est. quæ nihil prorsus adstrictionis habeant, ne si pars quidem, aut etiam affectus exposcant. ex quibus liquet, quod interdum affectionem non iuuabunt, sed dolorem tantūmodo mitigabunt, quando re vera dicentur anodyna; interdum verò etiam affectum ipsum iuuabunt, & facultatem duplicem habebunt, nempe anodynam, & sanantem, horum autem medicamentorum anodynorum propriè nūcupatorum quædam, vt est ante dictum, primi sunt ordinis excalfacientium, quæ sanè propriè sunt anodyna; quædam verò similiter, vt corpus nostrum, veluti pus mouentia nuncupata.* & hæc sunt Gal. verba.

Aliud genus anodyni inuenitur, quod re uera non est anodynum, sed nomine tantùm, quod sensum à sensorio aufert, aut somnum ita profundum procreat, vt dolores etiam si atroces, ab infirmo minimè sentiantur.

hoc

hoc genus cognouit etiam Gale. loco iam citato, hæc naturam sortiuntur omnino contrariam illis, quæ anodyna vocantur; refrigerant siquidē omnia corpus, & sensum eousque obstupefaciunt, vt si paulò liberalius ebibantur, mortem afferant, at conuenienti mensura alijs admista iuuabunt. & antè, facultas eorum, quæ dicuntur, frigidorum est, quæ stupefaciunt. est autem stupor paulò minus quàm insensibilitas, ac sensus priuatio. modum his vtendi nos docet 6. de Mor. Vulg. com. 6. sic. *Ad hęc modus alius indolētiæ effector est scilicet qui sensum hebetat, & stupefacit, in quo prudentiæ non vulgaris est stupefactorio medicamento alia permiscere, neq; eo solo vti. quem enim præterit à Philonio, quod vocatur medicamentum dolorem sedans. stuporem verò, siue torporem papaueris succus, & alterci semē efficiunt, hęc si sola perpauca exhibeantur, dolorem sedare non possunt: si tantùm ex istis detur, quantum sedare possit dolorem, insigni noxa pars dolens afficietur, ideo hoc medicamentum à Philone excogitatum fuit*. & lib. 12. C. 1.
Meth. dum damnat medicos delicijs cubantium subscribentes, hæc, *Committunt medici excessus in ijs vocatis anodynis: nam qui ægris gratificantur in talium medicamentorū vsu, modum excedunt, sed pro fine habere debemus cubantis vtilitatem: quippe si fas est ijs remedijs, quæ morbum sanēt, vtendo, quod optamus efficere, abstinendum à talibus medicamentis est, quę anodyna dicunt Sin ex vigilijs, & viribus resoluendis ad mortis discrimen æger tendat, tunc profectò tempestiuè eiusmodi vtare non ignarus corporis habitum nonnihil ex his lædendum; grauiter sopientia vitanda, aliquando tamen & illa colicis exhibeo, & ijs, qui oculorum, aurium, vel aliarū partium dolore excruciantur. pręcipuè horum vsus vituperatur, si à frigida causa dolor sit excitatus: obsunt. n. toti affectui.* & cap. 8. damnat eorum vsum in frigidis doloribus, & in calidis probat sic. *Quippe tenuis consistentię, & cali-* In calid.
darum virium plurimi talium humorum sunt, quę autem ex papaueris succo, & alterco, & eo modo frigidis composita medicamenta sunt, simul omnino & refrigerant, & siccant, qua ratione non solùm, vt sensui torporem inducentia salutaria sunt, sed etiam vt humorum tenuitatem cogentia, atque incrassantia, præterea vehementem calorem refrigerantia: vbi verò crassi, glutinosique sunt humores omnino alienissima hęc sunt. Si enim sępe talibus sit opus necessitate vrgente, homo insanabilis effectus in malum totius corporis habitum incidit, & post longa tædia perit. hæc ibi. At non solùm maximum afferunt detrimentū hæc per os desumpta, sed etiam foris admota, si partes natura fuerint frigidæ, & exangues, sicuti sunt oculi, & aures. quod reliquit nobis scriptum loco dicto his verbis. *Iam verò collyria, quæ ex opio fiunt, vehementissimos oculorum dolores remittere omnes norunt: vtendumque his est, vt diximus, cum maxima necessitas vrget; si quidem non paucos eorum, qui his sunt vsi, eo infirmitatis uenisse, vt alij ferè nihil viderent, alij propemodum surdi forent, itaque nos, si quando cogimur his vti, post modum in sanitatis tempore particulas illas excalfacimus, nempe auribus oleum id, quod solum castoreum habet, infundentes, oculis uerò collyria, quę tantum excalfaciunt, ut quod ex cinnamomo conficitur.* Ab his omnibus colligere debemus varia necessaria esse ad horum accommodatum vsum, ne partes, aut totum, offensam patiantur aliquam, & æger tam insi-

gni dolore non torqueatur. Primò dolor sit vehemens, & acutus: Sec. à materia frigida originem non ducat: Tertio, *ægrotantis uires sint ualidæ quoquomodo, sed non adeo resolutę, ut non resistant, tunc enim debemus illas firmare:* Quarto partes non sint natura frigidæ: destruitur enim earum calor. Quintò, medicamentum sit plurimorum calefacientium permistione castigatum: Sexto vtatur à compositione post annum; ante enim frigida illa qualitas præualentes vires habet. hæc omnia præcepta Gal. vt narrauimus, nos docuit. *Inter omnia, quæ opij naturam corrigere possunt, ab ipso mirum in modum castoreum celebratur, maximè si materia fuerit frigida, ut 8. de comp. Med. secundum locos scribitur: sine enim tali auxilio mortificat corpora, ac reddit affectum immedicabilem.* eius quantitatem respectu opij instituit 3. de Comp. per locos sic. *Miscetur castoreo opium, uerùm multo ante usum tempore, siue pari pondere, siue duplo castorei, in uehementissimis doloribus pari, in minoribus duplo, liquor, quo diluuntur hęc, sit sapa; multò enim magis, quàm dulcia uina dolorem sedat; at si inflammatio aures teneat, misceatur opium muliebri lacte, & oui candido.* Necessitate itaque vrgente his vti debemus non pauco cum ęgrotantis miseri leuamine: sedato enim dolore, sicut ibi etiam legitur, affectiones illum efficientes natura superat, & concoquit. Hoc etiam efficit aqua frigida effusa iubente Hip. 5. aph. his verbis. *Articulorum tumores, & dolores absque vlcere frigida largè effusa leuat, & extenuat, soluitque dolorem: nam modicus torpor dolorem soluendi vim habet.* & Gal. in com. hæc. *nam inflammationes, & epiphlogismata, i deflagrationes in rubrum, & floridum colorem tendentes recenti sanguine sanari dicit à frigida, vtpotè quæ humorem influentem reprimat, & corpora eatenus vacuet. quare dolorem etiam in talibus soluit, & eius causam excindit; quinetiam & refrigeratio moderatum torporem adfert, qui & ipse dolorem hebeti sensu reddito soluit.*

Gal. ibid.

C. 3.

C. 1.

25.

Victus ratio sit potius tenuis, quàm secus, nisi vires imbecillæ, & languentes euadant; plena enim humores adauget, & fluxiones, qui sunt primordia doloris: qualitate sit varia pro diuersitate humorum, & intemperiei: vinum fugiant vigorosum, ac tenue, omnia aromata, acuta, & exagitantia, sicut etiam motum; ab his enim omnibus humores liquescunt, calor acuitur, & spiritus ad partem læsam errabundi facti confluunt.

De Stupore, & Torpore.

IN descriptione Stuporis fuit Galenus tam varius, & inconstans, si tenuitati ingenij mei fidem præstare volo, vt mihi perarduum sit ab eius dictis Ideam, & naturam talis passionis adinuenire. nam lib. 1. de Sympt. Caus. pronunciauit. *Stuporem ex sentiendi, & mouendi difficultate compositum esse affectum.* quod etiam 2. de loc. aff. vbi hæc dum agit de stupido dolore aduersus Archigenem. *Est Stupor Refrigeratio insignis, sed quod Stupor dispositionis sit nomen, non sensus, aut doloris, Hippocrate dicente declaratur.* Et lib. 2. de symp. Caus. statuit stuporem esse noxam functionis a voluntatis imperio pendentis, quem dicit imperfectam resolutionem, cuius verba. *Igitur functionis à voluntatis imperio prodeuntis noxa, neruo-*

C. 5.

C. 8.

C. 2.

rum

rum resolutio, conuulsio, tremor, & stupor, à cuius dictis patet stuporem non esse offendiculum sensus tactus, sed motionis. præcipuè cum paulò inferius ab eius dictis eliciatur varias esse species stuporis, quæ extant. Verum maior, minorve *Stupidarum partium offensa complures parit differentias: quippe mixtum ferè symptoma est, coeuntibus in vnum, & morbo, & facultate: nam si morbus facultatem vicerit omnino, ipsa membrum haud quaquam poterit transferre: si verò superior manserit facultas, nihil eam impediet: at si pugna quædam inter ipsa fuerit, mouebitur quidem membrū, sed non sine difficultate: nam facultas attollit, & sustinet, corpus verò tum manus, tum cruris inferiora petit*. Quæ omnes differentiæ à motione læsa desumuntur, & non à noxa sensus tactus, vt dilucidè ipse narrat. ad quid igitur aliqui balbutiunt sermonem habuisse Gal. de stupore non vero, sed illum considerasse, vt confunditur, cum resolutione; cum in capitis principio proponat se orationem habiturum de noxis functionis a voluntatis imperio pendentis, quas offensas in medium affert sic. *Noxa igitur Resolutio, Conuulsio, Tremor, & Stupor*. Quo quidem loco distinguit omnino stuporem à resolutione, & de omnibus singulatim agit, immo aliquas species in medium adducit, quæ nullam conuenientiam habent, sicut illa pugna quædam oboritur inter facultatem, & grauitatem partis, a quibus emergit motus ille deprauatus, qui tremor ab ipso Galeno vocatur, vt eodē cap. scribitur. At lib. 5. de facul. simp. Med. sic definit stuporem. *Est stupor* C. 18. *sensus paulò minus quàm priuatio, vel insensibilitas*. Censeo ego hac veram esse stuporis descriptionem, stupor enim ad sēsum tactus attinet obtusum, ac diminutum: quidquid enim sentiunt, hebeti, & obscuro sensu percipiunt. vt 2. de l. aff. & 1. de symp. C. quo loco affirmat stuporem esse pathe- C. 2. ma, quo neruosæ partes difficulter sentiunt, sed addit, & Mouentur. At si 8. in definitione stuporis necessariò concurreret & motus aliqua offensa: nō inueniretur stupor sine motus aliquo detrimento, quod quidem omnino est falsum, quod etiam cognouit ipse Gal. eodem lib. c. 5. ita. *Fieri potest, vt neruus per cutem dispersus offendatur, qui verò per musculum spargitur, noxa vacet: sic econtrario fit, ut illæso cutis neruo, lædatur musculi neruus*. nō erit igitur verum affirmare sicuti decreuit hoc in loco stuporem ex sentiendi, & mouendi difficultate compositum esse affectum. Cum tamen hoc in capite agat de noxis sensus tactus dedita opera; cum priùs de offensis aliorum sensuum, & eorum nomenclaturis sermonem habuerit amplissimū: nisi aliquis dicat extorquens textum talibus in lib. de omni stupore orationem non fecisse, sed tantum de chronico, vehementi, ac perfecto, sicuti Auic. placet, in tali enim, & nerui destinati motui oblæduntur quod exēplo a Gal. in medium allato aduersatur. exemplum hoc nobis ponitur ante oculos Pausaniæ Sophistæ lib. 3. de l. aff. sic. *Pausanias Sophista secūdum* C. 10. *duos minores digitos sinistræ manus, atque medij partem dimidiam sensum in primis difficilem habebat, & postea illum omnino amisit iam triginta diebus illæsa seruata motione*. In hoc infirmo affectus erat insignis, & firmatus: nunc omnino ablatus erat sensus, vt iam triginta diebus excruciaretur: sed quotidie à nobis non paucos videre licet, quorum aliqua pars, vt crus stupore insigni infestatur, quam si acu pungas, ac stimules, vix noxā

ſentiunt; attamen deambulant ſine aliqua offenſa, & ideo *Stuporem eſſe reſolutionem minimè affirmandum venit; quoniam reſolutio teſte Gal. citato loco potiſſimum dicitur, vbi motus deperditus eſt, vbi verò partium aliquarum ſenſus perit, eam partem ſenſus expertem eſſe, reſolutam autem non adeo dicere conſueuimus: quanquàm ſunt nonnulli, qui hanc affectionem ſenſus reſolutionem vocitant.*

C. 18. His itaque omnibus prætermiſſis ſequens tamen Galeni ſententiam lib. 5. ſimpl. talem pronunciarem definitionem. Eſt ſtupor paulo minus, quàm inſenſibilitas, ac ſenſus priuatio ob impedimentum tranſitus facul-
C. 5. tatis. Hanc eſſe cauſam litteris prodidit 1. de ſymp. Cauſ. Ita. *Huius affectus cauſa continua aut inhærens, aut continens eſt impedimentum tranſitus facultatis, impeditur ſi neruus aliquo meatu præditus non ſit, ſi immodicè craſſus, duruſque fuerit. Fit craſſior, ſi viſcidis, craſſiſque ſuccis nutricetur; aut violento frigore conſtringatur; vel ab aliquo corpore duro extrinſecùs adueniente comprimatur: vel laqueo, vel manibus conſtringantur, aut à vicinæ partis phlegmone, vel Scirrho, vel luxatis oſſibus comprimantur, & ar-*
C. 2. *ctiores fiant.* Quas omnes cauſas narrat lib. 2. de Cauſ. ſympt. ſic. *Demonſtrauimus neruum aut ſtupore, aut reſolutione infeſtari, ſi vel frigus illum conſtringat, aut craſſi, & lenti humores obſtruant, aut aliqua cauſa ſuo pondere comprimat.*

Variæ itaque extant cauſæ, à quibus facultatis diſtributio prohibetur, ad quid ergo affirmãt ſtuporem inſignem eſſe refrigerationem? dicunt enim talem ſententiam dilucidantes aſſumpſiſſe Gal. rifrigerationem pro cauſa ſtuporis, & non pro ſtupore: nam hæc poſtea ille. *Nam ſtupor ob refrigerationem fit, vt planè videre licet in his, qui hyeme per frigora proficiſcuntur, atque in refrigerantibus medicamentis; nam ſi extrinſecus immodicè adhibeantur, particula ſtupida euadit, nominaturque, vt dixi, huiuſmodi refrigeratio ſtupor.* Hoc quidem in loco de ſtupore in vniuerſali verba habet, & non de particulari aliquo ſtupore; attamen refrigerationem eſſe ſemper ſtuporis cauſam, & originem ille firmè, ac omnino negat 1. de Symp. Cauſ. compreſſio enim aut à phlegmone, aut ab oſſe luxato refrigerare minimè poteſt: nam ſtuporem inducit actu tepidum, & humores, non vt frigidi, meatus inſenſibiles obſtruunt, ſed vt craſſi, immo frigus, vt conſtringit, talis paſſionis in cauſa eſſe ab ipſo cenſetur. meliùs igitur eſſet pronunciare frigiditatem interdum ſtuporis eſſe primordium, atque cauſam, & non ſtuporem inſignem exiſtere refrigerationem.

Eſt ſtupor ſymptoma ſenſus tactus in genere diminutæ functionis: eſt morbus, qui reducitur ad affectum in via; prohibetur enim tranſitus facultatis in tali paſſione.

Signa. Facilè ab ægrotantium narratione cognoſcitur: quicquid enim tetige-
C. 2. rint teſte Gal. 2. de l. aff. obſcuro, & hebeti ſenſu percipiunt. *At ſi ſanguis abundet, arguunt venarum tumiditas, rubeus color, ſomnus, & grauitas totius,* vt refert Auic. ſicuti pituitoſum prouentum pigrities, & ignauia, color ſubpallidus, & in ſomnum delatio. Si autem excellens frigus, aut tumor, aut luxatio talis noxæ ſit origo, ſine aliqua difficultate innoteſcunt hæc medico.

Dege-

Degenerat non rarò in resolutionem, si intendatur, si credendum Gal. vel in spasmum, si Auic. qui statuit, interdum, si succedat ei vertigo, futuram portendere apoplexiam, at si debilis fuerit stupor, tremorem. Prog.

Morbosa humorum illuuies purganda, obstructio illa ductus cæcos infestans remouenda, & symptomati pugnandum contrarijs.

Purgetur materia, quæ irruere ad partē læsam pōt, si frigida pil. cochijs, vel fætidis suasore Rasi, prius tñ paretur oxymelle, & syr. de stæcade: nec prætermittenda sunt oīa illa, quæ à parte ægra abducere possunt, & reuellere, si sanguis erit copiosus, vena secetur, & abundanter sanguis extrahatur iubente Auic. qui affirmat hac sola stuporem auferri. longè à tentata parte hauriatur, & tandem, vt placet Mes. à vena, quæ communicatur illi parti. Constantinus referente Rasi, tanquàm singulare auxilium, probat hirudines loco infirmo admotas.

Imtemperies autem, à qua producitur humor, medicamentis contrarijs remoueatur.

Materia illa meatus insensibiles obstruens foras educatur vesicantibus, sinapismis, frictionibus, & cucurbitulis. Commendat Ras. & Auic. frictionem cum pyrethro; calfacit enim, attenuat, & foras euocat humorem intus latentem. Sicut etiam ab illis laudatur motus, & exercitium partis læsæ. A morbo.

Hebeti, & obscuro tactui aduersantur omnia illa obiecta tangibilia, quæ excitare possunt sopitam facultatem: talia reputantur, quæ acutum dolorem, ac pungitiuum inducunt, ac inferunt parti, vt exasperantia, & pungentia. Locum, cui admouere debemus omnia auxilia, nos docet Gal. lib. 1. de l. aff. adducens exemplum cuiusdam, qui dixit. *Triginta iam diebus sensificam trium digitorum amisiße facultatem illæsa seruata motione, sed ab impositis medicamentis nihil præsidij percepisse. ego inquirens, quæ præcesserant accidentia, inueni ipso dicente neque inflammationem, neque refrigerationem, nec ictum præcessisse, sed paulatim sensum perdidisse. rursus interrogaui, num superiorum partium aliqua icta fuisset, respondit digitos non fuisse ictos, sed dorsi initium ob casum à vehiculo, quo circa coniecturam feci, neruorum, qui à septima vertebra procedunt, partem quampiam fuisse inflammatam, ac nunc duram habere dispositionem, neruorum enim qui à ceruice prodeunt, vltimi exigua pars ad minores peruenit digitos per cutem ipsos continētem, ac præterea per medij digiti medietatem dispersa. igitur iam adhibitum digitis à medicis medicamentum abijcere iubens, illi præcipuè spinæ parti, quæ in affecta particula principatum obtinebat, ipsum adaptaui, & sic digiti adhibitis spinæ medicamentis fuerunt curati.* Frustra igitur admouentur medicamenta partibus stupore tentatis; sed maxima cum vtilitate, si origini illorum neruorum, qui ad partem læsam deriuantur. attamen multi adinueniuntur Medici, qui propria opinione duce, medicamenta solùm partibus stupore tentatis admouere iubent sine aliquo miseri ægrotantis leuamine. A symp. C.6.

Finis Liber Secundus.



DE
MORBIS MOTRICEM POTENTIAM LÆDENTIBVS.

Liber Tertius.

De Motrice facultate. Agitur quid motus animalis, quæ eius causæ; & appetitiuum à motiuo differre aduersus nonnullos demonstratur. Cap. I.



CVM De Sensitiua facultate sermonem satis amplum habuerimus, tempus est, vt noxas, & morbos motricem obsidentes narrare aggrediamur, etiamsi, vt multis videtur conueniens, prius de motu, deinde de Sensu agendum procul omni dubio erat: nam is in actione consistit, vt 3. de Mor. Vulg. optimè cognouit Gal. & sensus in passione quadam; immo lib. 1. de l. aff. motum per facere explicauit, sensum autem per affici, quod dilucidè posteritati reliquit
T.51. scriptum Arist. 2. de anima, & alijs mille in locis. Sed primò varia consideranda, & perpendenda veniunt, videlicet quid motus animalis, quæ facultas mouens, & tandem quæ Organa, tali actioni à natura sint destinata.

Est motus animalis ille vocandus, qui à libera voluntate & excitari, & sisti potest, inuoluntarium autem dicimus, in quo mens non imperat, &
C.5. 6. iubet, hæc nos docet Gal. lib. 2. de motu Mus. his verbis. *Etenim si quæ fiut, sedare potes, cum vis, & quæ non fiunt, facere, hic motus voluntarius, si præterea citius, aut tardius, vel crebrius, vel rarius ea faciendi potestatem*
T.29. *habes, nonne manifestum est eas actiones seruire voluntati?* Et Arist. 8. physic. *Animatorum proprium est, vt sistere possint seipsa, dico autem, vt si deambulandi causa sit sibi, & non deambulandi.*

Hunc varijs nominibus Gal. exornauit libro iam dicto: animalem enim motum, spontaneum, voluntarium, à voluntatis imperio pendentem, &

anima-

animalem impetum vocauit; quæ tamen omnia in voluntatem imperantem diriguntur: ab ipsa enim iubente mouetur, & quiescit animal, quod de alijs motibus non contingit, & in hoc isti ab illis distinguuntur.

Varia autem requiruntur, vt aliqua partium, vel totum motu moueatur animali, & vt in horum cognitionem deueniamus, sciendum est omne quod mouetur, conflatum esse ex mouente, & mobili: ab aliquo enim mouetur omne, quod mouetur, sicut patefecit Phil. in phis. cum igitur animal moueatur, necessariò compositum erit ex mouente, & mobili. Mouens erit Anima, motum, vel mobile erit corpus totum, aut aliqua eius pars: est nanque anima, qua viuimus, & motum habemus, sicut 1. de motu Mus. quod habemus ab Arist. varijs in libris; & quoniam anima naturali propensione non mouet, (hoc enim inanimati proprium, vt mixti) sed cognitione & propter finem, erit acie ingenij considerandum, à quo ipsa moueatur, & tandem quibus instrumentis, & medijs corpus moueat, quæ instrumenta erunt & mota, & mouentia media inter animam, & vltimum motum. Mouetur anima ab appetibili, si amabile erit, tanquàm ab obiecto externo, vt ipso fruatur, à quo ad motum impellitur ;atque pulsatur oborta cupiditate, & desiderio rei repræsentatæ, vel ad eam fugiendam, si tristabile fuerit obiectum, hoc docet Phil. 3. de anima his verbis. *Semper mouet appetibile, & hoc aut est bonum, aut apparens bonum, sed agibile bonum.* Et hoc mouens ab ipso appellatur primum mouens immobile, quod affirmat lib. de animal. motu, dicitur immotum; quia non mouetur ab aliquo, mouens, quoniam animam mouet: hoc Seniores Medici, vt Iacobus de Partibus, & inter Philosophos Thomistæ, & Albertus Magnus lib. de Homine, vocauerunt principium motus excitatorium, quod quidem animam mouet & sub ratione causæ efficientis, & finis, vt enim obiectum est, & causat sensationem, & cognitionem, mouet tanquàm causa efficiens, sed appetibile vt appetitum mouet ad eam amplectendam, sub ratione finis, quod litteris tradidit Auer. 12. Metap. mouetur enim semper animal ob cupiditatem alicuius rei non in anima existentis, vt ea fruatur, si delectabile, vel eam fugiat, si eam abhorreat, & hoc est moueri propter finem, & ideo Arist. lib. de motu animal. decreuit omnia animalia propter finem moueri. Tale mouens, quod mouet sub ratione finis dixere omnes Philosophi mouens metaphoricum. Mouetur igitur ab appetibili appetitus, prius tamen cognito ab aliqua potentia cognoscente: quoniam impossibile existit suscitari appetitum, nisi eius præcedat aliqua cognitio teste Simpl. 3. de anima. apprehenditur autem, & cognoscitur species appetibilis ab imaginatione, aut alia facultate cognoscente, hæc verò ab obiecto à sensibus repręsentato, aut memoria seruato mouetur, à quo tandem excitatur appetitus. Concurrit hæc cognoscens facultas, vt principium iudicans esse conueniens, necne tale obiectum, hæc nobis patefacit Arist. 3. de anima sic. *Est ergo animal sui ipsius motiuum, in quantum appetitiuum, appetitiuum autem non sine imaginatione, hæc autem vel rationalis, vel sensitiua.* Et lib. de animal. motu hæc. *Mouetur animal ob appetitum, qui per sensum, vel per phantasiam, vel notionem efficitur;* Et subdit motum fieri vel mente, vel appetitu. Sciendum tamen est mentem pro phantasia, & phan-

Tex. 51.

C. 43.

Tex. 56.

phantasiam pro intellectu his in locis sæpe vsurpari, & cum de intellectu mentionem facit, practicum intelligit, vt doctissimè exposuerunt Philoponus, & Themistius: huius enim est agere, & operari: anima igitur est causa motus, vt appetit, appetit autem quoniam cognoscit, & iudicat hoc esse sequendum, vel fugiendum: & intellectus ipse, dum mouet, non sine appetitu mouet: quoniam voluntas quidam est appetitus secundum ratio-
T.50. nem, vt scribitur 3. de anima. Nec obstat si eodem libro t.47. dum disputatiuè vestigat causas motus Aristot. asserat appetitum non esse causam motus dicens. *Continentes enim, appetentes, & concupiscentes non operantur ea, quorum appetitum habent, sed sequuntur intellectum.* Responsio est in textu; victus enim est, & frænatus appetitus sensualis à rationali, & ab habitu virtuoso: quoniam sunt isti inter se pugnantes, vnde interdum hic,
C.6. & interdum ille vincitur: etiamsi sicut legitur 4. de Decr. Hip. *Rationalis sit imperare, & dominari alijs functionibus, nisi interdum impellatur à concupiscibili, & tunc subditus euadit, vt in amore.* Sed hæc omittamus: nam multæ circa mouentur à Philosop. ambiguitates, quorum munus est eas dilucidare, non autem Medici; familiarius est enim illi de instrumentis, & organis facultati animali deseruientibus, quàm de potentijs agere, ut doctissimè pronunciatur 6. de Decr. Hipp. Est appetitus itaque motus causa, & est illud mouens & motum relatum
T.54. ab Arist. sic. Mouens autem & motum appetitiuum: quoniam vis animæ, quæ appetit, ab appetibili mouetur, & hæc postea mouet ad prosequendā rem desideratam. hoc tale mouens vocauerunt iam dicti principium imperans, & impulsorium: imperat enim, & iubet motum in animali. quapro-
39. pter Alex. Aph. lib. de anima nuncupauit appetitum impulsum quendam, & vim impulsoriam. & Gal. 6. aph. & 1. de Motu Mus. Virtutem impellentem, & cientem appetitum dixit. ab hoc excitatur facultas mouens, quæ diffusa per neruos moueat corpoream molem, quæ efficiens, & effectrix dicitur motus causa.

Hanc cognouit Galenus, vt varijs in locis scribitur: attamen sunt multi philosophi nec tali nomine indigni, qui facultatem mouentem adinueniri negant affirmantes idem esse & motiuum, & appetitiuum, & hanc esse medicorum figmentum demonstrare conantur. hoc autem, ni fallor, à ratione, & à dictis philosophi omnino censeo ego esse alienum: nam variæ operationes procul omni dubio arguunt diuersitatem potentiarum, à quibus emanant: at quis ignorat appetere, & mouere omninno esse actiones diuersas? erit fortè munus appetitus retrahere tendones? præterea non ne diffinitiones, & organa destinata motui hoc demonstrant? nam alia est definitio appetitus, & alia motricis facultatis, & instrumenta seruientia motui, minimè appetitui famulātur. quis enim dixit musculos esse organa appetitus? ad hæc si, appetitiuum est idem cum motiuo: ergo vbi appetitus, ibi & motus; at hoc falsum, multa .n. extant animalia prædita sensu, & consequenter appetitu, quæ non mouentur secundum locum, si-
T.45. cuti narratur 3. de anima sic. *Multa animalia sunt. quę sensum quidem habent, manentia autem, & immobilia semper.* at dicent aliqui recentiorum hoc euenire, quoniam talia animalia priuata sunt, & orbata instru-

mentis

mentis aptis ad mouendum. quod ridiculum; si enim prædita essent tali
potentia, & organa haberent. vnde subdit, vt præueniret garrulum dubi-
tantem. *Natura igitur non fecit frustra quicquam, nec deficit in necessarijs,*
nisi in orbatis, & imperfectis; huiusmodi autem animalia perfecta, & non
orbata, vnde fit, vt haberent etiam partes instrumentales progressionis.
adde illam opinionem recedere à dictis Philos. nam lib. 2. de anima, quo
loco enumerat animæ potentias, hæc scripta reliquit. *Potentiarum autem* T.27.
Animæ, quæ dictæ sunt (s.t.17. & 18.) alijs quidem animalibus insunt om-
nes, alijs quædam harum, & alijs vna tantùm potentias: autem dicimus ve
getatiuum, sensitiuum, Appetitiuum, Motiuum *secundum locum.* à quibus
verbis apertè constat motiuum esse animæ potentiam ab appetitu distin-
ctam, quod t. 17. & 18. demonstrauit, quæ sub sensitiuo comprehenditur.
Et ibi. *Est igitur anima Principium eorum, quę dicta sunt, & his est defini-*
ta vegetatiuo, sensitiuo, intellectiuo, & motu. postea demonstrat has po-
tentias varijs in gradibus animalium elucere: quoniam nonnulla, vna
harum tantùm exornat: alia duæ, & alia plures; vbi enim sensitiuum, ibi
& vegetatiuum; nam sensitiuum sine vegetatiuo non inuenitur; quibus
sensitiuum, & Appetitiuum: attamen quibus inest appetitiuum, non om-
nibus motiuum. quod nos docuit 3. de anima sic. *Et ea rursus, quę sen-* T.45.
tiunt, quædam habent loco motiuum, & quędam non habent. attamen ada-
pertum est hoc omnibus inesse appetitiuum, quibus sensus: at si appetitus:
ergo & motiuum: hoc omnino, vt in textu legitur, negatur. præterea ani-
matum ab inanimato his duobus distinguitur, quod philosophi prisci
confirmauerunt omnes, Motu, s. & Sensu, hoc habemus 1. de anima. & 3.
sic. *quoniam anima definita est secundum duas potentias, videlicet secun-* T. 19.
dum cognitionem & motum. Differt igitur, vt patefecimus ad mentem T.40.
Arist. appetitiuum à motiuo secundum locum; cum hoc sit quid vltra ap-
petitiuum, quod in omnibus appetitiuũ habentibus non reperitur. Ex his
patet Medicos sine necessitate non multiplicasse facultates: appetitus enim
imperat motum, at non mouet, sed post eius nutum insurgit motrix facul-
tas, quæ fluens per neruos producit motionem, & ideo si quis laqueo con-
stringat neruos illam deferentes exempli gratia ad manum, nullus susci-
tabitur motus, etiamsi appetitus iubeat illam mouendam esse. priuata
enim existit facultate motoria à cerebro influente. non tantùm hanc affir-
mauit Gal. mille in locis inueniri, quam sæpe animalem functionem di-
xit; sed etiam Alex Aphro. 2. de anima. sic. *Vis, quæ motui ministerium* C.vlt.
exhibet, in neruos, musculosque diffunditur, quibus intercedentibus natura
motum animalem gignit. Hæc dicitur vis motum efficiens, & producens, 6.Nat.
cuius operationem ante oculos nobis posuit Auic. nemini Philosopho se- C.6.
cundus, qui decreuit motricem facultatem duobus modis posse vsurpari,
scilicet. *aut quia imperat, impellitque ad motum, aut quia efficit motum.*
Imperans est vis appetitiua: Vis autem motiua efficiens est vis infusa ner-
uis, & musculis contrahens cordas, & ligamenta. quod ante ipsum reli-
quit scriptum Gal. 1. de motu Mus. his verbis. *Facultas animalis nisi*
adiuuaret musculum, nunquam moueretur, quæ initium habet à cerebro &
mouet, vt catenam manus. quæ confirmat 1. de vsu part. 1. de l. aff. 7. & 1. 2.

de symp. Caus. quæ omnia fidem faciunt esse aliquam facultatem motoriam à cerebro per neruos ad partes transmissam diuersam ab appetitu, & voluntate. Erit ergo, vt finem imponam, primum Mouens forinsecus aduenìens obiectum appetibile, quod mouens excitatorium omnes seniores medici latini dicunt quoniam appetitum mouet: at quoniam non potest excitari appetitus animalis, nisi aliqua præcedat cognitio, illa facultas cognoscens hoc esse fugiendum, vel sequẽdum dicitur Principium dirigens, & iudicans. à cuius cognitione suscitatur appetitus à tali appetibili, qui appellatur principium Imperans, & impulsorium. post appetitum insurgit quædam facultas ad partes impetum faciens, quę principium motus efficiens vocatur. & hæc sunt mouentia omnia, quæ à parte animæ requiruntur,

Varia enumerantur organa, quibus anima mouet, & demonstratur motum animalem illuminatione non fieri, sed, facultatis distributione. Cap. II.

QVuoniam Natura cum medijs, & per media operari solet; erit toto pectore indagandum quibus corporeis instrumentis, siue organis anima moueat: certum enim est ad motum edendum illam talibus indigere si credendum Philos. lib. de motu animal. & 3. de anima, & Galeno mille in locis: inuenio ego hec varia esse, atque multa. Vnum genus quorum est tenuis substantiæ, & ideo facilè mobile, ac aberrans; alterum satis materiale, & rude.

T.54.

Inter illa, quæ tenui substantia sunt donata, est spiritus animalis omniũ actionum ab anima emanantium accommodatum organum, qui vnà cum facultate facilè partes permeat, subit, & impetum facit: quoniam hic facilè fluit, & refluit imperante appetitu. Spiritum hunc esse necessarium in motu locali faciendo habemus à Gal. 4. de l. aff. vbi de morbo Comitiali. cuius verba. *Est in cerebri ventriculis spiritus animæ primum instrumẽtum, quo sensum, & motum in vniuersas corporis partes transmittit anima.* Attamen multis alijs in locis hac in re fuit dubius, & anceps, ita vt hac in re multi non audeant eius veram sententiam, & germanam pronunciare. interdum enim decernit fluere facultatem motricem per neruos solitariam: interdum aliquo spiritu deuehi: & non raro dubitatiuè & hæsitanter de hac verba facit. lib. 4. de l. aff. legitur vna cum spiritu deferri, & ad omnes partes transmitti, vt partes illæ sensu & motu fungantur. simplicem facultatem distribui non vectore spiritu narratur 1. de l. aff. ita vbi

C.6. de Resolutione. *Ad crura facultas sed citra essentiam fluit, ad oculos verò cum eßentia.* & 1. de symp. Caus. quo in loco sermonem habet de neruis

C.5. foramen habentibus, & de meatu carentibus, ait. *Si verò nullus fuerit meatus, sed vti solis radij per aerem, & aquã pertranseunt, eodem modo fa-*

C.7. *cultas à principio per neruorum corpora permeauerit.* & 1. de l. aff. & alijs multis in locis affirmat fieri facultatis distributionẽ sine spiritu. & lib. de Plac. Hip. quo loco dedita opera omnibus viribus hoc vestigat, semper aliqua cum dubitatione loquitur; etiamsi in fine potius videatur pro firmo

habere

habere simplicem facultatem nullo concurrente spiritu cum omnibus partibus exceptis oculorum neruis, & cauo spinalis medullæ communicari. cuius verba prima patefaciunt ambiguum fuisse dum varia proponit, quæ. *Vtrum igitur quemadmodum in ventriculis cerebri, sic existimandum est in neruis spiritum aliquẽ inesse. & vtrum sit eis quasi intestinus, & cognatus, qui ab eo, qui à principio venit tanquam nuncio quodam pulsatus excitetur. An cognatus sit nullus, sed ex cerebro influat eo tempore, quo mouere partes volumus. ego sanè* (vide Gal. ancipitem) *non possum promptè pronunciare, & obscurè mihi videntur significare, qui secundum virtutem influere quædam secundum substantiam affirmant; nam quæ per inalterationem in continua corpora qualitatum distributione fiunt, virtutis influxus ab ipsis dicuntur. quemadmodum cum in ambiente aere ex solari splendore perfecta quędam qualitas in omnem partem distributa peruenit ipsa solis substantia loco suo permanente.* & subdit. *Vtrum sic virtus ex cerebro influat membris per neruos. An spiritus substantia vsque ad sensibiles, mobilesque partes proficiscente, aut aliquo ad neruos incidente, vt vehementer ipsos alteret, deinde talis alteratio ad membra distribuatur.* Ab his notissimum euadit illum dubium fuisse semper circa hoc. immo subiungit. *Vtrum igitur quemadmodum ad oculos spiritus aliquis per neruos visorios peruenit, ita etiam in alijs omnibus, & quędam via sit inuisibilis ob paruitatem. An hoc esse non possit in fibris neruorum tenuissimis postea concludit non omnibus neruis inesse meatus; obstruerentur enim omni leui de occasione.* Vnde his vltimis verbis videtur affirmare magis fieri facultatis distributionem nullo fluente spiritu, quàm secus. cum respondeat vni tacitæ obiectioni prius ab ipso propositæ ita. *Si omnino vnus neruus membris inferioribus facultatem à principio potest ferre sinus expers, cur igitur & meatus iuxta spinalis medullę processum ita sensibilis est, vt in visorijs neruis? Respondet, an quòd continuitate distributio virtutum redditur imbecillis, & pręsertim cum vel maius, vel durius sit, quod recipit, aut vehementiorem alterationem desiderat: nam si aliqua tenuior substantia incidat cum violentia, & ictu augetur alteratio.* à cuius verbis colligitur spinalem medullam insignitam esse via, & ductu, vt facultas vnà cum spiritu migrãs per meatum illum facilius distribuatur: aliter imbecilla facta, & languida, tardè, & ægrè moueret: omnis enim virtus quantò magis distat à suo principio: tantò minus agit. & sic possumus nos affirmare spiritum animalem esse necessarium ad motum cuiuscunque partis faciendum; sine enim ipso facultas sola ad cauum spinalis perueniens non posset pedes exempli gratia mouere, at cum ipso impetum facit, & per vniuersas corporis partes fluit, & migrat, & hac conditione fortè intelligenda est illa sententia lib. 4. de l. aff. vbi de morbo comitiali, quæ. *Est in cerebri ventriculis spiritus primum animæ instrumentum, quo sensum, & motum per vniuersas partes transmittit anima.*

Nonnulli autem similitudine de radijs solis, atque splendore à Galeno sæpe, & sæpe in medium allata decepti crediderunt ipsum putare motum per illuminationem quandam fieri, atque splendorem à neruis musculis communicatum. ponitur similitudo hæc, atque exemplum 1. de l. aff. sic. C. 7.

I.7. *At quia nerui cognatum sensus, & motus principium non habent; idcirco neruis, per quos hoc ipsis influat, semper indigent, qui illis ea suppeditare possint, quemadmodum Sol omnibus rebus, quas illuminat, splendorem adfert.* Et paulò superiùs. *Veluti lumen à sole iam ostensum est.* quod alijs multis in locis affirmat: sed semper in medium adducit splendorem, atque lumen, tanquam exemplum, non autem, vt credat lumen quoddam deferri à cerebro per neruos, à cuius fulgore illuminentur musculi, & fiat motus. hoc tamen fingit recentior Medicus non contemnendus, quod ante ipsum multi etiam somniauerunt, qui testatur Galenum spiritus animalis meminisse & illustrationis. at ego admiror tanti viri lapsum: quo enim loco sermonē habuit Galenus de illustratione, nisi per viam exempli in medium allati de sole? sed ipse arbitratur, vt superioribus verbis legitur, spiritum animalē neruos illustrare splendore, & non facultatem illam, vt ita dicam immaterialem, per illos distribui nullo concurrente spiritu. At hoc ridiculum: si enim lumen, siue splendor sua præsentia existit motus causa, quomodo potest à cerebro ad digitos pedis vsque peruenire? cum neruis minimè sit insitus, atque proprius: varij nam gyri, flexus, & circumuolutiones sunt à cerebro ad pedes, quibus sine dubio frangitur, & reflectitur lumen, & præcipuè cum incuruantur partes in angulum. vnde duobus ad summum transactis gyris splendor non illuminaret reliquas subditas partes; nec sol hoc efficere potest omnium luminum primum. hoc euadet adapertum, si cum aliquo instrumento inani, & flexuoso, varijs figuris angularibus distincto radios ab vna parte suscipiente periculum faciamus: totum enim non illuminabitur: quoniam lumen, siue radij in angulum franguntur, & reflectuntur. neruos autem varijs circumuolutionibus esse insignitos pro partium diuersitate nemini obscurum maximè si flectantur, sicut etiam notissimum est neruos corpora esse resistentia: non enim aerea existunt, aut spiritus, aut nubis, quibus tamen & radij hebetantur, & franguntur: Præterea vitrum nonne maiorem diaphaneitatem participat, quā nerui? & sol nonne splendidior alio lumine? attamen si arte paretur instrumentum vitreum ligno obductum non flexuosum, nec inane, cuius longitudo non excedat longitudinem humani corporis, & soli opponatur secundum vnum extremorum, vel terminum radij, non peruenient ad alterum extremorum. & perueniet lumen spiritus animalis à summo cerebro ad imos pedes? dicamus igitur illuminatione non fieri, vel illustratione, aut irradiatione, ut multi somniant, sed simplicis facultatis distributione nullo fluente corpore, sicuti 7. de Plac. Hip. & Plat. demonstratur; nisi ad oculos, & ad cauum spinalis medullę. nec est hoc me iudice mirum: si.n. Magnes, mirabilis ille lapis, omnibus notissimus uitreo vase inclusus, aut ligneo ad se rapit, & trahit ferrum nullo egrediente ab ipso aut calore, aut spiritu, si oculi cæteriq; sensus nos non decipiunt; quantò magis poterit anima suis potentijs non vectore spiritu ad partes distributis musculos mouere? adinueniuntur tamen multi Celebres Viri, atque insignes Scriptores, qui affirmant spiritum cum facultate per ductus sensum fugientes ad omnes partes peruenire: sed horum sententia Galeni dictis omnino aduersatur, atque repugnat, vt superioribus iam narrauimus verbis.

Multa

Multa enumerantur instrumenta rudia, & materialia, inter quæ Musculum esse proprium motus voluntarij organum asseritur, cuius triplicem esse structuram narratur. Cap. III.

RVdiora instrumenta motui à natura destinata varia existunt, de quibus mentionem facit Galenus multis in locis. Omnia tamen ferè in medium affert lib. 5. aph. dicēs. *Partes, à quibus motus perficiuntur voluntarij, sunt, nerui, ligamenta, musculi, & tendines,* nullam autē de carne mētionem fecit; sub nomine enim musculi continetur: concurrunt tandem, & Ossa tanquàm mobilia. Hæc omnia necessaria censentur ab omnibus ad motum animalem progressiuum: attamen ad multa motus genere efficienda non semper hæc requiruntur simul, excepto musculo: impossibile est enim, vt 2. de vsu part. scribitur fieri voluntarium motum sine musculo. et si cum musculo; ergo semper & cum neruo; at non semper necessarium est ligamentum, sicuti nec tendo, est autem, ne deceptio contingat, animaduertendum seniores Medicos neruos interdum tendines appellasse, & tendines, & ligamenta neruos, & ab Hippocrate etiam lib. de Ossium natura, & lib. de Articulis confusè vtente his nominibus vocari. quapropter partes musculos componentes erunt mentis acie considerandæ, atque animaduertendæ. C. 15.

Esse Musculum instrumentum motus voluntarij; & ad hunc obeūdum necessarium, reliquit scriptum lib. de l. aff. sic Gal. *Omnis ab impetu prodiēs motus ad musculorum officium pertinet.* & subdit, *per Musculos omnes à consilio, & voluntate prodeuntes motus perficiunt* & ideo 1. de motu musc. & 12. de vsu p. Musculum esse proprium motus instrumentum affirmat, quod sæpe vocat animale organum, & voluntarium, quod multi mouens corporeum, & imperatum dicunt. Est musculus instrumentum motui voluntario destinatum ex neruo, carne, & ligamento conflatum tendine pręditum: silentio inuoluo arterias, & venas; hæ enim ad vitam, & alimentum ei à natura sunt tributæ, sicut etiam inuolucrum ad eius tutelam fabricatum. & hæc est musculi nobilioris, & quò ad compositionem, & quò ad actionem robustiorem descriptio: non enim semper illa omnia cuiuscumque musculi structuram ingrediuntur. & ideo censeo ego triplicem musculorum adinueniri fabricam, & ex consequenti erunt etiam illorum, quò ad componentia tres descriptiones. C. 6.

Prima musculorum constitutio est ex neruo, & carne, hanc cognouit peroptimè Gal. com. 3. de Art. quo loco inquit. *Partes, quibus vniuersa musculorum substantia constat, carnes sunt, idque sæpissimè in musculorum dissectione intuiti estis, cum ostenderem duo esse elementa sensu percepta, quibus illi constituuntur, nempe fibras neruosas, qui extrinsecus caro accrescit.* quam compositionem fortè desumpsit ab Archigene ipso referente 2. de l. aff. cuius verba *Musculi carnis, neruorumque mixtura tanquàm propria substantia,* & lib. de Medica Arte. *Sunt Musculi qui omnia ambiunt Ossa, carnes quædam composite ex prima, & simplici carne, & filis, quibus* C. 8. 16. C. 7. C. 5.

inua-

innaſcuntur. Sed hoc adapertiùs litteris prodidit 1. de vſu par. vbi de manu dicens: *Quoniam abſurdum erat apprehenſorium organum inſenſibili tegi particula, neruorum ad totas manus deſuper uenientium nō paruam portionem in carnes ipſas natura deriuauit, quod factum illico conſequitur, vt carnes ipſæ fiant muſculi: ſi demum neruis per carnes diſſeminatis generatio fit muſculorum, & abuſa eſt ſanè his muſculis natura vtiliter*. Omnibus autem certiſſimum eſt neruos ſinceros, & ſimplices ad manum deferri; cum tali in parte exquiſitus ſenſus tactus eluceat. cognouit hoc genus muſculorum etiam Plato in Timæo, dum inquit. *Neruorum, carniſque genus effinxit, ut neruis intentis, atque remiſſis corpus vniuerſum ad flexionem, & tenſionem promptum, & agile redderet*. ſed, vt veritas magis pateat, ante oculos ponam aliquorum muſculorum ex carne tantùm, & neruo exempla. ſunt in horum numero muſculi frontis, aliqui labiorum, qui oriuntur à carne malæ, Buccinator, qui à gingiuis ortum trahit, & præterea veſicæ. quis enim anatomicorum dixit frontis muſculos ex ligamēto vnà cum carne, & neruo componi? à quo enim oſſe oriuntur illa, & in quod deſinunt? quæ ligamenta in gingiuis? & quæ in muſculo veſicæ? attamen hi muſculi ab omnibus appellantur, cum pro voluntatis imperio motum edant. Ex neruo igitur, & carne nonnulli muſculi componuntur robur ſæpe non exiguum afferentes illis membranæ. A neruis per carnem diſſeminatis facultas non ſolùm defertur; ſed ab ipſorum tenuibus fibris contractis excitatur motus; cum enim ad carnes perueniunt, ſcinduntur multipliciter in varias ſectiones, vt 1. de motu muſ. Caro autem, vt ſcribitur 12. de vſu par. maximam

C.3. illis affert vtilitatem, ne frangantur, & diuellantur: verba ſunt hæc. *Verùm ſi id feciſset natura ſolùm, neque ſpatia inter ipſas fibras ſubſtantia molli, (quæ inſtar ſtębes cuiuſdam, & ſedis firma, & tuta eſſet futura) oppleuiſſet, ne temporis quidem momento ſeruari potuiſſent, quin cōtunderentur, & rumperentur*. ab his manifeſtum euadit carnem non eſſe neceſſariam ad motum, ſed tantùm aliquas præſtare vtilitates.

S. Comp. Aliquando natura ſecundum motus, vel mobilis indigētiam addit neruis, & carni ligamentum: vt robur addant neruis: *Hi enim propter eorum mollitiem onera quędam, vt oſſa, transferre non poſſunt*. & hæc eſt muſculorum ſecunda compoſitio, atque ſtructura; eſt tamen neceſſe in hac, vt nerui, & ligamenta commiſceantur. atqui nihil per totum cum alio poteſt cōmiſceri Galeno docente, niſi prius in partes exiguas comminutum, vtrumque igitur in fibras tenues diuidere fuit neceſſe. tale genus muſculorum inuenitur in lingua; ibi enim carnem, ligamentum, & neruum reperies, tendinem tamen nullum. tales ſunt etiam muſculi, qui mouent partem in gyrum, vt 15. de vſu par. ita. *Qui verò muſculi totis ſuis corporibus circa quippiam obuoluuntur, circularem potiùs efficiunt motum, quàm ſecus*: At ſine ligamento muſculos tali motu mouere impoſſibile; dilacerarentur. n. nerui ob mollitiem: à ligamentis itaque robur ſuſcipiunt nerui, & ab ipſis hebetatur eorum ſenſus, qui dolore excruciarentur ob contactum alicuius partis duræ, & ſolidæ.

Vltima muſculorum ſtructura non tantùm continet neruos, carnem, & ligamentum, ſed tendine etiam exornatur: cæteris alijs nobilior & natu-

ræ opi-

ræ opificio,& nobilitate actionis.vnde si recta mente obseruamus Gal. dicta, quæ 12. de vsu par. leguntur 2. de l.aff.& 1. de motu mus. dum musculi omnes partes,& fabricam ante oculos nobis ponit,affirmabimus de musculo tendine prædito,& osse mouente sermonem habuisse,quasi paruifaciens alia musculorũ genera, vt hoc imperfectiora. quod patefacit his verbis eodem lib. de vsu par. *Tendo est primum motus instrumentum, musculus verò ad constituendum ipsum fuit comparatus*, quod tamen est falsum: nam inueniuntur ipso docente multi musculi tendine priuati, quod non esset, si ob tendinis constitutionem ipsi essent comparati: sicut etiam absurdum est affirmare tendinem esse semper primum motus instrumẽtum, nec fieri interdum solùm a neruo, & ligamento: sed hæc omnia pronunciat,quia his in locis totam mentem direxit ad illos musculos, qui tendine sunt insigniti; ab his enim,vt plurimum robusta, valida & non rarò celer suscitatur actio,sed præcipuè ad mouendum progressiuo motu,& ad artus transferendos tales musculi necessarij existunt; motus enim secundum locum à multis solùm vocatur motus, cæteri autem, etiamsi reuera sint motus,imperfecti videntur. Est musculus igitur motus voluntarij organum ex neruoso genere, & carne conflatum. cuius tres existunt partes, vt 1. de motu mus. *Principium s. quod caput vocant magis neruosum, medium ventres dicunt carnosiora, & finis neruosior apparet*. At hæc non semper, perpetuòque vera existunt;quoniam extremitates musculorum temporalium sunt carnosiores, & medium neruosius. sicut ij. de vsu pa. non rarò autem Gal. in his locis,dum de musculis,& tendinibus aliquid narrat, supponit illa vera esse vt plurimum,at non semper,& omnino.

C. 3.

C. 3.

C. 5.

Mouent musculi mobilia,quando contrahuntur in seipsos. contractione fieri motum cognouit Arist. lib. de motu animalium, etiamsi de musculis nec verbum quidem. modum,quo contrahuntur,notum fecit Gal. 5. de vsu p. 1. de motu musc. & de fract. dicens *Omnium musculorum hoc commune, vt tensis fibris in seipsis considèant, & contrahantur*. immo, vt vigorosior, & valentior erumpat in actum motus, loquor pro conditione partis, semper festinantur in extremam contractionem, nisi impediantur ab oppositis musculis in contrarium trahentibus,& qui ossa mouent,tantùm in profundum & latitudinem augentur,quantum de longitudine deperdũt. sicuti 2. de motu mus. legitur,& alijs in locis. quod est rationi consonum. quãto enim maius,aut grauius est mobile:tantò vigorosius debet esse mouens:at vigorosior est musculus ad motum obeundum, quanto magis incuruatur;magis enim contrahitur, ad maiorem autem contractionem maior fit partium raptus: certum enim est ad musculorũ contractionem rapi partes,quibus nectuntur, & in quas desinunt, retrahuntur autem versus illas,quibus innascuntur, sicut 3. de l. aff. & ideo semper trahunt ad illam partem mobile,in qua inseruntur,vt ij. de vsu par. Omnes itaque ferè musculi,qui in membris sunt,dum agunt,conuexi fiunt;solis his exceptis, qui in thorace,aut epigastrio sunt, intro enim compelluntur: spatia enim his tantummodo subiecta laxa, & cedentia habent, vt 2. de M. mus. scribitur. contrahuntur autem in vnum ad originem tamen semper aut collectis, aut tensis,aut contractis fibris,ad quarum motum fiunt breuiores, & con-

Com. 1.

C. 6.

sequentes

sequenter partes, in quibus desinunt, mouentur attractæ, vel raptæ ab illis ob continuitatem, atque nexum earum cum illis.

At non solùm est musculi munus in se contrahi, sed etiam quoquomodo extendi sed per accidens, dum enim curuantur, & in seipsos coeunt, flectunt partes; cum laxantur, & exporrigantur à proprio motu cessantes, extenditur pars, sicut in brachio, & omnibus artubus: accidit tamen musculis, qui sunt in abdomine, diuersum quoddam ab ijs; illi enim cũ ad principium retrahuntur, curuantur, isti verò dum curuantur, laxantur, vt 1. de motus musc. præterea affirmandum est contractionem esse musculi propriũ munus ab anima pendens, & extensionem esse ab opposito musculo in cõ-
C.4. trarium trahente, & ideo 1. musc. legitur *nullam particulam vnico moueri musculo; sed veluti à quibusdam habenis in contrarium pars distracta, vicissim habet alterum ipsorum intensum, & alterum laxatum. intensus musculus trahit ad se, laxatus trahitur cum particula, & propter hoc mouẽtur ambo in vtroque motu. operatur quidem trahens ad seipsum particulam, quæ mouetur, non operatur autem, cum in contrarium locum ab alio musculo abducitur*. Quatenus igitur laxatus trahitur cum particula mouetur ad motũ particulæ per accidens, extenditur tamen pars per se à musculo contrahente in oppositum. & ideo c. 5. hæc. Pespicuum est, quòd tensio, & in seipsos contractio est propria musculi actio, extensio autem, & laxatio oppositorũ musculorum intensorum, & ad seipsos trahentium. Si enim totum musculum per tranuersum scindere velis, siue in animali mortuo, siue adhuc viuente partem aliam sursum, aliam deorsum ferri euidenter videbis ad suũ terminum vtramque tractam; quò manifestum est omnem eius particulam connatum habere motum. Quapropter statuitur c. 9. nullam particulam ad mouendum vnico vti musculo. cuius verba. *Ideoque nulla particula, quæ mouetur, vnico vtitur musculo: sed si quidem desuper aliquis innascatur, omnino alius parti inferiori contra innascitur, & si ex dextris omnino*
C.8. *alius ex sinistris*. Causam affert in medium Magister lib. 12. de vsu par. dicens. Si natura enim talem modum, & ordinem non seruasset, claudicare motum erat necesse, aut funditus aboleri. nam si aliquis musculũ extendentem discindat, euestigio flectitur pars semper in eodem permanens statu, extendi enim de nouo impossibile.

Ad hæc est quoque sciendum musculos inter se mutuam societatem, atque continuitatem habere, & tenuibus filamentis inuicem cohærere. imò interdum duo musculi sunt ita coaliti, vt vnus videantur, vt in digitis: hęc
C.22. lib. de Dissec. Musc. sequuntur musculi omnes figuram, ac magnitudinem ossis, cui inhærent, sicuti 5. de Anat. Admi. Quorum numerus augetur pro
ij. de vsu. c.2. natura partis mobilis, vt 6. de Anat. Admi. est admiratione dignum re vera videre in animal tot genera motuum, qui existunt inter se pugnantes, atque contrarij, qui tamen ab vnica tantum specie motus suscitantur. s. originem versus musculorum contractione, qui pro diuersitate situs. positionis, insertionis, & figuræ varios, & multiformes edunt motus; omnium horum ferè meminit Gal. lib. de motu musc. & de vsu partium.

Par-

Partem præcipuam, siue principem in musculo esse neruum, & non carnem, vel ligamentum. Cap. IIII.

ORganum adæquatum voluntarij motus esse musculum, vel aliud musculi naturam habens ab omnibus, & maximè ab illis, qui Gale. placita sequuntur, pro confesso habetur. at non satis est hoc cognouisse, sed ingenij acie opus est adinuenire illam partem, quæ in ipso princeps, & præcipua existit, quæ motus iubente anima sit effectiua: quoniam aliqui ligamentum; aliqui carnem, pauci autem neruũ esse dixerunt. in omni autem organo, siue instrumento, quod varijs constructum sit partibus, si acquiescere debemus Gal. placitis, atque rationi, semper adinuenitur vna pars, à qua principaliter, ac primo pendet talis actio, cui principi cæteræ deseruiunt, & famulantur. Componitur musculus perfectior, vt est instrumentum voluntarij motus, ex tribus substantijs diuersis, videlicet carne, neruo, & ligamento, sicut legitur 12. de vsu p. & lib. 1. de motu musc. C. 1. & 2. arteriæ. n. & venæ sunt ad vitam, & nutritionem à natura ipsis tributæ. Est tamen memoria custodiendum, vt iam narrauimus, non omnes musculos ex his tribus conflari, præcipuè si mobile sit leue, paruum, & ossis expers, veluti patefaciam legentibus: Gal. autem libris iam citatis descripsit musculum perfectissimè à natura fabricatum, tales extant, qui ex tribus substantijs componuntur. Sed ad id, vnde digressi sumus. Constituunt itaq; musculum nobiliorem neruus, caro, & ligamentum, minus perfectos neruus, & caro; inter quæ componentia arbitror ego, vt ratio, & variæ Gale. sententiæ mihi suadent, potissimam partem esse neruum, cæteras autem ad meliorem vsum, & vtilitatem à natura fuisse fabrefactas.

Illam credendum est existere præcipuam partem in musculo mouendo, cui maior est aptitudo ad motum; omnes enim peroptimè sciunt partem non mouere, sed animam; nam instrumenta mouent, quia ab illa mouentur, vt superiori sermone narrauimus, & hoc nos docuit Gale. his verbis. *Facultas animalis festinat musculum ad proprium principium trahere. vnde anima manui mouenti correspondet.* 1 de mot. musc. & 2. C. 5. Sed quæ est maior aptitudo, quam nerui facta comparatione cum carne, & ligamento? hic. n. facilè contrahitur, & laxatur, nec facilè disrumpitur: quoniam villi ipsum componentes secundum longitudinem collocantur, vt qui habebant ad se rapere, & trahere partes. hæc ille respiciens eodem libro pronunciauit neruum decoratum esse duobus nominibus ab eius operatione desumptis, quæ significant tendere, & flectere. hanc aptitudinem esse necessariam non tantùm cognouit Gal. sed etiam Arist. lib. 3. de Hist. animal. cuius verba. C. 5. *Nerui natura fissilis secundum longitudinem tendit, scindi per latitudinem non potest, & intendi vehementer idonea est.* & hoc in capite verba facit de neruis à corde obortis, & non de ligamentis. & 3. de par. animal. C. 4. *copia neruorum in corde est, hinc motus oriuntur, qui intẽdendo, & remittendo efficiuntur.* & c. 3. (hæc benè considerentur) *constat gula ex neruo, & carne, ex neruo, vt extendi possit, ex carne, vt mollis, & cedat.* & ligamẽto & caret. à cuius verbis cognoscitur neruos esse natura extensibiles, & ad contractionem aptos. & 5. de Gen. animal.

mal. decreuit in neruis vires omnes contineri, vnde Philoponus in Com.
affirmat motum fieri neruorum officio. & Plato in Timæo, *Neruorum*
carnisque genus effinxit, vt neruis intentis, atque remissis corpus vniuersum
ad flexionem, & tensionem promptum, ac agile redderet. Et Hip. lib. de
Ossium natura. *Flexionem, contractionem, & distentionem præstant ner-*
ui. & Crysippus lib. de Affectibus: *robur, & imbecillitas in neruis*. & Alex.
Aph. insignis Peripateticus lib. 1. de anima cap. vltimo sic. *id verò, quod*
agilitati, & motui ministerium exhibet, in neruos, & musculos diffunditur,
partium, membrorumque motio gignitur. Præterea instrumenta deseruien-
tia alicui potentiæ debent originem ducere ab illa parte, à qua emanat ta-
lis facultas, quod nos docet Gale. cum orationem habet de venis, & arte-
rijs. neruos primordia ducere à cerebro notissimum, qui postea huc, & il-
luc diffunduntur, & deriuantur & maiores, & minores pro actionum di-
uersitate. Adde partes animali necessarias, quæ & sensui tactui, & motui
deseruiunt, ex semine necessariò à primordijs generationis fuisse obortas,
& non ex sanguine, aut ab osse genitas. Insuper & quibus conuenit motus
præter naturam, vt conuulsio, & his & secundum naturam, tales autem
partes extant nerui. At si volumus Galeni Præceptoris dictis fidem præsta-
re, nullus dubitandi manebit locus. apponamus igitur verba eius verita-
tis plena, & scitu non indigna, quæ nobis tradidit 7. de Plac. Hip. & Plat.
C.6. quo loco duas differentias neruorum esse decreuit, Sensorios, & Moto-
rios. sic. *Illi sensifici propriè vocantur, qui ad instrumenta sensuum mittun-*
tur molliores illis, qui membra mouent, quod ipsum etiam sapienter à natu-
ra prouisum est; sensus quippe, nisi neruus afficiatur, fieri non potest: motus
verò in efficiendo tantùm consistit, (nota causam diuersitatis) atque idcirco
ille mollior, & hic durior, qui motionem pręstat. Ad quid quæso durities il-
la, si tantùm delatores essent nerui? & ad quid verba illa, motus in effi-
ciendo, & in actione consistit? & ideo duri, & 16. de vsu partium, *ad*
motum duros, vt valentius agerent, molles ad sensum, vt paterentur.
C.1. Clariora cupiuntur? vt valentius agerent, & 12. de Vsu part. varia, & præ-
clara leguntur, quæ. *Neruus mollitiem habet, & imbecillior est, vt totos*
artus mouere, & transferre queat. Et subdit. *Natura neruis solis vti non*
poterat, vt qui propter mollitiem tanta onera transferre nequeat. Quæ ma-
nifestò demonstrant neruos esse natura motorios, sed non vt totos artus,
& onera magna mouere possint; quapropter non aufert motum à neruis,
sed talem motum, & ideo diligentissimus Gal. subiungit, vt dubitandi an-
sam, ab animo pertinaci deleret, hæc. *Cum igitur neruum, & ligamento*
reperies (vt in tendine) Neruum, vt principium motus præbeat, ligamen-
tum verò, quod robur ad ea, quæ à neruis mouentur, gestanda suppeditet.
Seruentur hæc memoria. Quæ à neruis mouentur. Ridiculum, (vt ingenuè
fatear) est, quod à multis, qui Galeni fontes non delibauerunt, pronuncia-
tur, videlicet neruos esse motus principium, vt deferunt facultatem motri-
cem; dicant mihi isti, in tendine quodnam esset motorium, si neruus de-
fert, procul omni dubio de necessitate ligamentum, sed hoc ad robur, & nō
ad mouendum, vt in textu patet: erit igitur neruus; cum tendo non con-
stet nisi ex ligamento, & neruo, & ideo leguntur 1. de Vsu part. hæc. *Ten-*

dines

dines mouentur, & moueri habent à neruis. Et cum vestigat modum, quo mouentur musculi, vel partes mouentes, affirmat fibras neruorum per musculos dispersas esse mouentes, quod tradidit lib. de Plenit. ita: *Neruorum fibræ per musculum dispersæ primæ sunt, quæ mouent, dum enim à facultate animæ tenduntur, & contrahuntur, totus contrahitur musculus, ad cuius contractionem mouetur pars, quam animalia cupiunt*. Nec omittenda sunt illa, quæ scribuntur 9. de Vsu part. quæ. *Nerui, qui omnino sunt molles, hoc tibi persuade nullam prorsus ad motum habere facultatem, qui verò minus molles motorios esse, sed multum à durorum actione relinqui, & concludit non posse esse motorios, si sicciores, & duriores euadant*. Mille re vera in locis affirmauit neruos mouere, vt 16. de Vsu part. vbi de musculis brachium mouentibus, & scapulam, & vbi de lingua hæc. *Natura linguæ duo genera neruorum tribuit, alterum molle, quo sapores esset iudicatura; alterum verum durum, quæ motus varios, & multos esset factura*. Et postea. *Nihil igitur ne horum quidem à natura frustra factum fuit, neq: sine causa neruus quidem linguæ motores tenuiores, corpulentiores autem oculorum effecit, quanquàm minores hi musculos mouerent: illi enim robur ex duritie habent satis magnum: hi autem nisi à magnitudine iuuarentur, mouere propter mollitiem omnino non possent*. Hæc, vt vulgari loquar modo, ora loquaciũ omnino claudunt. Et 16. de Vsu part. vbi de musculis collum, & caput mouentibus. Et vt finiã alijs sententijs silentio obuolutis, in medium afferam illa, quæ narrantur 7. de Vsu part. vbi de neruis reuersiuis, sic. *Vbi à neruis in prædictos musculos insertis, quasi à manibus quibusdam singuli hi sex musculi deorsum trahuntur*. Et cap. 15. *Cum verò post flexionem vehementer attolluntur, magnus neruus veluti manum quandam propaginem suam porrigens sese per illam trahit sursum, & in sublime tollit*. Et hæc satis, ne in re tam leui, & adaperta amplius laborem.

C.5. C.13. C.14.

Varia fidem faciunt, & demonstrant ligamenta non esse partem principem musculi: nam dura, & difficulter mobilia, & ideo aptitudinem non habent ad contractionem, & extensionem. Adde carere sensu, & originem à cerebro non trahere, argumentũ validũ à Gal. adductum 12. de Vsu par. sic. *Ligamentum motorium instrumentum non poterat esse; cum non ex principio animal mouente, quomodo nerui, sed ex osse initium ducat. Ob has igitur causas natura non potuit solis ad motus voluntarios vti ligamentis; quòd sensum non habent, nec cerebro sunt deuincta*. Non est tamen negandum ligamenta ad meliorem vsum, & ad robur in parte mouenda vtilia esse, ne dicam necessaria, hoc legitur in limine dicti libri ita. *Quod autem nec ligamentum quidem vsu careat, sed etsi ad motus generationem non sit necessarium, conferat tamen ad rectè mouendum, de eo prius quoque docuimus. Robur itaque ad ea, quæ à neruis mouentur, gestanda suppeditat*. Ad hæc si ligamentum esset potissimum motorium; nõ fieret partium motus, vbi non adinueniretur ligamentum]: sed multæ inueniuntur partes ligamento priuatæ mouentes, vt labia, & frons, & aliæ, ergo absurdum est imaginatione concipere ligamentum esse partem principalem motus.

Ligamẽta non esse. C.2. 1. de motu Musc.

Nec est minus à ratione alienum decernere, & arbitrari hoc munere fungi carnem: quoniam careat habilitate illa, qua partes extendi, & contrahi

Carnem non esse.

trahi possunt: si enim extendatur vndique, vt oculis videre licet, frāgitur,
C.16. atque diuellitur, vnde Arist. 3. de Hist. animal. *Caro diuisibilis vndique, nec neruorum more in longum secari idonea.* Præterea nonne omnes concedunt musculum mouere ad fibrarum contractionem? quod sæpe pronun-
C.8. ciauit Gal. & maxime 3. de Natural. facult. his verbis. *In musculis dum fibra intenditur, & ad principium retrahitur, motus oritur, qui variatur secundum fibrarum positionem.* Sed fortè aliquis audaci pertinacia impulsus affirmabit fibras illas ex carne, & neruo esse constructas: quod ridiculum esset, cum quotidianæ humani corporis dissectiones hoc non demon-
Com. 8. strent, & ideo statuit com. 3. de Arti. carnem non ingredi fibrarum compositionem, sed illis adhærere, cuius verba. *Duo sunt elementa, quibus mu-*
1. de fract. *sculi constituuntur, fibræ neruosæ, ac caro, quibus extrinsecùs accrescit.* Cuius
Com. 12. vsum, & vtilitatem narrat 12. de Vsu part. sic. *Replet caro spatia illa inter fi-*
1. de fract. *bras media, quæ instar stabes cuiusdam, vt sedes firma esset futura, natura*
Com. 12. *oppleuit, ne temporis quidem momētum seruari potuissent (nerui. s.) ne contunderentur, & rumperentur.* Et Plato in Timæo affirmauit esse *propugnaculum, & tegmen aduersus æstus, frigora, & lapsus instar rerum pilo, lanaue coagmentatarum: quippe quæ corporibus molliter, leniterque cedat.* Hæ itaque sunt carnis vtilitates, & vsus, si credere volumus & rationi, & Gal. sententijs. Attamen aliqui adinueniuntur ita opinione propria decepti, vt audeant pronunciare Arist. Platonem, Hip. & Gal. tali fuisse sententia. dicant mihi quæso, quo in loco Arist. quo Plato, quo Hip. & quo Gal. nisi dicant illam per accidens motum edere, quia adhæret fibris neruosis mouentibus, & sic carnem esse motoriū, vel potius mobile, si benè verba Gal. considerauerint, & ideo sileant, qui asserunt carnem fibrosam esse motorium; qui dicit enim fibrosam carnem, dicit duo, & carnem, & fibram, è quibus vnum tantùm principale erit, alterum autem aut custodiens, aut
Com. 1. coadiuuans, quæ caro existit. Non pauci ab Hipp. sententia ducti credide-
Tex. 12. runt tamen partem principalem illam esse, nam lib. de fract. musculum
68. appellant carnem. Huic obiectioni respondet Gal. loquutum fuisse secundum communem consuetudinem. Vel dicendum venit illos tali nomine vocasse à maiori quantitate componentis: caro enim neruis copiosior. Vel à colore; primo enim intuitu visus musculi corpus iudicat esse carnem, & potissimum medium: extrema enim neruosa, & potius albicantia cer-
C.6. nuntur. Et parui mea refert Gal. decreuisse 2. Meth. & lib. de vsu p. à similaribus omnes actiones prouenire, & in vnoquoque instrumento aliquam esse partem, cui nulla alia est similis; talibus enim in locis de partibus aliquid transmutantibus, vel sensui destinatis verba facit, & non de motu; quod reliquit nobis scriptū Arist. 2. de partibus animal. c. 10. sic. *Sensus per elementa simplicia, motus per multiformia.* Quid enim in manu reperitur quò ad partium eam integrantium naturam, quod non in alijs, nisi figura conformatio, & numerus musculorum, & ossium varius, à quibus omnibus in vnum coeuntibus fit apprehensio, quæ est totius manus actio vt Galenus.

Nerui igitur, vt redeam ad id, quod ab initio proposui, sunt partes mouentes omnibus in musculis. Sed non leue emergit dubium aduersus iam dicta.

dicta: nam legitur 7.de Plac.3.de loc. aff. Facultatem à cerebro per neruos deferri, sic 1.de Vsu part. quod confirmatur 1. de motu Musc. dum neruos appellat viam virtutis à cerebro pendentis. quapropter multi pro firmo habent neruos esse solùm delatores, & non motores. Sed longè à veritate aberrant; vt abundè demonstrauimus: vnde concedimus etiam nos, neruos deferre facultatem, sed etiam agere, & mouere, & delatores esse, & vias antequàm perueniant ad partes mobiles, sed cum iam ingrediuntur in musculi compositionem, esse agentes, & motores. exemplo sint nobis sensorij nerui, quibus conuenit sensus tactus; nullus enim neruus sine sensu teste Gal. multis in locis, attamen hi & deferunt facultatem, & sentiunt. C.6. C.3.

Sed instant multi aduersus sententiam nostram iam allatam de præcipua musculi parte dicentes hoc sequi inconueniens, scilicet neruum esse nõ tantùm sensus, sed etiam motus instrumentum: quod rationi aduersatur; variæ enim actiones varia expostulant instrumenta: & varias esse sentire, & mouere nemini obscurum. Sed hæc obiectio parui est momenti: nam non sunt ijdem nerui, sed diuersi secundum mollitiem, & duritiem, nam sensus molles requirit, & motus duros, at sola durities sufficit ad aptitudinem inducendam neruis, vt moueant. Ignorãt fortè hi non semper actionem immediatè pendere à temperamento, sed interdum à consequẽtibus temperamentum, vt 1.de Vsu part. & hæc sunt verba. *Magna ex parte per propriam substantiam inuenies, per quod actionem nactum fuerit; aliquando autem etiam ob aliquod ex consequentibus, quemadmodum in oculis propter colorem (.i. diaphaneitatem) & os propter duritiem.* Et postea narrat de his, quæ necessariò accidunt. à consequentibus igitur suscitantur actiones, & non semper à temperamento, & potissimùm quædam functiones, quæ non transmutant, aut aliquid de nouo generant, immo quidquid actionis nerui habent ablata aptitudine, ab alia parte habent: mouent fortè principaliter ob eorum duritiem? minimè, sed propter facultatis à cerebro ad ipsos influxum, durities autem efficit illos aptos ad motum, sicut mollities redderet ineptos; illa enim esset in causa, vt dirumperentur, si mouere tentarent aliquam partem, sicuti iam superius allata manifestum faciunt. Præterea memoria non custodiunt neruos à cerebro non differre secundum substantiam, & essentiam, sed duritie tantùm, attamen illud varias omnino edit operationes, atque diuersas ab illis. Esse eiusdem naturæ reliquit posteritati scriptum Gal.7.de Pla.ita. *At nerũm eamdem cum cerebro substantiam habere constat, nisi quòd quatenus compactiori materia constitutus est, ne facilè à quolibet pateretur, eatenus cerebri auxilio assiduo indiget: nam si talis, quale cerebrum prorsus remansisset, nulla eius ope indiguisset.* Et 8. de Vsu part. hæc. *Igitur nerui omnes consistentia cerebro sunt duriores, non quòd ex alio quopiam substantiæ genere sint, ac omnino discrepante, sed quòd eandem quidem cum cerebro naturam habent, siccitate tamen & densitate ab ipso dissideant.* Ab his patet solam duritiem vnius, & eiusdem substantiæ esse in causa diuersitatis actionis. Et parui mea refert, si aliqua in parte reperiantur nerui duri, & non moueant: solitarij enim motum raro edunt, frangerentur enim & diuellerentur; semper verò cum sociam carnem habent, aut ligamentum, quod illis præstat robur, & tu- C.9. C.5. C.6.

& tutelam imperante voluntate mouent. Natura eos impartiuit maiores, & minores pro magnitudine partis, actionis dignitate, motus intensione, & remissione, vsus assiduitate, & intermissione æstimata ad vnguem cuiusque dignitate, vt 5. de Vsu part. non rarò tamen illa prouida, atque prudens deriuat ad aliquam partem multos neruos, qui vicem gerunt in mouendo vnius magni, sicuti 9. de Vsu part. Atque sæpè transmittitur à natura neruulus quidam ad musculi exortum, qui postea fit & crassior, & maior, cum per ipsum diffunditur, vel multum facultatis in ipso continetur, quæ nos docet Gal. 3. de anat. admin. his verbis. *Sed alicubi exiguus neruus non exiguam potestatem habet, exempli gratia, qui musculos magni digiti motores intercurrunt, & qui indicem mouent.* Non est enim eadem ratio neruorum, & arteriarum, quæ pro magnitudinis ratione virtutem habet pulsatricem & maiorem, & minorem, immo interdum nerui, etiamsi moueant, adeo exigui, ac tenues existunt instar aranearum Gal. narrante, vt sensum ferè fallant, atque fugiant, & maximè visum illorum hominum, qui conuicijs quærunt Gal. præclaram famam obscurare, quos & sæpe ob obesitatem corporum incisores latent, qui in macilentis, & excarnibus à lippis etiam cernuntur; vel hoc illis euenit ob paucam in incidendis experientiam corporibus. quamobrem audent ore rotundo affirmare multos esse musculos neruis omnino priuatos, & carnes per facultatis distributionem, & ligamenta mouere partes, quæ tamen facultas ab aliquo neruo tangente carnem, aut ligamentum forinsecus deferatur, vel quadam irradiatione ab ipsis participetur. vnde decepti in grauissimum errorem incidentes varia instrumenta deseruientia motui statuunt; nam interdum tendinem, interdum musculum, interdum carnem, & interdum ligamentum, quod nec rationi est consonum, nec Galen. dictis, cuius vestigia omnino sequi profitentur: quo enim loco litteris prodidit motum suscitari voluntarium sine musculo, & musculum sine neruis reperiri; quo in libro carnem motorium esse principale, & in quo ligamentum irradiatum à facultate? Leuia igitur, & inania hæc omnia reputentur: varia enim essent motus propria instrumenta.

C. 9.

De Musculorum varijs differentijs, & demonstratur ad Galen. mentem non omnes ossa mouentes esse tendine præditos. Cap. V.

CVm differentias multiformes, atque varias multi Gal. scripta imitantes & doctè, & diligenter recensuerint, mihi videtur inutile, & etiam præter rationem in illis iterum enumerandis tempus conterere; nonnullas tamen, quæ magis necessariæ mihi videntur, sicco, vt dicitur, pede in medium afferam. Aliqui enim illorum pro diuersitate fibrarum inter se differunt; nam pro earum varietate, quæ à positione, & situ earum enascitur, actiones eorum diuersæ, atque multæ euadunt, vt 5. de Vsu part. nos docet Gal. qui subiungit. *Sunt quidam musculi, qui fibrarum simplicem naturam habent; nonnulli duplicem, vt pluribus sibi mutuò incumbentibus muscu-*

C. 14.

lis similes esse videantur: quin etiam fibras longitudine inter se contrarias continere, & interdum transuersas, transuersæ vocantur, quæ ad angulum rectum fiunt. Certum autem est, hanc fibrarum multiformem varietatem naturam pro diuersis speciebus motus fabricasse, & ideo musculorum rectorum munus est extendere, ac flectere. obliquorum ad læuam, & ad dexteram circummouere partes. hæc leguntur 15. de Vsu part. vbi verba facit de musculis femur mouentibus. *Recti sanè musculi motum habent simplicem crura ad eas partes secundum rectam lineam trahentes, qui verò totis suis corporibus, aut etiam tendonibus circa quippiam obuoluuntur, circularem potius, quàm rectum efficiunt motum.* A rectis ad suum principium contractis fit extensio, si hi externam partem membri occupauerint: at si externam occupauerint, flexio. à quibus muneribus varia sortiuntur nomina: illi enim extendentes, & isti flectentes dicuntur: non appellantur autem extendentes, quia extendantur, sed quia partem extendunt, dum contrahuntur: satis enim adapertum est musculorum omnium actionem esse contractionem. Recti igitur motum rectum aptant parti, & obliqui obliquum, vt 2. de anat. administ. & si sæpe, & atque sæpe ex duobus motibus obliquis fit vnus rectus, vt in manu, & carpo docente Galeno. sed quando præstat ex duobus obliquis rectum fieri tradidit 12. de vsu par. dicens. *Quando obliqui à rectis parùm differunt, tunc ex duobus obliquis fit rectus, sed non est hoc melius efficere, cum partem longiùs oportet in vtramque partem abducere; tunc enim motum rectum validum esse, & fortem est melius: at fieri non potest, vt motus duo obliqui à recto deflectentes fortem motum rectum efficiant.* Sunt musculi vt plurimum recti, vt eodem libro scribitur sic. *Musculi habent fibras pro maiori parte secundum longitudinem exporrectas, obliquas, & transuersas raro.* C.17

Musculorum præterea aliqui insigniti sunt tendine, & aliqui omnino priuati, & qui tendine sunt exornati, aliqui in vnum desinunt, & aliqui in multos, hæc habemus 1. de Anat. Ad. & 1. de Motu Mus. C.3.

Sunt etiam aliqui, qui desinunt in membranas carnosas, sicuti lib. iam dicto, & nonnulli ceu membranarum tenues, latique sunt, quales in femorum terminis, vt 3. de Comp. Med. per genera. inuenit etiam Musculum tenuem, & membranosum costis omnibus incumbentem, & expansum super vniuersam ilium cutim.

Differunt etiam musculi inter se neruorum peruenientium ad ipsos participatione, quod à natura summa cum prudétia, ac prouidentia actū fuit: *Ipsa. n. musculis neruos maiores, et minores impartiuit pro corporea mole, actionis dignitate, motus intensione, & remissione, vsus assiduitate, aut intermissione æstimata ad vnguem cuiuscunque dignitate,* vt 5. de vsu p. à quibus verbis impulsus affirmarem ego precipuam differentiam musculorum desumendam esse à magnitudine, & paruitate neruorum: ab his enim omnis motus dependet, & suscitatur. inueniuntur quoque musculi nonnulli, qui seipsos mouent, & alij, qui aliud à se mouent: hanc differentiam reliquit scriptam Galenus lib. 1. de motu Mus. ita. *In summa de omnibus musculis dicendum, quòd motus voluntarii sunt instrumenta: tùm* C.3.

quan-

quandoque seipsos duntaxat mouent contracti, vt musculi sedis, & visicæ: quandoque verò & cutim ad principium suum dum trahuntur, simul attrahunt, veluti ij, qui in labris, fronte, & in facie sunt.

Denique, vt finem imponam silentio inuolutis differentijs illis, quæ ab exortu, magnitudine, compositione, figura, positione, nexu, & numero desumuntur, tantummodo mentionem faciam de illis, qui tendine sunt exornati, quorum aliqui ossa mouent, aliqui verò aliud quàm os. Mouent aliud quàm os Musculi oculorum, qui membraneis quidem, sed validis aponeurosibus in duram, & neruosam tunicam adiacentem rhagoidi perueniunt. sed circa iam dicta non leuis oboritur contentio. multi enim in corporibus secandis satis exercitati pro firmo habent omnes musculos ossa mouentes non esse tendine præditos, sicuti etiam statuunt Galenum affirmasse ossa non moueri à musculo sine tendine, quod non semper ille concedit. & varia exempla ante oculos legentibus ponunt, quæ tamen ab alijs ingenio, & exercitio non inferioribus illis, falsa omnino, & inania reputantur; cum in corporum dissectionibus aliud omnino diuersum adinuenerunt ab illorum opinione, qui in Galenum aculeos maledicentiæ iniecerunt, immò quod est admiratione dignum; affirmant illos ignorasse numerum, & exortum aliquorum musculorum. quid mirum igitur, si aliquos tendines non cognouerunt? Galenus enim ille naturæ arcanorum scrutator fatetur se per longum temporis spatium non cognouisse musculos flectentes digitorum articulos, & tendones propter eorum exiguitatem, & tandem in eorum cognitionem deuenit. dicamus igitur si Galeno noti fuere musculi illi, & tendones qui omnibus alijs musculis sunt minores, & ferè sensum fugientes: quãtò magis debuit cognoscere cęteros alios, qui maiores sunt illis, statuamus ergo cum ipso omnes Musculos ossa mouentes esse tendine insignitos, & si non omnes, saltem eorum maiorem partem: dico maiorem, quoniam sunt aliqui musculi, qui partes in gyrum
8. mouent, qui tendine carent, etsi ossa moueant. Musculos aliquos tendine priuatos talem edere motum legitur 15. de vsu par. ita. *Sed quoniam femur circumferri, ac circumagi in quibusdam motibus oportebat, Natura vel totum corpus huiusmodi musculorum, aut solos tendones, qui actionem hanc erant obituri, in orbem circumuoluit. recti sanè musculi motum simplicem habent crura ad eam partem secundum rectum trahentes, ad quas ipsorum capita spectant. Qui verò vel totis suis corporibus, aut etiam tendonibus circa quippiam obuoluuntur, potiùs circularem efficiunt motum, quàm rectum.* ab his satis dilucidè patet non omnes musculos ossa mouentes tendine esse insignitos ad Galeni mentem. Præterea vos docuit ille duo genera tendinum adinueniri: aliqui enim satis insignes magnitudine existunt: aliqui verò obscuri, & exigui cuius verba. *Omnes musculi, qui ossa mouent in tẽdones omnino terminantur vel maiores, vel minores.* 1. de Motu Musc.
C. 3. sed 12. de vsu part. dilucidiora leguntur. *Docuimus musculos quosdam in vnum magnum tendinem desinere, alios autem partibus carnosis ad membra peruenire tendonibus multis, & minimis ea mouentes.* clariora ne cupiuntur? cum dicant alios partibus carnosis ad membra peruenire tendonibus multis, ac minimis. & hi sunt in causa, vt calumniatores decipian-

tur in administrationibus: censent enim tales musculos tendine esse priuatos, quod tamen est falsum, vt à verbis doctissimi Galeni habemus; nec valdè mirum, dum detractores partem illam carnosam ad mobile peruenire respiciunt nulla eneruatione apparente. talium dat exempla 1. de motu Mus. sic. *Penis autem, & testium nulla aponeurosi facta carneis ipsorum particulis innascuntur, qui in pharynge, & larynge sunt, quibus obscuræ quædam aponeuroses.* Obscuri quoque sunt illi, qui in manu ad latera, vt 1. de vsu p. ita. *Tendones ad latera in manu obscuri, & vix pro paruitate visibiles.* cum igitur aliqui non videant tendones magnos, & insignes, minimeque carnosos. confestim affirmant tales musculos tendine carere, præcipuè si carnosam portionem sociam illis esse cernant. ignorant forte hi reperiri tendones magnos, paruos, & minimos? & quosdam illorum esse carnosos, & quosdam nerueos, carnisque expertes. vt lib. de Artic. com. 2. & alios partibus carnosis ad membra peruenire. Discant hæc à præceptore Gal. & memoria ab illis seruentur: ne in nouos, & grauissimos errores iterum labantur: Addamus etiam iam dictis, vt omnis deleatur dubitandi ansa, & reprehendendi noua occasio, aliquos esse musculos, qui inseruntur in ossibus omnino tendinum expertes, quod nō est mirum: aliud est enim insertionem habere in ossa, & aliud est ossa mouere: nam multi inseruntur, qui non mouent illa ossa, quibus insertionem habent; sed ab illis alias vtilitates assumunt, quapropter frustra tentant talibus in musculis tendones adinuenire, inter hos sunt abdominis obliqui externi, quos multi descendentes vocant, qui portione carnea in costas nothas, & perfectas aliquas inseruntur: attamen non existunt à natura fabricati, vt illas moueant. Inueniuntur & alij multi, quos breuitati studens, omitto. hæc extant, quæ verissimè patefaciunt Gal. veridicum, & nō mendacem fuisse. ore igitur silenti maneant, qui doctrinam, & anatomicam administrationem in secandis corporibus tanti viri peruertere conantur. non negarem tamen posse aliquid noui fortè adinueniri ab ipso. aut non obseruatum, aut non cognitum, aut dedita opera, vt parui momenti, pretermissum. sed mihi ferè impossibile videtur in dissectionibus illarum partium, de quibus mentionem fecit, deceptum fuisse.

C. 3.

C. 19.

Com. 6.

Diligenter Coniectura tamen artificiosa vestigatur Tendinis necessitas aliquo in motu faciendo. Cap. VII.

INdagandum est etiam ingenij perspicacia hoc scitu dignum, quod est, Cur natura aliquos musculos tendine euidenti, & insigni exornauit: nonnullos minimis, & ferè sensum fugientibus; & aliquos omnino illis priuauit. quod quidem me iudice perarduum, & difficile censetur: vndiq; enim varia succurrunt huius veritatis causam interturbantia; deuenie mus tamen in aliquam huius cognitionem, si magnitudinem, & paruitatem mobilis, si eius grauitatem, & leuitatem, si celeritatem, & tarditatem motus, eius vehementiam, & species, & si denique Naturæ commodiorem, & faciliorem modum in aptando mouentem partem mobili pro earum in-

digentia, & commodo considerabimus: non rarò enim varietates partiũ pariunt inconstantiam & actionis, & positionis musculorum. Tendinem non solùm expostulant mobilia grauia, & magna sed insignem: nam paruus, & imbecillus disrumperetur, vel non moueret, vel ægrè moueret propter improportionem inter mobile, & mouens, & ideo 3. de vsu par. hæc. *Maiores sunt tendones, quantò maiora sunt instrumenta, & minores quantò minora*. Tendo necessarius est ad motum, vt facilius & minori cum labore mouens corporeum, quod est musculus, moueat partem mobilem; tẽdo enim est excarnis, & corporea mole priuatus, & quoquomodo distat à principio motus, quod residet in capite musculi. sed, vt res dilucidior euadat, fingamus hoc exemplum, sit aliquis, qui manu tentet nauim per fluuium transferre, vel fune conuenienti longitudine; facilius, & expeditius mouebit fune, quàm manu, immò nec manibus vix moueret. sicut etiam vnicus homo ligno ingentia marmora è loco trãsferet, atque diuellet, quod manu, tanquam impossibile, non tentaret, harum autem causa petenda est à Mathematico. sic etiam Motus vehementes requirunt tendinem robustum, & validum; nam ab actione tam valida, si tenues, frangerentur. & ideo loco citato hæc tradidit Gal. *Sunt minores Tendines, quantò imbecilliores sunt actiones*. quod etiam legitur 2. de vsu part. quanquam de Musculis sermonem habeat, sic. *Magni musculi actionem vehementem, parui imbecillam; omnibus autem notum est magnos musculos tendine magno esse insignitos. Celeres quoque motus indigent tendine si non valde robusto, saltem euidenti, nisi cum celeritate sit annexa vehementia, quod rarò euenit: requiritur enim in veloci motu mouens agibile, & expeditum; expeditior autem est musculo tendo: nam velocitas ob carnosam eius substantiam, nisi facultas affluens copiosa existat, impeditur & suo pondere, & sua mole, & consequenter & pigrior, & tardior euadit: Motus autem imbecilli, & parui, non celeres, & mobilia parua, & leuia non egent euidenti tendine, nisi coacta sit natura hoc efficere à nexu, & societate partium; nam solus musculus potest talem motum à se edere sine euidenti tendine, immo mouentur nonnullæ partes à musculosa quadam natura*, appellat musculosam naturam Gal. quæ ex neruis tantummodo & carne componitur, vt Cutis frontis, & omnes musculi, qui seipsos mouent: quoniam ad constitutionem musculi absolutè considerati non requiritur ligamentum, vt superius narrauimus. Musculi mouentes ossa motu circulari non egent semper tendine: ossibus enim circumuoluntur secundum omnes partes circulariter, tali enim amplexu ita tangunt omnes minimas partes ossis mobilis; vt ad latera, & in gyrum illud trahant, & vertant, quod minimè euenire potest, si aliquas solum partes mobilis moueret; pars enim tracta aut sursum, aut deorsum, aut ad dexteram, aut ad sinistram, aut ad anteriorem, vel posteriorem moueretur. at hoc non semper, & perpetuò est verum; interdum enim ad motum in gyrum efficiendum vtitur natura tendinibus, sicuti habemus à Gal. 15. de Vsu part. tali oratione. *Qui verò musculi vel totis suis corporibus, aut etiam tendinibus circa quippiam obuoluuntur, circularem potius, quàm rectũ efficiunt motum*. patet itaq; & à musculis interdum solis, & interdum cum tendine fieri circularem motum.

A parte Mobilis.

A uehem. motus.

A celeritate.

A parte Motus.

Hæ

Hæ ſunt cauſæ, quas artificioſa coniectura adinuenire tentaui: quoniam natura ſæpe, atque ſæpe ob nexum, & ſocietatem inter ſe partium ob commodiorem actionem, aut tutiorem, aut meliorem exornat muſculos tendine aut obſcuro, aut manifeſto, aut breui; aut longo, aut ſubtili, aut craſſo, aut vnico; vel pluribus, vel eos omnino priuat: in his attamen, ſicut etiam in omnibus ſemper agit ſolers, prouidaque Natura quod melius, tutius, & vtilius pro conditione, & indigentia partium non deficiendo in neceſſarijs.

Non rarò vtitur tendine longo, ne partes finitimæ mobili à muſculis impediantur, & carneo pondere premantur; vel ne mobile graue euadat, & ad motum minimè expeditum. de hoc lquuntur Galeni ſcripta lib. 1. de Vſu par. dum de manu mentionem facit tali modo. *Quoniam leuem, & ſimul tenuem manum eſſe præſtabat, & à copia carnis craſſa, & grauis fieret; vnde multa deteriùs, & tardiùs ageret eorum, quæ nunc promptè, & bellè perficit: ob quam cauſam longos tendones produxit manum mouentes, & non muſculos ad Carpum.* A cuius verbis innoteſcit nobis cauſam longitudinis tendinum non fuiſſe ob ſpeciem motus, aut naturam mobilis, ſed propter commodiorem, & promptiorem vſum in agendo, vt Promptè & bellè, vt Galeni verbis vtar, manus moueretur.

Tendine excarni, tenui, & longo vtitur Natura, ne partes finitimę læduntur, vt in illis muſculis, qui genus mouent, videre licet, quod legitur ij. de vſu par. ſic. *Quo factùm eſt, & verè, vt Muſculi Genam inferiorem mouentes non à Colli oſſibus ſint producti, ſed vnde iam diximus partibus ad tonſillas attinentibus, tendo eorum vterque ſit excarnis, & tenuis; quandoquidem ſi craſſiores eſſent, tranſire per locorum anguſtiam non poſſent. ſi amplius tenues, imbecilli admodum extitiſſent; quocircà cum ſimul ab iniurijs tutos eſſe eos oporteret, & ſimul anguſtos, iure optimo natura totam eorum carnem loci illius ſubtraxit, ſolos autem, & nudos tendones producens, cum verò primùm extra anguſtias eos conſtituit, tunc iam paulatim eos carne circumueſtiens muſculos rurſus ipſos effecit.* Hæc omnia in medium allata apertam fidem faciunt naturam tribuere tendinem tenuem, & ſubtilem aliquibus muſculis, ne propinquę partes & annexæ lędantur: immo quod eſt mirum, iterum induit tendinem carne, vt fiat muſculus, qui neceſſarius erat tali in actione.

Non rarò, vt tutior ſit actio, adauget natura numerum muſculorum, & tendinum, vt in motu valido, non tantùm ad robur, ſed etiam, vt nexio partium ſit firma, atque ſtabilis. teſtatur hoc Gal. lib. 1. de vſu par. vbi loquitur de flexione digitorum manus dicens multis interpoſitis verbis. *Tendones enim non magnos ſolùm, ſed etiam geminos vnicuique actioni validæ perfectos inuenietis.* At non ſemper implantantur tendones aliqua in parte, vt moueant, ſed etiam vt alias afferant vtilitates, atque vſus. hi enumerantur lib. 2. de vſu part. dum veſtigat cauſam, cur Cutis internæ Manus, Pedum, frontis, totius ferè faciei, & aliarum quarundam partium non poteſt excoriari. reſpondet hæc non indigna memoria. *In vniuerſum autem hoc oportet ſcire, quod aut quia tradant exactiorem ſenſum, aut motum voluntarium, aut*

contumacem, & duram, aut depilem efficiant cutim; implantantur quidem in ipsam tendones. Quæ omnia ipsorum naturæ conueniunt: nam cũ triplicem à se edere possunt actionem, videlicet sentire, mouere motu voluntario,& nectere musculos ossibus, duo illa priora à neruis principaliter emanant,colligare autem potissimum à ligamentis. quapropter non arbitror ego esse inconueniens in aliqua parte potiorem eorum actionem esse sentire,quod rarò contingit,vt in vola manus,qui sentiunt tantùm, & nõ mouent,hoc legitur.1.de vsu par. sic. *Quia verò nulla caro ex seipsa sentit, & absurdum erat apprehensorium organum insensili tegi particula, neruorũ ad totas manus desuperuenientium non paruam portionem in carnes ipsas natura deriuauit, quod factum illico consequitur, vt carnes ipsæ fiant musculi, si demum neruis per carnem disseminatis, generatio fit musculorũ, & abusa est sanè (hæc animaduertè) his musculis natura vtiliter. In alio possunt mouere, & moueri, quod est frequenter. & denique aliquas partes nectere, & parum, aut nihil mouere*: nec in his proponendis à Gal. sententia recedo, vt superius satis adapertum feci.

Illis autem musculis quibus non inest tendo, nec ligamentum, loco tẽdinum natura produxit, vel deriuauit per carnes, quasdam nerueas eminentias,vel fibras exporrectas, quæ vicem gerunt tendinum, & quoniam ab ipsis suscitatur motus, vocauit tales musculosam substantiam, sunt tales,qui frontem mouent, epiglotidem, & qui anum constringunt,in quõrum structura nullum apparet ligamentum:in his coadiuuant ad actionẽ membranæ quædam,quæ impediunt, vt ligamenta, ne nerui illi collidantur, dum mouent, & caro ipsos fulcit. talem vsum membranarum ante oculos nobis posuit.1.de vsu p. Gal.vbi de manu. ita. *Membranarum substantia in manu tuetur musculos, ne collidantur, & frangantur.* Firmamentum esse interdum etiam decreuit membranam 6. de Anato. admin. Musculosam hanc substantiam adinueniri narrauit lib.14. de vsu part. sic. *Musculosæ partes in vtero, & in mare videntur in pudendis*. & in lib. de Dissec.mus. hæc. *Musculosa natura, vel musculosa substantia potest dici musculus sub cute in collo. Nec tendine mouent, qui seipsos mouent, & nec ligamento* Enumerat ille seipsos mouentes lib.1. de motu muscu. his verbis. *Musculi quandoque seipsos mouent duntaxat contracti, vt musculi sedis, & vesicæ. quandoque vnà mouent cutim, dum ad principium trahuntur, veluti qui labris, fronte, & omnino in facie, à quibus nullus oritur tendo*. & lib. ij. de vsu pa. demonstrat talem substantiam solutam esse ab ossibus, & ideo ligamento carere, dicens. *Subiectæ quidem musculosæ substantiæ vbique est superficiaria pars, & ea à subiectis ossibus est soluta; distinguitur enim ab eis per periostion membranam*. Mouentur itaque omnes partes illæ ab ipso in medium allatæ à musculosa substantia, quæ ligamento omnino priuata existit.



De

De Ossibus ligamentis, & Cartilaginibus. Cap. VIII.

OSsa necessaria esse ad motum progressiuum, tanquam mobilia, nemini censeo ego obscurum esse: ipsis enim nec sensum, nec motum voluntarium tribuit natura, sicut.ij.& 16.de vsu pa. legitur impossibile est autem moueri animal sine inflexu, inflexus autem sine ossibus fieri nō potest, & ideo illa de necessitate ad motum obeundum requiruntur. & ideo Hip. decreuit ibi esse pauca genera motus, vbi pauci sunt articuli. Est autē de articulatio teste Gal. 12. de vsu pa. ossium compositio, propter motum voluntarium comparata. vnde ea, quæ componuntur pauciora duobus omnino esse non possunt. quomodo enim si vnum esset tantùm os ab humero ad carpum, fieret brachij flexio? quod enim vnum existit, & solidum, vt os, non potest flecti, sed potius disrumpi, & frangi. quod respiciens Arist. 2. de part. ani. hæc posteritati reliquit. *Cum corpus per animalis motū inflecti necesse sit, vt spina vna sit propter continuitatē, & multipartita pp vertebrarū distinctionem, & ossa extrema sibi cohærent, alterū cauū, & alterum rotundum, aut vtrunq. cauum medio talo, quasi clauo complexa, vt flecti, extendique possint; aliter enim aut nullo pacto, aut non benè motus agi non posset.* At nō solū mobilia extant ossa, sed alia quoq; afferūt cōmoda, quæ sunt motui vtilia etiam perfecto, tria quorū narrat Hip. lib. de Os. natura dicens. *Ossa corpori stabilitatem, rectitudinem, atque speciem tribuunt;* cum enim sint substantia dura, atque densa, ob quam duritiem ossa dicuntur. vt. 1. de vsu p. stabilitatem præstant, sine qua indecens, & ineptus esset motus; partes enim aut ad dexteram, aut ad sinistram, vel ad anteriora, vel posteriora deciderant. sicut etiam ipsa rectitudo ad motum vtilis, corpus enim rectitudinem non seruans, à natura ei tributam, dum progreditur, incommodè, & inornatè mouetur ob inæqualem partium totū integrantium compositionem, atque nexum. vnde perit, aut grauitas illa incedendi, aut in corpore agili optata interdum celeritas. præterea secundum eorum figuram species, atque formositas totius suscitatur, vel turpitudo, & deformitas: quoniam ad eorum structuram totum corpus aptatur: tota enim caro, quæ forinsecùs corpus exornat, ipsa ambit, ipsisque adhæret. quapropter lib. de anat. admin. 1. hæc. *Quod in tentorijs præstant pali, & in ædibus parietes, id nimirum in animalibus ossium substantia, ad quorum immutationem cætera immutantur.* Præterea, & vt sua duritie rem mollem seruent, ne decidat, sicut lib. 2. de par. animal. Vel vt aliud, quod nobile sit, conseruent, sic costæ, quæ pectus viscerum gratia, vt cordis claudunt, sic & craneum in cerebri gratiam à natura fabrefactum fuit. & ideo Galen. nonnulla ad tutelam, aliqua ad robur, tanquam sedes, & propugnaculum à natura condita fuisse statuit. Sed ad ea ossa, quæ tanquam mobilia sunt, redeamus, quæ, vt moueantur, duobus indigent, quæ existunt ligamenta, & Cartilagines: Ligamenta necessaria sunt, vt ossa inuicem colligata contineant, hoc habemus libro primo de anato. administrat. sic. *Ligamenta id præstant, à quo nomen ipsorum* deri-

C.1. C.9. nu.17. C.9. C.2. lib. de os. C.1. C.8.

deriuatur, nam ex osse in os inserta vinculum vtriusque commune hoc solo nomine, vt ossa inuicem deligata contineant, quamobrem conferunt ad rectè, & perfectè mouendum, si enim fossa dum dearticulantur, à ligamentis non continerentur, nihil vetaret, quo minus in singulis motibus luxarentur.
C.2. Hæc 12. de Vsu par. hæc neruos vocauit Arist. fortè sequens antiquos, qui & ligamenta, & tendones neruos appellabant, iam dicto libro dicens *ex-*
C.15. *trema ossium neruis deligata*, Cartilaginum vtilitates narrantur lib. 1. de Vsu part. vbi de articulatione ossium digitorum his verbis. *Sed quando iterum ex tam secura constructione periculum erat, ne motiones difficiliùs fierent, & eminentiæ ossium contererentur, duplex genus auxilij in id natura demolita est, prius quidem Cartilagine vtrunque os subungens, atque oblinens: alterum verò ipsis cartilaginibus humorem vnctuosum, & viscorum, velut oleum aliquod superfundens: per quem facilè mobiles simul, & attritu contumax omnis dearticulatio ossium facta sit.* Hæc cognouit commoda quoque Arist. loco iam narrato, quo scribuntur. *Cartilaginosæ etiam partes inferuntur flexuris, veluti lectisternium, ne attritu mutuo lædantur.* Et subiungit. *Cartilago res mollis, mucosaque constituitur.* Interdum autem, vt 11.
C.18. de Vsu part. vbi de Cap. Suturis affirmat Gal. *Cartilaginem instar glutinis cuiusdam oßa quædam, vt capitis vnire, quæ cartilago duro extrinsecus circunfusa adeò validè suo ipsius interuentu ipsa inter se colligauit, at coniūxit, vt nisi quis ea coxerit, aut siccauerit, compositionem deprehendere nequeat.*
C.4. Non rarò hæc ossis vsum præstat, sicuti scribitur 5. de Anat. Ad. sic. *Vbi propter pectoris os, iam cartilago ossis vice creata apparet.* Ossa itaque, vt moueantur, & ligamento, & cartilagine indigent, vt patefecimus; quæ extant, tanquàm vsum præstantia à parte mobilis.

Tribus exemplis perspicuum redditur, quomodo paruum mouens corporeum mobile satis insigne, & osseum moueat. Cap. IX.

Est admiratione re vera dignum, quo pacto musculi ita parui, in relatione ad mobile loquor, partes ita magnas mouent. Tollit è medio hanc admirationem Arist. lib. de motu ani. his verbis, etiamsi de musculis sermonem non habeat. *Quòd autem parua mutatio facta in ipso principio multiplices, & magnas faciat differentias in extremo, non est obscurum, vt in temone paulùlum translato magna fit proræ mutatio, & transpositio.* Causam autem huius affert in medium in quæstionibus mæcanicis quæstione quinta. Sic musculus cum caput ossis ad se rapit, & trahit, sequitur alterius extremi mutatio, & transpositio. Sed aliud exemplum ad hoc comprobandum ante oculos nobis ponit Gal. ita. *Si vastas machinas, atque grauissimas videmus vi vnius parui vectis moueri, quæ à decem hominibus minimè mouerentur, quam ob causam non potest musculus facultate motrice donatus partes mouere?* Non diuersum ab hoc exemplo est alterum ab Aristot. descriptum eodem libro his verbis, dum de motu animalis. *Quemadmodum*

dum spontaneæ machinæ appellatæ parua motione facta mouentur laxatis, seseque mutuò impellentibus vertebris: ita animalia mouentur, instrumenta autem eiusmodi habent tùm neruorum, tùm ossium naturam, & hæc quidem tanquàm ibi ligna, & ferrum, neruos autem, vt vertebras, quibus solutis, & relaxatis mouentur. Quæ peroptimè declarantur in mechanicis. Sed nobis satis sit tribus exemplis dubium hoc dilucidasse.

Non esse admodum admirabile motum fieri confestim imperante voluntate. Cap. XI.

PRocul omni dubio videtur à ratione hoc ferè non perspectum, scilicet quomodo animal nullo interposito tempore nutu voluntatis moueat, quancunque partem exoptet, etiam si à capite, quod facultatis motricis existit primordium, maximè distet. At omnis admiratio, omnisque stupor perit, atque euanescit. Si supponamus id, quod verissimum existit, videlicet facultatem motricem perpetuò, dummodo vigilet animal, aut non sit grauissimo sopore oppressum, fluere, & migrare ad omnes neruos, qui per totum corpus deriuantur. Quæ quidem virtus, cum sit, vt ita dicam, actu primo in digito pedis appetitu iubente in vltimum actum erumpit, & mouet. Exemplo sit nobis tactiua potentia per totum diffusa corpus, quæ nullo concurrente appetitu, quæ sit causa defluxus facultatis, pulsata ab obiecto tangibili sentit quod est indicium certissimum præsentem esse facultatem. Dat nobis ad hoc demonstrandum tale exemplum Galen. 2. de Plac. Hipp. cuius verba. *Nullum tempus reperitur inter ea transire, dum volueris digitum mouere, & inter ipsam actionem, sicut & in sensu contingit: non enim in hoc expectare oportet aliquod tempus punctionis, & vulnerationis, vt sentiat animal, sed simul & secans secat, & animal sentit.* Præterea non inuoluamus silentio partes quamprimum parere animæ imperanti; famulantur enim illi, & fuerunt à natura tali aptitudine fabricatæ; vt imperatæ confestim obediant, & moueantur, dummodo facultate motrice à principio influente priuatæ ob aliquod impedimentum nõ fuerint. Hoc nobis reliquit scriptum Aristot. lib. de motu Animal. his doctissimis verbis. *Propter hoc simul, vt ita dicam, intelligit, quod deambulandum, & deambulat, nisi alterum quid impediat; Passiones enim instrumentarias partes aptè parant, & appetitus passiones, & imaginatio appetitum, appetitus autem fit aut propter intellectionem, aut propter sensum, simus autem & citò fit motus, quia factiuum, & passiuum adinuicem eorum sunt, quæ secundum naturam.* Vel melius, vt alia in expositione Leoniceni legitur sic. *Simul verò, & celeriter, quoniam patibile (scilicet) & actiuum (scilicet mouens) sunt de eorum numero, quæ ad se inuicem mutuam habent naturam.* Et paulò superius hæc. *Cum aliud quidem patibile sit, aliud verò actuosum, confestim aliud agit, & aliud patitur.*

In

In Motu faciendo semper imperare appetitum, & voluntatem, & non consuetudine, aut à natura hunc suscitari ad Galen. mentem aperitur. Cap. XII.

NOn est pedibus siccis etiam prætermittendum, an in omni animali motu semper imperet appetitus, & voluntas, vel natura tantùm, & consuetudo, res satis me quidem iudice anceps, & ambiguitatis plena: nã perpetuò spirat animal; fæces, & alui excrementa retinentur, nec non etiã vesicæ, quis enim iubet pectoris musculis potissimum tempore somni, vt inspirent, atque respirent, quæ actiones fiunt motu animali? quis musculis ani, & vesicæ, vt excrementa illa retineant? nonne & dormientes resurgunt è cubili, deambulant, & brachia, & manus in gyrum vertunt? & in vnum constringunt, & vestimentis se induunt. Præterea nonne dormiunt aperto ore? vnde intelligere debemus actionem musculorum retrahẽtium

C.6. maxillam conseruari, Galen. tollit è medio hanc dubitationem 2. de motu Musc. sic. *Principium autem inueniendi ea hoc faciemus. Multos videlicet homines interdum actiones quasdam egisse, quarum paulò post penitus sunt obliti, vt qui per metum agunt, aut per ebrietatem*, Causa autem, vt mihi videtur, est; quòd non intenti actionibus tota mente fuerint. Quid mirum est, etiam in somnis obscurè agente animã obscuras etiam imaginationes fieri, ideoque nec stabiles? Quid mirum si in vigilijs ratione quidem aliquid meditante, & tota ferè circa curam intenta, parua quædam eius admodum pars circa deambulationem occupata impressionem actionis facit obscuram: idcirco statim obliuiscitur: & nihil mirum mihi certè videtur, si motu voluntario respiratione agente in somnis, postquàm expergefacti fuerimus, non possumus dicere, an secundum voluntatem respiremus, sed simile profectò accidit, quod illi, qui pedes, & manus in somnis mouerit, & aliquid sit loquutus, postea illorum oblitus dicat fieri illa absq; voluntate. *Quòd respirationis opus totum voluntate, & spontè ab anima fiat, declarauit seruus ille barbarus, qui respiratione cohibita mortuus est.* Hæc Gal. ab his omnibus elicitur obliuionem rerum iam actarum esse in causa, vt homines censeant multa genera motus non pendere à voluntate, sicut etiam si cogitatio circa aliquod admodum sit intenta, ita vt cętera alia, etiamsi ab ipsa iam instituta, parui faciat, à proprio fine iam conceptο aberrat, quod sæpè contingit in itinere aliquo faciendo ad talem locũ.

C.12. Hoc posteritati reliquit scriptum ille lib. 1. De difficultate Respir. sic. *Quæ verò sub voluntatis potestatem veniunt, hæ sæpè, vbi circa alias actiones fuerit occupata, negligentiùs perficiuntur. Ambulantes igitur aliquando concitatiùs ad rem aliquam perficiendam, deinde inter eundum considerantes, & curiosè de ipso meditantes, multum ab illa ambulandi concitatione remittimus, non tamen intelligimus id ipsum, neque cognoscimus, quousque sanè mentem ad illius curam adhibemus: cum verò quiescimus ab illa cura, atque cogitationem circa nullam rem ampliùs habemus, quàm circa solam ambulationem, tunc veluti ex somno aliquo excitati cognoscimus circa institutam actionem nos fuisse negligentiores, quàm pro primo impetu oportebat,*

vursumque ad ipsam actionem nos excitamus. Sic & qui mente vacillant, animum, vt puto in visionibus, veluti in quibusdam curis habentes animalium actionum negligentes sunt, neque lotium eijciunt, neque ventris onus deponunt, neque potum, neque cibum petunt. Sic etiam decipiuntur putantes animam in somnis ociosam permanere, & non agere, quæ omnia naturæ tantùm attribuunt, & non voluntati imperanti. Et ideo cap. 5. lib. 2. de motu Musc. hæc. *Temeraria igitur est sententia, quæ animam dormientiũ quiescere asserit, nisi cessationem hanc non perfectam quietem, sed quasi intermissionem quandam vigoris dicant: non enim sensus expertes sunt penitus dormientes.* Quæ etiam nos docuit Philos. varijs in locis. Difficilè quoque cognoscuntur motus nonnullarum partium à voluntate pendentes: quoniam & illæ ab irritamentis naturæ ad motum quendam excitantur, vt ad excrementorũ alui expulsionem impellentibus tamen simul & musculis abdominis, sicut etiam nobis non innotescunt illi, qui fiunt ob maximam necessitatem, atque perpetuam. Et ideo hæc præclara, & scitu digna prodidit litteris eodem libro. *Ita quòd si non liceret vsquequaque respirationem cohibere, ne idcirco aliquis negaret, quin ipsa secundum voluntatem fieret; apparent enim eorum operum, quæ motu voluntario fiunt, Alia quidem libera esse; alia verò affectibus corporis seruire. Priora itaque perpetuò absque impedimento à nobis fiunt: Posteriora verò non perpetuò, sed in tempore quodam: nam ire ad aliquem, & recipere, absolutè libera sunt: Egerere autem, & mingere corporis affectuum sunt remedia. Simile igitur & his respirationis opus, immo magis vrget, & celeriorẽ necessitatẽ habet.* Quæ omnia considerantes nonnulli recentiorum decreuerunt duplicem esse voluntatem, vnam, quæ ab electione dependet, alteram, quæ ab instinctu. Hæc infantibus propria, & respirantibus. Sed hoc mihi non videtur consonum rationi, voluntas enim semper, vt voluntas est, supponit aliquam electionem, & electio cognitionem, quæ minimè in infantibus, vel respirantibus existit, & ideo fingere voluntatem velle aliquid non cognitum figmentum quoddam esse ego existimo. Arist. autem lib. de motu Animal. arbitratus est motum in animali fieri à natura, & per consuetudinem, cuius verba. *Existimandum autem constare animal, quemadmodum ciuitatem benè legibus institutam: in ciuitate enim cum semel constiterit ordo, nihil opus est separato Monarcha, quem oporteat adesse singulis, quæ fiunt, sed ciuis vnusquisque facit, quæ sua sunt, quæ iam ordinata sunt, fitque hoc post hoc per consuetudinem. In animalibus hoc idem propter naturam fit, & quia natum vnumquodque sic constitutorum facere suum opus. Quare non oportet in vnoquoque esse animam, sed in quodam principio corporis existere, alia autem viuere, quia adnata sunt, facere autem opus propriũ propter naturam: quomodo igitur moueantur voluntarijs motibus animalia, & propter quas causas dictum est.* Exemplum ab ipso in medium allatum non videtur esse, vt ego censeo, conueniens, & accommodatum: monarcha etenim imponit leges ciuibus, qui anima cognoscente sunt insigniti, & principis mandata memoria custodiunt. At partes mouentes corporeæ non sunt præditæ potentijs cognoscentibus; singulæ enim animatæ anima propria essent, quod maximum esset absurdum, & oppugnans eius dictis, dum in-

[Margin notes: C. 6. (beside "prodidit litteris eodem libro"); C. 7. (beside "figmentum quoddam esse ego existimo")]

quit, *Quare non oportet in vnoquoquè eße animam, sed in quodam principio corporis existere*. Præterea indigent partes ad motum edendum aut spiritu, aut calore influente, ac impetum faciente, si Aristotelico loquor more, aut aliqua facultate mouente, quæ à principio fluat. Hic autem, aut hæc non mouetur nisi ab imaginatione, aut appetitu, imaginatio autem, aut appetitus non sine anima: vnde concludendum est semper animam imperare motum, & non partes à natura tale producere opus. Patefecit fieri imaginatione, & appetitu motum Philos. lib. de motu animal. sic. *Passiones enim instrumentarias partes aptè parant, appetitus passiones, & imaginatio appetitum*. Sed fortè aliquis dicet loco hoc vsui passe naturam pro anima, quod multi commentatores affirmant, anima enim quædam natura existit. sed vt mea fert opinio, similitudo illa esset satis incongrua, & dissimilis; nam semper esset anima præsens, & imperaret partibus, & aliquo instrumento moueret. Quæ negat Phil. dum ait. *Et quia vnumquodque sic constitutorum facere suum opus, nec in vnoquoque esse, sed facere opus suum propter naturam*. Statuamus igitur secundum Galen. admirabilis viri sententiam in omni motu semper imperare voluntatem aut manifestè, aut obscurè, dūmodò à varijs curis exagitata ab incepto motu non desistat, & distrahatur, adiuuat tamen & consuetudo, & aptitudo partium pro nonnullis motibus agendis, atque perficiendis. Aliquis enim decernit pulsare manibus harmonica instrumenta chordis exornata; postea ad aliā considerationem se totum tradit; attamen manus ita adiuuantur à consuetudine, vt promptè eliciant à pulsatis neruis talem, atque talem sonum perpetuo tamen, vt credēdum est, animæ nutu, sed ignoto, est autem ignotus aut propter longam consuetudinem, à qua facillima talis euadit actio, aut alicuius rei cōtemplationem, aut curam, aut animi aliquem affectum: hæc enim omnia impedire possunt cognitionem imperij voluntatis. Attamen admiratione est dignum interdum videre hominem citharędum, qui eodem tempore aptat carmina chordis, vocem sono, hilari fronte choreas ducit, cuius voluntas, atque mens ad aliquid aliud, quod illum angit, & affligit. dirigitur tamen & musculi manus, pedum, totius, & voci deseruientes imperio animæ ad motum impelluntur: maiorem partem quorum motuum ignorat à voluntate ille pendere; cum de illis minimè curet, quoniam in alia re omnino à cantu, & sono diuersa animo toto, atque studio imcumbit, at non est credendum animam omnino & à cantu, & à sono esse remotam, & abductam, oberraret enim ab incæptis sæpe, atque sæ-

C.6. pe, obliuione earum capta. Quod nos docet Galen. 2. de motu Mus. dicens, *Quid mirum, si in vigilijs ratione quidem aliquid meditante, & tota ferè circa curam intenta, parua quadam eius admodum pars circa ambulationem occupata impressionem actionis facit obscuram, idcirco statim obliuiscitur*: Nihilominus res ad credendum satis est ardua, vt aliquis imperet, & imperare non cognoscat. Et ideo aliqui sunt ausi affirmare motus initium ab imperio voluntatis pendere, sed progressum itineris consuetudine, & aptitudine partium fieri; cum multi eo tempore varijs curis exagitentur: quoniam non rarò multos videre licet, qui exempli gratia decreuerunt domū alicuius amici petere, quæ quidem parùm distabat à foro, ij cum assuetì

essent

eſſent iter habere ad forum bis, & ter die ſingulo, oblito amico ſe tranſtulerunt ad forum, etiamſi ferè præ oculis tali in itinere domum amici habebant. cauſam talis errati eſſe conſuetudinem dicunt, nam voluntas ad amicum direxit iter, at hoc conſuetudo, vt magis potens prohibuit, atque vetauit. Sed melius eſſet affirmare cauſam talis errati fuiſſe animum aliqua cogitatione detentum. ſed de his ſatis.

In mouentibus corporeis, & materialibus eſſe neceſſarium aliquod immobile, at non penitus immobile, vt non pauci dicunt, cui nitantur. Cap. XIII.

CVm in omni motu aliquod requiratur immobile, & quieſcens, vt Phil. lib. de motu animal. decreuit; rationi quoque cõſentaneum eſt in quocunque motu animalis hoc adinueniri. potiſsimùm cum iſte conſurgat, teſte ipſo Phi. ex pulſu, & tractu: pellens autem à ſeipſo ſemper pellere certiſsimum eſt: vnde neceſſàrium eſt adhærere, aut niti alicui immobile, ſicuti etiam & trahens, quod varijs experimentis obſeruare licet: hoc dilucidè reliquit ſcriptum lib. de motu animal. his verbis. *oportet, ſi aliqua mouetur pars quieſcere quippiam, & hanc ob cauſam flexus articulorum inſunt animalibus. his enim vtuntur flexu, vt centro (ſcilicet quieſcente, & immobili) fitque totum membrum, in quo articuli eſt flexus, vnũ, & duo, nec non rectum, & curuum; Brachio enim commoto ſcilicet vlna à cubito infra, ſtat cubitus: toto membro commoto ſtat humerus: & tibia cõmota, ſtat genu, toto verò crure, coxa. quod igitur vnumquodque in ſeipſo quieſcens quippiam habere oporteat; vndè motionis eſt initium, & ad quod innixum totum ſimul mouebitur, et per partes manifeſtum eſt.* Omnis igitur pars, ſiue muſculus alicui immobili innititur, vt valeat partem mobilem ad ſe trahere, atque rapere; eſt enim talis motus quidam tractus: immo nõ tantummodo in motu animalium eſt neceſſàrium internum immobile, & quieſcens, ſed etiam externum, ſi debet fieri motus. & dum deambulamus alterum crus in terra firmatur, & alterum mouetur docente Gal. 3 de vſu par. quod dilucidius reliquit ſcriptũ Ariſt. lib. iam citato de motu animal. dicens. *Veruntamen omnis in ipſo minus efficax eſt quies, niſi extrinſecus aliquid fuerit ſimpliciter quieſcens, & omni carens motu. ſi enim ſemper ceſſerit, vt muribus per terram, aut arenam progredientibus, non ſanè progredietur, neque vllus erit progreſſus, niſi ſtet terra, neque volatus, neque natatio, niſi aer, aut mare reſiſtant.* Sed circa immobile illud internum non leuis oboritur apud ſcriptores medicos difficultas; inueniunt enim nõ paucos muſculos adhærentes partibus non omnino motu carentibus. ſed facilis me iudice eſt dubij ſolutio, ſi pro immobili non ſimpliciter immobile vſurpamus, ſed reſpectu talis motus vicem gerat illa pars quieſcentis; vnde illa pars dicitur immobilis eodem genere motus, vel quia non moueatur motu æquè veloci, ſicut illa, cui nititur, ſicut patet de piſcibus in fluuios migrantibus ſecundum varias diſtantias, & ſi tota fluuij aqua rapidè currat: exemplo etiam ſunt nobis natantes homines in fluuio veloci aduerſus rapidũ aquæ curſum. Aqua enim fluuij etiamſi currat, vicem ſu-

bit quiescentis, & immobilis respectu hominis natantis: sic etiam sæpe, atque sępe contingit in mouentibus internis scilicet musculis, qui etsi non nitantur alicui simpliciter immobili, adherent tamen alicui, quod vicem gerit quiescentis, & resistentis, etsi aliquo motu moueatur: omne enim resistens quoquomodo habet potius naturam quiescentis, quàm secus. & ideo
Caput. Arist. loquens de piscibus, & auibus dixit. *Nisi aer, aut mare resistant*, & non dixit omnino quiescant. In motu necessarium esse flexum, & consequenter articulum cap. 14. Cum igitur in omni motu necessarium sit aliquod quiescens; ergo & de necessitate erit flexus, consequentiam hanc nos docet Phil. lib. de incessu animalium his verbis. *Quod autem nisi quippiam quiesceret, non sanè esset flexus, neque directio, ex his manifestum est. flexus enim est è recto ad curuum, aut ad angulum mutatio, directio verò ex alterutro horum ad rectum. in omnibus autem dictis mutationibus ad vnum necesse est signum (.i. punctum physicum) rectitudinem fieri. Verumenimuerò flexu non existente neque progressio, neque volatus, neque natatus sanè erunt*, quæ omnia mathematicis, & Geometricis rationibus demonstrat, & paulò infra concludit dicens. *Quòd igitur nisi inflexus esset in cruribus, aut humeris, aut coxis, nullum sanguine præditum animal progredi potest, prius dictum est, similique modo, quòd nullo quiescente, nullus potest esse inflexus*. à cuius dictis non recedit Gale. pluribus in locis, sed præcipue 3. de vsu p. quo in loco concludit non fieri extensionem, neque flexionem sine articulis, quod certissimum est: quoniam flexus semper requirit duo corpora, quo aliquo inuicem nectantur, vt continua sint, componit autem in vnum articulatio, & vnit tali modo, vt duo ossa flecti possint; est enim ar-
C. 1. ticulatio teste Gal. 12. de vsu pa. *Ossium compositio propter motum voluntarium comparata, nectuntur autem ligamentis, & musculis*; & ideo litteris tradidit iam supradicto loco naturam dedisse plures articulos illis partibus, quæ varijs erant destinatæ motibus. & ideo in genu, vt ibi legitur, nõ fecit natura duplicem articulationem, quemadmodum in manu; nõ enim genu tantis mouetur motibus, quantis mouetur manus. quæ omnia etiam confirmauit lib. 1. de motu mus. quõ autem hæc ossa vniantur, ante oculos nobis posuit Gal. lib. eodem de motu muscul. dicens. *Cum ossa inuicem coeant, vt articulus fiat, alterum ipsorum est quod mouetur, alterum verò veluti sedes quædam ei, quod mouetur, est subfirmatum, quomodo cernis ostiorum cardines se habere. quare necessariò manenti quidem ossi cauitas adest, ei uerò, quod mouetur, conuexitas. Vocatur cauitas glene, & præterea cotyle, conuexitas caput, & condylus: tanto autem cotyle, quàm glene est profundior, quantò caput condylo est longius; vtrunque enim vtrique veluti cardini locum aptum natura comparauit, hæc sunt quæ mouenda, motura autem musculi. Caput quod recipitur, rotundum existit, vt expeditè & citra molestiam inseratur, & hoc est tanquam mouens, alterum tanquam sedes*
T. 55. *& locus*. quæ cognouit etiam Arist. lib. 3. de anima. vbi leguntur. *Nunc autem, vt in summa dicam, Mouens instrumentaliter, vbi principium, & finis idem, vt commissura ossium, hic enim conuexum, & concauum, vnde aliud quidem quiescit, aliud verò mouetur*. Inter illa duo ossa, quibus fit
Gal. 1. & articulatio, prælocatum os est maius post locato; illud enim vehitur, &

hoc

hoc vehit, maius autem esse quod vehit eo, quod vehitur, nemini obscurũ: in hac autem ossium connexione prouida natura eminentias cauitatibus suscipientibus æquales omnino produxit, ne difficilis esset motus. Variæ autem, & multiformes sunt articulationes, siue ossium nexus pro diuersitate motuum vel debilium, vel fortium; vbi enim motus earum fortibus, & multis actionibus famulari debebat, & metus erat, ne ob violentiam ipsarum luxatio contingeret, dearticulatio constringitur, & cõtinetur vndique multis quidem extrinsecùs ligamentis crassis, non membranosis solùm, sed etiam rotundis, & cartilaginosis, tanquam corona stipata eminẽtias autem simul sortita cauitatibus ijs, quas ingrediuntur æquales, vt nusquam vlla sit laxitas, simul etiam quibusdam labris, & veluti supercilijs detentas. Vbi verò paucis, & non violentis actionibus articuli sunt destinati, ibi natura ceu metu iam abiecto, tenuia quidem, & membrannosa ligamenta, laxam autem omnino totam ossium commissionem fabricata est. quare articulationes & carpi, & cubiti firmissimæ existunt, humeri autem dearticulatio tanquàm raro validas obiens actiones, frequenter autẽ vel omnino quiescens, aut leuiter, & citra molestiam mota, laxam quidẽ, & ipsorum ossium compositionem magisq; adhuc membranarum ipsam ambientium, & huius causam in medium attulit diuinissimus Gal. his verbis. *Cur igitur non omnes articulos natura firmos construxit? quoniam pugnam habebat necessariam varietas motuum cum securitate constructionis, neque poterant in idem ambæ conuenire. sequitur enim illa quidem laxitatem dearticulationis, hæc autem stabilimentum, & omni ex parte constructionem: vbi igitur non est periculosa varietas, superfluum erat, & vanum aliquid moliri ad stabilitatem. vbi periculosa, & fallax, ibi stabilitatis rationem natura habuit.* Immo interdum prudens natura, atque sagax, vt partes à se ederent varios motus, atque diuersos, exornauit ipsas duplici articulatione, vt in articulo carpi, & cubiti obseruare licet, vt variè secundum omnes distantias circumferantur, & moueantur, quòd non posset fieri, si vnica eis esset articulatio Gal. docente loco citato. Modos inflexionis in iuncturis patefacit Phil. lib. de incessu animalium, & vno, eodemque tempore demonstrat omnes inflexus esse inter se contrarios dicens. *Semper autẽ in hominibus commutatim contrarios habent membra inflexus, vt cubitus ad concauum, manus ad carpum, & humerus ad curuum, similique modo in cruribus. Femur ad concauum, genu ad curuum, & pes ad concauum. at non tantummodo hęc inuicem sunt contraria, sed superiora cum inferioribus. Humerus enim ad curuũ, Femur ad concauum, & cubitus ad concauum; Genu verò ad curuum. nec mirum. principia enim illa sunt contraria, summum videlicet, & imum.* hæc Aristo. concurrunt igitur, vt satis abundè demonstrauimus, omnia iam allata ad motum suscitandum animalem, nunc autem considerandum erit, à quibus impediatur.

3. de usu par.

2. de usu par.

S. uarietas



De

De causis, à quibus Motus animalis vitiatur, & quot genera offensarum ei contingant. Cap. XV.

CVm varia sint necessaria & à parte animæ, & à parte corporis, vt animal, aut aliqua partium eius motu proprio fungatur: procul omni dubio statuendum erit diuersas, & multiformes posse esse causas, quibus motus impediri potest, & vitiari. A parte animæ, vel eius facultatum, si imaginatio ita sit deprauata, & ratiocinatrix, vt non cognoscant hoc esse fugiendũ, vel sequendũ, quod in stolidis, & comatosis obseruare licet: quapropter nullus excitatur appetitus ad motum: aut appetitoria facultas ita sit sopita, & ignaua, vt non excitetur, aut difficilè saltem stimuletur ad appetendum ab appetibili, etiamsi potenti: aut cupido appetitui non deseruiat Motoria potentia. hæ verò facultates propria operatione priuantur aut cerebro læso, quo commoratur anima melior, aut spiritu animali, eius vehiculo, morboso facto. A parte corporis, si spinalis medulla, vel nerui, qui extant tanquam viæ facultatis, aut Musculi, aut Tendones aliquo morbo laborent: vel si ligamenta, aut cartilagines, aut articuli, vel ossa ipsa, quæ sunt instrumenta coadiuuantia, & sine quibus non potest perfectè fieri motus, malè affecta fuerint. vel denique pars aliqua mobilis ob eius incommodam molem, ac magnitudinem, vt totum crus, inepta sit ad motum, ac aut ægrè moueatur; ob incongruam enim partis, aut totius magnitudinem perit illa conueniens proportio, quæ inter mouens, & mobile desideratur. quo pacto autem hæ partes lædantur exquisitè capite de Resolutione, & Tremore agemus. Motus offensæ, & noxæ trino distinguuntur discrimine: aut enim omnino perit, vt in resolutione, aut deprauatur, vt in spasmo, & tremore: aut difficilis, & imbecillus existit, quæ omnia nos
C.3. docet Gal. lib. de differ. symp. facta tamen alia diuisione dicens. *At functionum, à quibus motus excitatur, prima symptomata sunt immobilitas, & ad motum difficultas. Sed difficultas est vel imbecillus, & infirmus motus, vel deprauatus: deprauati motus tremor, & spasmus.*

De Paralysi, vel Resolutione. Cap. XVI.

REsolutionem Hippocrates & interdum Gal. vt 3. de Mor. Vulg. com.
2. Paraplexiam nũcupauit, quam & Hemiplexiam Paul. dixit. Auic.
verò Mollificationem. Est paralysis ablatio motus, & interdum sensus
tactus non omnium corporis partium, ob impeditam facultatis distribu-
C.10. tionẽ. motũ auferri reliquit scriptũ Gal. 3. de l. aff. sic. *Itaque neruorum re-
solutio potissimum dicitur, vbi motus deperditus est; vbi verò partium ali-
quarum sensus perit, eam sensus expertem, resolutam verò adeo dicere non
consueuimus.* & lib. 3. Pror. com. 3. *Partes priuat motu paralysis, cui con-
traria est conuulsio.* Totum motu non priuari varijs in locis demonstrat,
26. alioquin apoplexia, & non resolutio vocaretur. Sed præcipuè lib. de l. aff.
10. iam citato dicens. *Vbi alteri laterum, aut dextero, aut sinistro acciderit*

motus,

motus, at sensus priuatio, dicitur resolutio eius scilicet partis, in qua consistit affectus. quòd si in aliquo membrorum id eueniat, eiusdem membri resolutio dicetur: nam & tota manus, & totum crus, & solus in crure pes resoluitur. At cum omnes pariter nerui tum sentiendi, tum mouendi vim amiserint: huiusmodi affectio apoplexia vocatur. Facultatem non impertiri partibus narrat 3. de l. aff. his verbis. *Quod circa spinæ processum facta aliqua dispositione, qua cerebri facultas prohibeatur ad partes peruenire*. & lib. de tremore, & palp. hæc. *Facultas à principio ad musculos missa, quasi vehiculum quoddam, atque ala motus ipsorum est, quæ si exactè defecerit, partes vti relaxatæ, atque resolutæ deorsum vergunt: vniuersum enim naturæ robur defecit*. Vetant facultatis transitum varia, de quibus mentionem fecit. 1. de symp. Caus. dum de stupore verba habuit: *Aut enim nerui ita crassi euadunt, vt non admittant facultatis distributionem, aut ab aliquo corpore duro comprimuntur, vt à Phlegmone, aut scirrho, aut fractis, luxatisque ossibus: principio igitur stupidi fiunt, deinde omnino, & sensum, & motum amittunt: nominaturque huiusmodi ipsorum vitium paralysis, idest neruorum resolutio*. dat exemplum resolutionis à duro corpore obortæ lib. 4. de l. aff. dicens. *Vidimus alium, cui magna oborta suppuratione in altera nate iuxta cruris initium, nerui eiusdem cruris per incisionem nudati sunt, sed ea parte sanata toti membro difficultas accidit. itaque conijciens durum quidpiam à priori inflammatione in neruo derelictum, quod huiusmodi dispositionem induceret, affecto loco idoneum medicamen adhibendo hominem perfectè sanaui*. Priuantur præterea partes facultate, si neruus illis deseruiens, ex transuerso fuerit dissectus. hoc reliquit scriptum 3. d. l. aff. sic. *Priuantur omnes partes, si ex transuerso fuerit spina incisa, & tota dissecta; at si secundum longitudinem secatur, non omnes suppositæ partes resolutione tententur; sed duntaxat illæ, quæ è regione sectionis erant*.

C. 10.
C. 3.
C. 5.
C. 4.
C. 10.

Auic. autem decreuit geminam esse huius passionis causam, vnam prohibitionem spiritus, ne ad partes mobiles perueniat, ob aliquod impedimentum, secundam illius destructionem ab intemperie partium, à qua aboletur: frigidum enim contrarium est spiritui, & hebetat, sic & humidum. vnde ab intemperie frigida, vel humida sine aliqua materia interdum hoc malum suscitatur, à calida autem impossibile. exemplo sint nobis hæctici. hæc ille. & Ras. At Alex. & calidam, & siccam intemperiem hunc affectum gignere statuit, cuius verba. *At si non copia, sed qualitas potius causa fuerit effectrix, vbi quidem siccitas simul cum caliditate infestat, refrigerantibus, & humectantibus vtendum consulo*. quibus affirmat se quendam sanasse, qui ab hiera desumpta adeo fuit læsus, vt immobilis fieret: & ideo hi omino ab euacuantibus læduntur.

Vt plurimum autem trahit originem paralysis ab humoribus frigidis, ac crassis neruos obstruentibus, sicut nos varijs in locis docuit Gal. non rarò à terrestri, & melancholico, vt Alex. qui quidem humores origines neruorum tantummodo infestant, si Galeno credendum, & non neruos omnes parti læsæ inseruientes: quod aliquando euenire affirmat Auic. dicens. *Repletio verò oppilatiua est ex materijs humidis fluxibilibus, quibus membrum humectatur, siue madefit, & currit in vacuitates omnium neruorum;*

aut

aut ſtant in eorum principijs, aut ramis: & oppilant viam ſpiritus currentis in eos.

Eſt Reſolutio ſymptoma motricis facultatis in genere ablatæ functionis, interdum etiam & ſenſus tactus: non enim neceſſarium eſt tactum aboleri in paralyſi, tum quia ſæpe varij ſunt nerui in eadem parte, quorũ quidam deſtinantur tactui tantum, vt illi qui per cutem diſſeminantur, tum quia maior copia facultatis expoſtulatur ad mouendum, quàm ad ſentiendum; Motum enim actione conſiſtere, & ſenſum paſſionem quãdam eſſe decreuit Gal. Non eſt igitur mirum manum exempli gratia moueri, at non ſentire, vel varijs læſis neruis, vel vnico tantùm deſtinato motui, ſed non omnino impedito facultatis tranſitu ad illum, immo tanta fluente, à qua ſenſus tactus poſſit in actum erumpere. at ſi omnino vetetur diſtributio, tunc neceſſariò & motus, & ſenſus pereunt. Varios eſſe
C.vlt. neruos non rarò aliqua in parte deſeruientes ſenſui tactui, & motui dilucidè legitur 3. de l. aff. ſic. *Etenim id, quod in primis ſcire oportet, quod videlicet nerui per vniuerſæ manus cutem diſperſi, quibus ſentiendi ad ipſam facultas defertur, proprias quaſdam habeant radices, quodq; neruorum muſculos mouentium ſunt aliæ, medici ignorant.* ſed adapertiùs 4. de l. aff. his
C.4. verbis. *Quò magis miror diſſectores ipſos, illos non cognoſcere, cum in reſolutione neruorum quærunt, quam ob cauſam reſolutarum partium non ſemper & motus, & ſenſus pereat, videntes aliquando ſenſum duntaxat, aliquando & ſenſum, & motum ſimul deperdi; arbitrantur namque neruorum qui per muſculos diſperſi ſunt, reliquias ad cutem tendere, cumque diuiſus per muſculum neruus affectus eſt, ſi quidem vehemens fuerit vitium, & ſenſum & motum ſimul lædi: ſin leuius fuerit malum, ſeruari quidem ſenſum, vt potè qui non tantùm roboris deſiderat, motum verò, eò quòd robuſtis egeat viribus perire.*

Non eſt igitur neceſſarium in paralyſi ſenſum tactus aboleri, niſi ab eodẽ neruo & motus, & tactus ſenſus depẽdeant, qui ita ſit malè affectus, vt omnino prohibeatur facultatis diſtributio ad eius omnes partes: quibus
3. de l. aff. c.1. omnibus ſuppoſitis decreuit fortè Gal. reſolutionem compoſitum eſſe affectum ex mouendi, & ſentiendi difficultate. Talis noxa potius reducitur ad morbum in via, quàm ſecus etiamſi Auic. vt ab eius dictis elicitur, quod
C.4. fortè nec negauit Gal. 4. de l. aff. dum affirmat ob frigiditatem aquæ, in qua commorabatur piſcator quidam, ſuſcitatam fuiſſe reſolutionem illorum muſculorum, qui ano, & veſicæ inſeruiunt.

Indicant, præſentem iam eſſe reſolutionem partium nonnullarum, aut alicuius tantùm, earum impotentia ad motum, atque relaxatio, pulſus
Ad Tyr. tardus, imbecillis, & rarus, vt Gal. lib. de Pulſ. & vrina, vt plurimum alba, & incocta narrante Auic. interdum tales partes gelidę ſeruantur, & tractu temporis minuuntur, deperdito naturali earum colore.

Si à tumore oboriatur, arguunt dolores, durities partis, ac veluti pondus
Auic. circa originem muſculorum; quem interdum concomitatur aſſidua febris. Quæ ab humoribus craſſis, inter noſcitur non ſolum à victu præterito tales humores procreante, & tempore anni humido, ſed etiam à colore albo partus eius tepore, & grauitate quadam.

Variæ

Variæ intemperies partem obsidentes motricem pro earum diuersate à proprijs signis cognoscuntur. Sicuti etiam facillimè ossa luxata, vel fracta, aut partes contortæ innotescunt nobis, aut aliquo pacto incisæ, à quibus omnibus sine aliqua mora resolutio excitatur. Latent autem sæpe, atque sæpe resolutiones membra interiora fatigantes, si credendum Aretæo venit, & rationi, medicus enim cognitionem potissimum assequitur visu talis affectus.

Huius multæ extant species, quæ tamen à diuersitate partium vt plurimum desumuntur; non rarò & à læsione functionum; aliquando enim totum corpus dempta facie, non rarò dimidium rectitudine seruata resolutione tentatur: sæpe aliqua particula tantùm motu priuata languet vt aliqua pars faciei. Rarenter autem aut vtrunque crus, aut brachium resoluitur. De his omnibus sermonem habet Gal. lib. 4. de l. aff. qui circa finem C. 4. exemplum ante oculos nobis ponit de piscatore quodam dicens. *Præterea Piscator quidam, cum in fluuio pisces venaretur, adeo circa sedem, & vesicam infrigidatus est, vt ipso inuito effluerent & alui excrementa, & vrina.* Fiunt etiam variæ resolutiones ob diuersitatem facultatum; nam interdum solus motus perit, & interdum vnà cum motu sensus tactus. Non admittit hoc morbi genus differentiam illam, quæ à maiori, aut minori offensa desumitur, vt multi affirmant; requiritur enim in hoc semper motus ablatio, & non diminutio, si Galeno præstanda venit aliqua fides, dum descriptionem resolutionis in medium affert. Quædam autem repentino insultu sana corpora inuadit, aut post apoplexiam, epilepsiam, colicum dolorem, vteri strangulatum, aut febres per criticum motum in ipsa impetum facit, sicut reliquit scriptum Auic. transmittuntur enim humores ad originem neruorum, aut ad capita musculorum. Paul. etiam hæc: nostra ætate colicus quidam dolor incruduit, ex quo superstites futuros motus priuatio consumata concomitabatur sensu tactus incolumi, critica quadam ex alto transmutatione.

Grauis est morbus, & periculi plenus, si totum corpus occupet dempta facie; facilè enim in apoplexiam degenerat. Sicuti nec contemnendus, qui Prog. aliquam principem partem infestet, aut ad vitam necessariam. Malum est indicium, si partis alicuius resolutæ aut moles minuatur, aut color naturalis mutetur. Quæ à luxatione vertebrarum suscitatur, omnino opem medicam respuit teste Auic. Sicuti quæ à nerui diuisione insanabilis, narrante Paulo. Curationem suscipit illa, quæ ab ictu, aut percussione, dummodo, non sint vehementes, vt Auic. placet.

Si is Morbus ab humorum copia originem ducit, nullo interposito tempore, ipsos reuellere debemus, deinde ad propinqua deriuare, & tandem Cura. per locum læsum illos euacuare, atque abducere. Reuellunt multa, sed inter omnia purgatio, & venæ sectio. Si igitur sanguine corpus abundet, vena tundatur, qui pauca quantitate extrahatur iubente Alex. vituperant quoquomodo venæ sectionem Rhas. & Haly, affirmantes calorem minui, & frigiditatem augeri à sanguinis emissione. Tundatur vena longè à partibus infirmis. At si sanguinis indicia non occurerint medico: pil. fœtidis humorum illuuies è corpore abducatur docente Rhas. qui suadet singulis

tribus diebus exhibendas esse per tres vices. Probat Auic. pil. de euphorbio,& hierā Hermetis. Alex.Serap.pil.ex thapsia, & agarico, Haly commendat purgantia maturato prius humore, ne eius subtiliores partes euacuentur, & crassiores remaneant. Digeritur, vt Mes. syr. de stœcade, Vel de betonica, & oximelle & simplici, & composito, quod fortè respiciens Orib.purganti medicamento admiscere imperat aut piper,aut salem, hæc enim vim scindendi,ac attenuandi possident: Necnon etiam distribuendi facultatem medicamenti ad læsas partes. Cuius verba. *euacuatis humoribus crassis, ac glutinosis, primum hieræ drachma potui dabitur sine melle iniecto tamen pipere in puluerem redacto: si quidem volumus non purgationem, sed distributionem ab hoc medicamento fieri, & tertio die drachmam itidem dabimus, aut etiam plus: quatuor verò diebus interiectis duas similiter, aut etiam tres drachmas exhibebimus: deinde quatuor diebus interiectis quatuor drach. adiecto mellis, & salis cochleari: quo tempore etiam piper addendum: si hac dandi medicamenti ratione æger minus perfectè fuerit purgatus, quinque drachmas, & quibusdam etiam sex, si ætas florens, dabimus.* At Orib. hoc genere medicamenti,vt ab eius verbis patet, reuellere non studet, sed à parte infirma remouere humores ibi existentes, & inalterare. Paul. hieræ vsum etiam probat cum aliqua castorei portiuncula,ac piperis. Aliqui affirmant se sanasse hos referente Auicen. ægrotantes aureo vno hieræ, & vno piperis singulo die desumpto, dummodo se à potu aquæ abstineant,vt diutius in ventriculo moram trahant. hoc genus medicamenti Alex.ad sydera tollit. auertere et possunt vomitus materiam morbosam helleboro excitati, vt Auic. qui tamen iubet à lenioribus esse inchoandum. Præcipuè confert, si tempus æstiuum, vt Haly, & si post cœnam, si credendum Paulo,& iam declinante morbo, si Rhasi. Conueniūt & acria clysteria,& glandes,vt Ser.quibus sæpe vtendum venit, Auic. Rh. Et præcipuè inchoante morbo: Qui etiam sudorem prouocantia celebrat. Attrahunt etiam irruentem humorem pyrotica auxilia, & præcipue ampullas inducentia, si longè à tentata parte admoueantur. Sicuti etiam fonticuli ferro ignito excitati iubente Rhasi. Vel frictiones dolorem inducentes, ex oleo, & nitro. Reuulsis humoribus, ad propinqua fluxus deriuetur: postea à parte læsa auferatur varijs medicis auxilijs. Quorum quędam ipsos foras euocant sensibiliter, & quædam per halitus digerunt, & insensibilem euacuationem. Foras educunt materiam ipsam cucurbitulæ cute incisa initijs musculorum admotæ, vel inanes. hæc omnia nos docet Auic. dicens. *Cucurbitulæ super capita musculorum post euacuationem affigantur & inanes, & cute incisa.* Et modum ante oculos nobis ponit admouendi dicens. *Habeant stricta capita, multo igne affigantur, & suctione forti & laboriosa, & remoueantur velociter. Sint multæ, aut paucæ secundum partium læsarum magnitudinem.* Educunt dropaces, & sinapismi, vt Paul.qui ita sint vigorosi,vt vesicas proritent suasore Auic. & ante ipsum Gal. 10.de comp. Med. secundum locos. Arbitror ego à cucurbitulis ordine illo admotis, & à vesicantibus materiam internas partes infestātem ad externas quàm facillimè euocari, & educi: prius tamen relaxandæ sunt tales partes humentibus frictionibus, atque fomentis, quod fortè respiciēs Paul.

Mes. Mes. Paul. Rhas. Alex. C.2.

Paul. ante sinapi vsum imperat lauacrum, & balneum, qui etiam decreuit imponi medicamenta læsis partibus, quæ cruentare possint. *Immo si perseueret resolutio carnem, quæ intra articulos resoluta est, attractam ferris oportet candentibus, exiguis, tenuibusque transmissis adurere.* Hæc ille. In halitum resoluunt inunctiones ex oleo scyllino, cui aliquid ceræ sit additum, vt adhæreat, suasore Paulo. Vel oleo, nitro, sulphure, & sinapi fricentur, vt Auic. vel fomenta parentur ex aqua salsa, vel naturali, qua sulphur fuerit incoctum; probat Mes. impulsore tamen Hermete oleum Vulpinum, semper autem ante inunctionem pars aspero panno fricanda, vsquequo rubescat suasore Haly, vt facilius facultas medicamenti ad interna permeet, & functio languida excitetur, admoueātur autem semper origini illorum neruorum, aut musculorum, à quibus pars mouetur, decretum non solùm Gal. sed omnium Medicorum. A multis summoperè laudatur oleum è castoreo, vel de euphorbio: omnes aquæ sulphureæ à Mes. Rhas. & Auic. Celebrantur, probat Paul. omnibus alijs actis. Recentiores luta sulphurea, bituminosa, ac salsa probant, ante quorum vsum, necnon etiam inunctionum pars fricetur, & aqua ardenti abluatur, vel exasperetur summa cutis sinapi, vel vrtica, quibus semper admiscere debemus aliquid stipticitatis habens, vt squinantum, Auic. narrante: & ne siluam omnium localium medicamentorum percurram, paucis dicam vtilia esse quæcunque præceptore Oribasio, vim digerendi possident, & pituitam euocandi: attenuat, foras educit, ac morbosam temperiem transmutat febris prouocatio ab Auic. instituta, sicuti etiam Theriaca, Mithridatum; confectio anacardina, assa fætida, & opoponax, vt Mes. vel aureus vnus castorei, & piperis, vt Auic. qui inter oīa commendat assam fætidam bis in die desumptam, aut drachmam vnam stæcados quotidie cum syr. mellino. Rhas. acorum conditam; hæc omnia efficere valent ligni indi, saxafrassi, & salsæ decoctum, ante cuius potum singulo mane sumat infirmus drachmam mediam theriacæ, aut castorei, aut mithridati. Si leuiora cupis, nucis muscatæ, & conseruæ è floribus betonicæ, & rorismarini conuenientem quantitatem, à quorum potu sudor excitandus venit. Hæc omnia & intemperiem, & materiam ab ipsa genitam auferre possunt. Rhas. Auic. Auic. Serap.

Si opponitur resolutio spasmo, vt Gal. decreuit lib. 3. pror. procul omnidubio consonum erit rationi resolutas partes retrahere, in vnum cogere, ac vnire. hanc curationis speciem cognouit Auic. dicens. *Cum membrum redit ad se, oportet, vt ipsum exercites, constringas, & dilates ipsum, vt ad integram redeat sanitatem.* Symp. Com. 3.

Victus siccior vtilis, potio modica, sitis, & frictio; item gestationes curru, aut lectica, aut vehiculo, postea ducantur ad balnea naturalia. hæc Paul. Victus.

Si frigiditas resolutionis sit origo, calidis solùm medicamentis curanda venit. iubet hoc Gal. 4. de l. aff. sic. *Piscator quidam, cum in fluuio pisces venaretur, adeo circa sedem, & vesicam infrigidatus est, vt ipso inuito effluerent, & alui excrementa, & vrina. atque hic quoque per calida remedia affectis musculis adhibita, celeriter sanus euasit.* & docente Alex. est à medicamentis purgantibus omnino abstinendum, *his igitur & vinum mo* C. 4.

deratum vetustius, allia, porra tum per se, tum cum sale comesta, apium, petroselinum, daucus, item quæ piper recipiunt; sin autem morbus in vetustatem incidit, etiam aquæ naturales, hoc est, quæ sponte sua calidæ ex terra prosiliunt, conueniunt.

At si siccitas cum caliditate infestet, refrigerantibus sensim, & humectãtibus potionibus, & cibis vtendum magis consulo, vt cremore ptisanæ, aut auenæ, at chondro: inter olora intybis, aut lactucarum caulibus, admisceatur aut his tum asparagus, tum radix apij: & aues conueniunt. Summatim vniuersus victus, qui refrigerare, ac contemperare potest, nihil crassi succi in se continens; Vinum sit aquosum, & non adeo vetustum: quare etiam vinis factitijs interdicatur, præterquam rosato, & violato. Alex.

De Tortura Oris, quam multi Cynicum spasmum vocant.

MVlti hunc affectum caninam conuulsionem, vel cynicum spasmum dixerunt, inter quos est Aret. & Aet. non pauci, vt Galen. 4. de l. aff. Paul. & Alex. hunc resolutionem semper vocauerunt. Est hæc affectio cõtorta, ac vitiosa faciei figura à musculorum alteram eius partem, aut dexteram, aut sinistram mouentium morbosa læsione. deformiter faciem cõtorqueri ab omnibus affirmatur medicis, & ab oculis intuentium dilucidè videtur. Affectos esse musculos, quatenus existunt motus instrumenta, non est alienum à ratione, cum ab ipsis benè valentibus omnes motus voluntarij oboriantur, & ab eorum noxa aut pereant, aut infirmi mancam edant operationem: cum igitur illi, qui varijs faciei motibus deseruiunt, malè affecti fuerint, figura illius vitiatur partium conuenienti positione inalterata, à qua conformatio concinna eius dependet: Musculi malè afficiuntur, si aut contrahantur ad propria initia, aut resoluatur; ad eorum enim conuulsiones partes faciei contrahuntur, & ad resolutionem laxantur, & prælongæ apparent: has duas causas cognouit Auic. dicens. *& eius quidem causa aut est mollificatio, aut spasmus lacertorũ palpebrarum, & faciei:* conuelluntur autem, & retrahuntur ab illis causis, de quibus præteritis cap. sermonem satis longum habuimus: at non tantummodo neruis illis, qui ad faciem perueniunt, oblęsis oris tortura oritur; sed etiam malè affecto cerebro, si credendum est Gal. 4. de l. aff. cuius verba. *Facies reliquis in locis omnibus non solùm motum, verum etiam sensum, aut perdit omnino, aut vitiatum habet, interdum partibus, quæ læsas habent actiones, proprio affectu laborantibus; interdum verò neruis, qui à cerebro ad eas deferuntur, denique ipsomet affecto cerebro.* ego autem, sicuti etiam omnes scriptores, de illa specie cynici spasmi, qui ortum trahit solummodo ab offensa neruorum, aut musculorũ, qui eam varijs exagitant modis, verba habere decreui. cum enim cerebrum malè afficitur, non tantùm altera pars faciei noxam patitur; sed etiam reliquum corpus rectitudine seruata.

C. 2.

C. 2.

Quis Morb. Sub morbo in vitiata figura oris torturam Auic. posuit his verbis. *Ipsa est*

est morbus officialis in facie, propter quam trahitur pars faciei ad partem non naturalem, & alteratur forma eius naturalis, & remouetur bonitas obuiationis vtrorumque labiorum, & ambarum palpebrarum ex parte. Nec mirum; multæ enim faciei actiones, quæ à motu proficiscuntur musculorum, aut auferuntur, aut minuuntur, vt risus, & oris omnes operationes, quas statuit Gale. lib. 4. de anat. admin. quinque numero esse. hoc tamen in figura vitium ab aliquo morbo pendere confitendum est, à quo partes faciei prohibentur proprio situ permanere, atque consistere. C. 2.

Notas quibus hæc cognoscitur passio, ante oculos nobis posuit Aret. dicens. *deprehenduntur ridendo, loquendo, & conniuendo: si quidem læsæ partes omnes cum violentia trahuntur, labium risu caret, inter loquendum non mouetur, oculus intentus ac rigidus, & palpebra non volubilis: at sana econtra.* Sciendum tamen est docente Paulo, *non illam maxillam, quæ peruersa esse apparet, sed oppositam resolutione infestari.* cuius sententiam irridet Auic. At Paul. ni fallor, sequutus est Gal. sententiam, qui lib. 4. de l. aff. iam citato hæc scripta reliquit. *Quod si vnus duntaxat vel musculus, vel neruus quoquomodo sine primaria affectione, siue per consensum fuerit affectus, pars ipsa in aduersum trahitur musculum: nam resoluto musculo, qui dextram labri partem mouet, ipsa ad sinistram deflectitur, at si is, qui sinistram mouet, resoluitur, ipsa trahitur ad dexteram. haud secus, & totam mandibulam, & narium pinnas, & genas vtrasque, quas a musculo lato moueri didicistis, in aduersam partem deflecti contingit. id aût per neruos non à tertia coniugatione, sed à ceruicis vertebris procedentes, efficitur.* Signa. Trahitur autem pars ægra ad sanam: quoniam musculi sanam mouentes, cum ab oppositis non impediantur minimè agentibus, maximè ad sua principia contrahuntur, sicuti varijs in locis demonstrauit Galen. ad quorum contractionem pars ægra trahitur, præcipuè cum copiosiori facultate sint præditi, quæ ob impedimentum ad ægram partem non fluit: at in vehementi laxatione, aut virtute imbecilla existente nulla fit contractio, aut ferè sensum fugiens, in magna enim partis grauitas impedit, ne trahatur; & virtus imbecilla mouens prohibet, ne sana admodum contrahatur. in debili musculi mouentes partem ægram non omnino priuati sunt sua operatione: vnde non permittunt, vt illi parti sanæ deseruientes perfectè contrahantur. & ideo hæc dixit Auic. *si debilis fuerit resolutio, non trahit partem, sed mollificatur sola.* Auic. At si faciei aliqua pars distorqueatur conuulsa, sana trahitur ad ægram; a spasmo enim partes fiunt breuiores, ad quarum breuitatem continuæ omnes aliæ vi retrahuntur: & ideo certum non est signum statuere pro firmo partem ægram trahi à sana, nisi os contortum pendeat à resolutione; si enim à spasmo originem ducant, sana trahitur ab ægra, vt iam demonstrauimus. qui quidem spasmus interdum à repletione gignitur, & interdum à siccitate, sicut litteris prodidit Rha. 1. cont. & 9. ad Alm. qui statuit rarò fieri torturam oris à resolutione, sed vt plurimum à conuulsione, cuius sententiæ subscribit etiam Auic. Auic.

Signa autem, quæ nos ducunt in cognitionem talis diuersitatis, varia existunt: nam si à resolutis musculis, aut neruis, indicant cutis mollities, palpebræ relaxatio ad inferiora tendens, copiosa pituita ab ore fluens, & A Resolu.

stupor,

stupor, vt plurimum talis partis. si vero ab eorum conuulsione, cutis densa euadit, dura, atque rugosa ob contractionem, quod tamen negat Auic. & oculus partis sanæ minimè claudi potest. vt Haly. placet. adde aut nullam, aut paucam saliuam ab ore effluere: præcipuè si conuulsio à siccitate fiat, quæ interdum in febribus acutis, post immoderatas euacuationes inuadere solet ægrotantes, vt Rha.

Auic. Prog. Hæc cæteris est grauior, cum ab inanitione fiat teste Auic. sed si à copioso humore producatur, aut futuram epilepsiam, aut apoplexiam portendit, aut paralysim. ægrè suscipit curationem. si transcendit spatium sex

Auic. 1. Cont. mensium, vt Rha. qui tamen affirmat se vidisse senes hoc malo correptos, & ab ipso vexatos per curriculum viginti, & triginta, & quadraginta annorum, qui tamen alio morbo non fuerunt afflicti.

Cura. Cum igitur tam grauia mala minatur, nulla interposita mora ad vigorosa auxilia confugere debemus: vehementi igitur euacuatione, si humo-

C. 16. res erunt in causa, vtendum venit suasore Auic. vnde Rh. ad Alm. iubet

C. 17. incipiendam esse curationē cum pil. fœtidis; attamen paulo inferius Auic. vsum purgantium omnino damnat in principio dicens. *non moueatur tortus vsque ad quartum, aut septimum, & si natura fuerit sicca, moueatur die secundo cum clysteri: neque facies euacuationem cum debilibus non sufficientibus, donec digestio aliqua fiat*. dicerem ego, si non timemus aliquod futurum malum, exhibenda non esse purgantia, sed materia coquenda, ac maturanda, at si imminent, forti, vt dixit, medicamento, euacuanda veniet & non debili, & insufficienti: impetus enim humorum à leui medicamine non subtrahitur, nec euacuatur, sed potius exagitatur, & commouetur: si nihil prohibuerit, non solùm probat purgationem Aet. sed etiam venę sectionem. ad inferna attrahunt & clysteres, vt Auic. qui tanquam expertū commendat vsum drachmæ vnius Hermetis hierę per mensem integrum: non tantummodo enim obnoxium humorem expurgat, sed attenuat, & inalterat. Conueniunt præterea omnia illa materiam remouentia, quæ & paralysi, ac spasmo à repletione conducunt. Subductis humoribus deriuentur, & à parte infirma auferantur. Deriuantur per illa, quæ naribus iniecta, sternutationem excitant, vt Mes. & Rhas. hoc efficiunt & gargarismata, quæ pituitam educunt, sicut Paul. & transacto principio docente Auic. ne attrahatur ad partem læsam humor. vtrumque auxilium & Orib. & Aet. instituerunt. probat Rh. sinapi cum syr. acetoso ore detentum: conuenit etiam venæ, quæ est sub lingua, sectio, vt Aet. quam tundere imperat Auic. si signa sanguinis adfuerint. præcipue si lingua resoluta fuerit, si Paulo credendum. Foràs à vertebris educant humores spasmum, aut resolutionem suscitantes cucurbitulæ duobus verticulis impositę, vt Aet. cute tamen non incisa suasore Auic. mento affigantur, si lingua tali noxa fuerit vexata, vt Paul. A parte læsa educunt cauteria: vnde Mes. iubet vnum post aurem, & duo, vel tria in spondylibus facienda esse. Iudæus referente Rhasi probat vstionem venæ post aurem, sed hoc alijs medicinis tentatis docente Auic.

Attrahunt etiam ad summam cutim rubificantia, vt quæ ex sinapi, & & thapsia parantur, si initio neruorum admoueantur. hæc Auic. Aet. &

Mes.

Mes. insensibiliter euacuant inunctiones ex oleo costino, vt Rh. ad Alm. vaporationes ex decocto origani, piretri, synapi, foliorum lauri, sampsuci, camomillæ, & meliloti, sicuti Serap. post cuius vsum inungatur, vt Mes. & ablutiones ex aceto, & sinapi mirabiles referente Auic. sicut etiam sicca fomenta, quæ præcedant frictiones; laudant Indi ipso narrante carnem admotam leporis, vulpis, cerui, asini syluestris, & hirci, quæ sit elixata. Inalterant, & absumunt, necnon etiã roborant confectio anacardina, cuius quantitas sit aureus singulo mane desumptus, vt Rhas. vel zinziber, & acorum conditam mane, & vespere sumat, sicut Auic. ore detineatur nux muscata castoreo admista iubente Rha. ad Alm. Victus ratio sit talis, qualis capite de paralysi fuit descripta.

Pars ægra distorta est omni medico artificio ad propriam figuram reducenda. imperat Aetius ligaturam, quæ ad oppoposita reducat, vocat hanc Paul. capistrum: vel ligetur pars secundum formam naturalem, vt Auic. qui statuit ægrotantes intueri specula, vt videntes os tortum, ac deturpatum figura, adhibeant diligentiam in partibus faciei resolutæ aptãdis, ac accommodandis. Si spasmus a siccitate erit huius affectus causa, humectantibus vtendum venit. etiamsi, sicuti legitur lib. 9. ad Alm. omnino desperata sit salus talis offensæ.

De Conuulsione, vel Spasmo.

Est conuulsio partium mouentium ad propriam originem præter voluntatem contractio ob earum breuitatem. Earum esse contractionem ad suum initium legitur 3. de l. aff. ita. *Quippe si omnis motus, qui à voluntate procedit attractis musculis in eas, in quibus innascuntur partes, fieri videtur, neque possit fieri attractio, nisi ad suam originem retrahatur Musculus: constat conuulsionem in conuulsis partibus factam, hac sola ratione à motu naturali differre, quòd præter voluntatem fit.* hæc patefecit etiam lib. 1. de sympt. caus. sic. *Conuulsio neruos, musculosque ad eundem cogit affectum, in quem ab animali facultate, cum naturalem habitum seruarent, ducebantur.* Nam, vt peroptimè reliquit scriptum lib. de Tremore, & Palp. *Tendi, contrahique musculum in proprium principium, secumque illam corporis partem, in quam insertus est reuelli, benevalentibus, conuulsisque commune profectò est.* Ob earum breuitatem hanc oriri nemini obscurum: si enim debitam, ac conuenientem longitudinem seruarent, minimè fieret partium contractio, sed situ naturali, ac figura permanerent. & ideo omnes Medici Græci, Arabes, atque Latini affirmant harum partium minui longitudinem, & augeri latitudinem. ad breuitatem enim illius extremi, à quo incipit motus, necessario alterius extremi sequitur contractio, atque tensio. Breues euadunt ob geminam causam partes motui deseruientes: aut quia docente Galeno 5. aph. multo imbuuntur humore, aut præter modum exiccantur: cum enim humor, sicuti legitur 3. de l. aff. *madefacit ipsas, in tumorem præter naturam attolluntur*, omne autem quod intumescit, breuius euadit; augetur enim latitudo, ad cuius augu-

Quid. | C. 6. | C. 8. | 3. | C. 6. | Auic.

augumentum minuitur longitudo partes extendens. A nimia etiam siccitate breues fiunt partes; in vnum enim coguntur, dēsantur, & corrugantur. quod habemus lib. 5. aph. his verbis. *sic etiam fit sicciore cæli conditione: nam in seipsa coguntur, & conuelluntur omnia corpora neruosa violenter exiccata, veluti quæ ad ignem diu excalfacta sunt lora, & quæ similiter sol æstiuus exiccauit.* nec mirum, cum omnia corpora neruosa lentorem quendam, & viscositatem quandam habeant, in quæ cum agit aut calor, aut siccitas, earum partes necessaria quadam continuitate in vnum densantur, & corrugantur, ad quarum pręter modū excedentem densationem quantitas minuitur & secundum longitudinem, & secundum latitudinem æqualiter, vt decreuit Auic. exemplo sint nobis chordæ, quæ lyris, aut cytharis adaptantur. hoc nobis ante oculos ponit Gal. non solum 5. aph. 1. de sym. Caus. 3. de l. aff. sed etiam diligentissimè lib. de Tremore, & Palp. his verbis. *Equidem nihil extra corpus magis neruosum est inuenire chordis, quas videmus quotidiè in lyris, & cytharis, à cytharædis tēsas quidem cum instrumentis illis vti decreuerint, remissas verò cum ab illorum vsu defecerint, instrumentaque deposuerint. Hæ autem chordæ ob immoderatas continentis complexiones rumpuntur ob humidas, australesque madefactæ, ob siccas, aquilonaresque vehementer exiccatæ. quocirca cytharædi instrumenta deponendo illorum chordas maximè remittunt. præcipuè cum continens prædictas complexiones habuerit: chordæ enim tensæ vtroque modo rumpuntur. Itaque neruos, tendinesque in animalium corporibus, siue ex humore superfluo tensos, siue ab exiccantibus causis arefactos ad tantam deduci extensionem, quanta beneualentibus satis erat, vt hi suos voluntarios motus absoluerent, cogitato.* Omnes causas, quibus breuiores fiunt

39. neruosæ partes, ad duas reduxit Hip. lib. 6. aph. sic. *Conuulsio vel à repletione, vel euacuatione; ita verò & singultus,* Replere possunt omnes humores, vno excepto bilioso, qui ob sui acrimoniam, antequam repleat neruorum aliquam originem, à natura expellitur, nisi admixtus esset pituitoso succo, vel natura partis non admodum esset sensitiua. asserit Auic. materiam non ingredi substantiam neruorum, propter suam crassitiem, sed detineri in meatibus insensibilibus, qui vt plurimum imbuuntur pituita,

56. & quandoque melancholico succo docente Hip. 6. aph. & 5. aph. sub hac
70. continetur etiam illa conuulsio, quæ à phlegmone, aut inflammatione oboritur, ad repletionem enim reducitur teste Gal. 12. Meth. c. 8. de hac
C. 8. specie agit ille lib. de Trem. & Pal. dicens. *Insuper euenire posse aliquam corporis partem aut ob inflammationem, aut aliqua alia de causa vehementer affectam neruos sibi continuos secum reuellere intelligito.* etiamsi, vt omnes recentiores affirmant sub conuulsione à repletione oborta, hæc collocetur: attamen non possum ego mente concipere conuulsionem fieri à repletione nullo infestante humore, aut vapore, aut qualitate materiali neruosas partes, sed tantummodo ob nexum, & continuitatē illas retrahi, & reuelli: refarciunt præterea neruos flatus narrante Gal. 2. de symp. caus.

Cap. 2. Auic. sic. *ita Conuulsio eodem modo accidere solet: nam & spiritus inflare potens in ipsis generatur & complures affectus, qui illos intendere queant, quemadmodum phlegmone. atque omnes ij in duo capita reducuntur Hip. authore,*

pleni-

plenitudinem, & inanitionē. Statuit Auer. semper spasmū à flatu, aut aerea substantia gigni. à cuius sententia quoquomodo non abhorret Abynzoar affirmās aut ab humiditate replente, aut à vapore ab ipsa humiditate suscitato procreari. Humorum pituitosorum illuuies facile creatur in illis, qui Cereri, ac Baccho sunt dediti. quod scriptū habemus 3. de l. aff. his verbis. *Si verò temulento cuipiam ac omnino pleno homini, qui videlicet in otio degit, id euenire conspexeris, à repletione ortum trahere iudicabis.* C.6.

Exiccantur partes motui deseruientes, ac in vnum coguntur à varijs causis, quas ferè omnes recenset Gal. eodem capite sic. *Quippe cum conuulsio fit vel à labore, vel vigilijs, vel fame, vel solicitudine, vel arida æstuantique febre, qualem in phreniticis videre est, causam eius esse ariditatem, vacuationemque rectè putaueris.* & lib. de Trem. & Palpit. hæc. *Conuulsiones vtiq; fiunt ob excellentem morborum siccitatem, qui vehementer neruosum membrorum genus exiccat; in febribus igitur ex ingenti ardore hoc solum ob siccitatem sanè accidit. sed phreniticos ob principij neruorum inflammationem illud accidens profectò sequitur.* Non igitur solum ob priuationem humiditatis, atque carentiam fit spasmus, sicuti legitur 3. de l. aff. sic. *His præcognitis haud difficile inuentu fuerit, vtrum ab ariditate, quæ est humidæ essentiæ defectus, & vacuatione, &c.* sed etiam ob siccitatis præsentiam, veluti cum à morbis exiccantibus originem trahit, vt superius narrauimus. Exinaniunt neruosas partes superfluæ purgationes, vt quæ ab elleboro, si credendum Hipp. 5. aph. & sanguinis copiosa profluuia, vt aph. 3. sic & vomitus vt Paul. & quælibet alia superflua euacuatio, sicut Auic. Præterea Aquilonares flatus, & perfrigerationes: statuit enim aph. 17. neruis frigidum excedens conuulsiones afferre; nam in vnū coguntur partes teste Gal. & constringuntur, à quarum constrictione aut omnino exinaniunt, aut humores ad intimiora repulsi à frigore illas replent, ac madefaciunt. vehementissimum aūt frigus, vt scribitur 12. Meth. quale gelū, hæc efficit. qui quidem spasmus narrante Auic. est ex siccitate cum congelatione humiditatis. Adinuenitur præterea aliud genus conuulsionis, quæ nec à repletione neruosarum partium, nec earum exinanitione suscitatur; sed vt plurimum ob distributionem alicuius qualitatis partibus impartitam oboritur. hunc spasmum appellat Auic. improportionatum. cuius verba. *Quandoq; fit spasmus, qui ad materiam non proportionatur, eueniens à causa rei nocentis, à qua nerui contrahuntur ad expellendum ipsam. talis est humor calidus, & mordax, aut venenata qualitas ad cerebrū & ad neruos perueniens.* vel aliquis vapor non sua copiosa humiditate, sed praua qualitate neruorum sensitricem facultatem stimulante, ac feriente conuulsionem proritare potest: ob timorem etiam conuelluntur membra: dum enim retrahuntur spiritus, & musculi contrahuntur ad eorum originem. Vocatur hæc conuulsio per consensum: vt plurimum hoc genus à vētriculo malè affecto ortum ducit. quod reliquit scriptum Gal. 5. aph. sic. *Fit etiam, vti dicebam, per consensum cōuulsio, quam ab Hip. prætermissam fuisse credibile non est; nam eam, quę primario fit, conuulsionem declarauit, cum spasmum ex inanitione, & repletione oriri dixit. Quin etiam vellicationis stomachi ratione in eo singultum fieri non ignoramus, adeo vt neruos*

Margin notes: C.8. — C.6. — 1. — C.8. — 1. Per consensum.

etiam similiter affici putes. quod conuulsionis genus in ijs quoque, qui vera-
tro purgantur, fieri interdum videbitur, quod Hip. silentio præterijt, nisi cre-
C.6. *do propter inanitionem accidere dicat aliquis, quia mordaces scilicet humo-*
res siccandi vim habeant. quod confirmat lib. 5. de l. aff. dum narrat
nonnullos conuulsione tentatos vomitu humoris porri succo similis, aut bi-
liosi sanitatem protinus recuperasse. & subdit. *Atqui horum accidentium*
vix vllum crederes à ventriculi ore procedere: quamquam non pauci ad
ipsum ex cerebro nerui perueniunt, non tamen tot esse videntur, vt per eos
tantus sit principij cum ore ventriculi consensus, vt inde conuulsio in-
ferri possit.

Est spasmus morbus in figura partium vitiosa: Est symptoma motus
Cap.1. sub genere deprauati, sicuti legitur 2. de sympt. Caus. dependens à solo
morbo; solius enim morbi palpitatio, & conuulsio: sicuti naturæ, & mor-
bi tremor. Deprauari figuram visus peroptimè cognoscit earum partium,
quæ conuelluntur ad propria principia mouentia: semper enim narrante
39. Gal. 6. aph. Conuulsio fit, vt ipsum nomen indicat, vulsis ad propria capi-
ta musculis, vel, vt apertius dicam, reuulsis. Ad quorum inuoluntariam
motionem, partes, quibus inseruntur, mouentur nec propriam figuram,
nec situm seruantes. Non autem musculi primò afficiuntur, sed nerui illi,
qui ad illos peruenientes prębent motum, ad quorum contractionem mu-
C.vlt. sculi conuelluntur: vnde 1. de symp. Caus. hæc. *Si verò manus, vel crus,*
vel musculus vi quapiam distenditur, aut conuellitur: ad illum semper ner-
uum, qui partem mouet, referenda est noxa. Ab his verbis potiùs conclude-
re debemus non musculos oblædi, nisi consequutiue sed neruos præcipuè,
C.6. ac semper. Quod etiam litteris tradidit 3. de l. aff. dilucidissimè præueniēs
aliquem dubitantem. sic. *Ipsa sit omnium neruorum communis origo: idq;*
veluti caudex non paucorum in vna parte quemadmodum ramus: vt si vel
crus, vel altera manus forte fortuna conuellatur, totius membri conuulsio,
neruorum, qui ad ipsum proueniunt, originem affectam fuisse declarat, rami
cuiuspiam exemplo in arbore quòd si vniuersum corpus afficiatur, communē
originem, quæ arboris caudici proportione respondet, affectam esse putandum,
C.8. *quæ sunt primæ spinalis medullæ partes.* Et ideo lib. de tremore, & Palp. hęc
pronunciauit. *Itaque neruos, tendinesque in animalium corporibus, siue ex*
humore superfluo tensos, siue ab exiccantibus causis arefactos ad tantam de-
duci extensionē, quāta beneualētibus satis erat, cogitato. Primò n. mentio-
nem facit de neruis, deinde de tendonibus: cum neruus prius afficiatur,
C.vlt. deinde tendo, cū semper ad neruum referenda sit offensa, sicut 1. de symp.
Caus. legitur. Et parui mea refert, garriant quicquid imaginantur aliqui,
si varijs in locis musculorum conuulsionē esse affectionem statuat: nam
talibus in libris non præcipuam, ac principem partem læsam respicit; sed
magis notam sensui, & immediatam, à qua emergit motus.

Differentiæ. Multæ extant huius affectus differentiæ: quædam enim totum corpus
infestant, & quædam vnicam partem tantùm, ac singularem excruciant.
Quę totum corpus tenent, terno distinguuntur discrimine referente Gal.
C.8. lib. de Tremore, & Palp. sic. *Nam huius passionis modos, hunc quidem Em-*
prosthotonum, illum verò Opisthotonum: tertium autem etanum, vt omnes
faten-

fatentur, esse, appellarique cognoscere poteris. Itaque cum corporis partes anterius tenduntur Emprosthotonos, cum verò posterius Opisthotonos, at cũ in vtroque latere partes æqua lance sese inflecti nequeunt, Tetanus dicitur. 4.aph.57.

Nulla cum difficultate, cognoscitur spasmus, cum sub oculis medicorũ, ad eorum originem præternaturalis partium contractio cadat, insequuntur. Hunc dolores atroces, & insignes, vt 1. Pror. com. 1. & de artic. præcipue si se mouere tentent. Et pulsus in parte læsa occurrit manui extensus, diuersus, & inæqualis, vt lib. de Pul. ad Tyrones. Si à repletione initium suæ generationis ducat, arguunt otium, vini superfluus potus, hoc enim teste Gal. 5. aph. neruos facilè replet, vt potè calidum temperamento: Et subitanea eius inuasio, si credendum illi, qui 2. aph. hæc pronunciauit. *Cum ergo valetudine secunda quempiam derepentè conuelli accidit, talem à plenitudine proficisci conuulsionem necesse est.* Siccitatem esse in causa indicant iam præteritæ, superfluæ euacuationes, vigiliæ, labores, fames, solicitudines, & ardentes febres, quas omnes causas lib. 3. de l. aff. c. 6. & lib. de Trem. & palp. enumerauit. Sed præcipuè febres vehementes teste Gal. 4. aph. quę Ignis instar neruos exiccant, & ideo eosdem tendunt, ac conuelliunt. Hoc genus spasmi, sensim, & sensim inuadit ęgrotantes conuulsio, si totum corpus occupet, hæc symptomata ægrotantes tenent narrante Aretæo lib. 1. de morb. acutis. Oẽs affatim, ac subito corripit labor, & intẽtio tendonum adest, & dorsi, & musculorũ, qui in maxillis, & pectore sunt: inferiorem. n. maxillam superiori annectunt adeo, vt neq; vectibus, aut cuneis per Iouem facilè deduci possint. Quòd si quis vi dentes abducens humorem instillauerit, non demittunt, sed effundunt, aut ore continent, in naresve retrudunt. Isthmus enim simul inhærescit, ac tonsillæ, duræ, atque intentæ, eius, quæ deuoratur, impressioni non cedunt. Facies est rubicunda, variegata, oculi rigentes, qui vix circumuoluuntur, strangulatio vehemens, spiratio vitiosa, manuum, & crurum distensio, musculi palpitantes, facies distorquetur varijs modis, labia tremunt, maxillæ quatiũtur, dentes strident, & in quodam aures mouebuntur. Hæc vtique omnibus conuulsionis generibus communia. Opisthotonus retrorsum incuruat hominem, vt reflexum caput inter scapulas locetur, in respirando stertunt, venter, & pectus prominent, lotium minime contineri potest, manus retrorsum detorquentur, & crura inflectũtur, at in Emprosthotono partes anteriores contrahuntur, dorsum rectum, vertex, & caput in pectus vergunt, mentum ossibus pectoris affigitur. Dolores omnium atroces, vox omnium flebilis, suspirant aũt mussantes profundius, in Tetano verò, vt refertur libro 4. aph. 57. partes conuelli, & retrahi non videntur, quia æqualiter retrorsum antrorsumque tenduntur, in vtroque enim latere narrante Gal. lib. de Trem. partes æqua lãce sese inflecti nequeunt. Compositus est enim tetanus ex Emprosthotono, & Episthotono, idest in partem anteriorem, & posteriorem tensione compositus, vt scribitur in com. 6. aph.

Com. 4. — C. 11. — A Reple. 5. 26. — C. 8. 66. — C. 6. — Opistho. Sig. — Empro. stho. — Tetani Sig. C. 8. — Lib. 5.

Signa, quibus ducimur in cognitionem totum initium spinalis medullæ læsum esse, aut aliquem particularem neruum, ante oculos ponit lib. 3. de l. aff. his verbis. *Quòd si vniuersum corpus afficiatur, communem originem omnium infra faciem neruorum, quæ arboris caudici proportione respon-* A spinalis medullæ læsione. C. 6.

det, affectam esse putandum est, quæ sunt primæ spinalis medullæ partes. Si verò simul cum vniuerso corpore facies quoque conuulsa videatur, cerebrum
A parte. *esse læsum dicemus. At si crus, vel altera manus conuellatur, totius membri conuulsio neruorum, qui ad ipsum proueniunt, originem affectam fuisse declarat.*

Prog. Si spasmus totum excrucians ingrauescat, non arcus modo solùm infelices ægri incuruantur, sed orbis, vt caput genibus adnexum habeant, cruraque, ac terga in priorem partem refracta sint adeo, vt genu articulus in poplitem depulsus esse videatur, inhumana calamitas, iniucundus aspectus, triste intuenti spectaculũ, & malum insanabile. Votum quoque illis, qui adsunt, prius impium, nunc honestum efficitur, ægrum vita defungi, quò vna cum vita doloribus, & acerbis malis liberetur. Magna Medici infelicitas, qui præsens, atque aspiciens neque ad vitam, aut ad doloris leuamen, aut ad figuræ emendationem quicquam opis afferre potest. Hæc Aret. præcipue autem omnem respuit medicam manũ, si ab inanitione or-
C.8. tum trahat. Vnde Gal. lib. de Trem. & pal. hæc. *Conuulsiones, quarum causa siccitas est, minimè medicaberis; his enim affecti citissimè intereunt.*
26. Quod confirmat ratione 2. aph. dicens. *Si quidem temporis multum ad siccitatis emendationem postulant nerui, & inducias non admittit morbus ve-*
1. *hemens, sed vires statim deijcit, & citam mortem affert.* Ideo statuit lib. 5. aph. conuulsionem ab elleboro esse lethalem, & aph. 3. à copioso sanguinis
66. fluxu, & 4. ab immodica purgatione, & lib. 4. pronunciauit in acutis febri-
18. bus conuulsiones, malum, & 7. aph. propter vigiliam conuulsio, malum, maximam enim teste Galen. in com. vim habet exiccandi vigilia. hæc sunt omnia, quæ spasmum ab ariditate vel inanitione suscitare possunt. A vulnere quoque conuulsio perniciosa censetur vt 5. aph. 2. non autem ex necessitate, & semper, vt placet Gal. statuenti in com. crebro admodum mortem adferentem: siquidem, vulneribus superueniunt conuulsiones inflãmationis ipsa sequentis ratione, postquam. s. partes neruosas tentauerit. Ac primum quidem conuelli videntur, quæ ex directo partibus respondẽt inflammatione laborantibus. Omnes etiamsi spasmi vniuersum affligentes futurum interitum minentur: attamen Tetanus omnium acutissimus censetur, inter enim quatuor dies intereunt, quos si effugerint, sanantur, vt Hip. 5. aph. 6.

At si spasmo, aut tetano detentis febris accesserit, morbum soluit, vt ha-
57. bemus 4. aph. febres enim si credendum Galeno partim superfluam humiditatem digerunt, partim frigiditatem concoquunt: repetit ferè hanc sen-
5. tentiam Hip. 5. aph. dicens. *Si ebrius quispiam de repente obmutescat, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur.* Et lib. eodem aph. 70. *Conuulsione correpti quartana liberantur.* In cuius dilucidatione Gal. hæc. *Quibus liberandis cum duplex sit comparata ratio, excretio, & coctio, vtranque habet quartana, excretionem quidem vi rigoris, eiusmodi enim concussio, sola potest crassum humorem excernere, coctionem verò caloris ratione rigorem*
26. *excipientis.* Et ideo statuit 2. aph. conuulsioni febrem accedere satius esse, quàm febri cõuulsionem. Attamen non est semper affirmandum conuulsionem superuenientem febri ab inanitione pendere: potest enim eueni-

re, vt à natura interdum ad originem neruorum propellatur humor, qui erat in causa, aut eius aliqua portio, & hic non valdè malus, si credendum Auic. & rationi.

Si à frigida, ac humida materia replente neruos, vel tendones conuulsio generetur, ad duo potissimùm diligens Medicus debet totum animum dirigere, quæ duo nos docet Galenus 5. aphor. hæc sunt humoris excretio, & eius coctio, cuius verba. *Fit conuulsio lentis, & pituitosis humoribus partes neruosas infarcientibus, & obstruentibus. Quibus liberandis cum duplex sit comparata ratio, excretio & coctio, vtraque habet quartana &c.* At non tantùm his tentanda est curatio, sed etiam symptomati, vel morbo est obuersandum. 70.

Excernitur, vel euacuatur humor varijs modis, scilicet reuellentibus, deriuantibus, & à loco læso abducentibus. Initium curationis ab euacuatione de sumendũ esse iubet Gal. lib. de Trem. & pal. ideo si sanguinis indicia apparuerint, vena secetur longè tamen à locis conuulsis, si totum non teneat, probat venæ sectionem Gal. lib. de sang. Mis. aduersus Erasist. at pauca sit quantitas, vt lib. 1. ad Glauco. frigidus enim est morbus, & vires resoluuntur, vt placet Haly, at Paul. liberalem commendat sanguinis missionem, si pluribus vicibus fiat. Præcipuè extrahatur, si à vini repletione procreetur Auic. iubente. At Aret. siue ob refrigerationem absque manifesta causa rigor scilicet Tetanus inuaserit, siue ex vulnere, siue ex abortu, venā in cubito rescindere iubet curans in deligando brachio laxiorem compressionem fieri, ne dolor & conuulsiones magis excitentur: deinde purgentur hiera, vel pil. de euphorbio, vel fætidis, vt Auic. cum calefacientibus, & permeantibus, & vigorosis, vt cum pil. plenitudo tollatur teste Serap. præcipuè si partes superiores infestentur; aluus enim sæpe ducta superiores partes resoluit. Probat Orib. ad mentem tamen aliorum centaurij succum. C. 8. Rhas.

Interim, si morbus protrahatur, coquatur materia incidentibus, & attenuantibus, talia extant syr. de stæcade, hissopo, betonica, ac oximelle, quod maiorem affert vtilitatem scindendo humores, quàm sua siccitate, ac frigiditate neruis detrimentum. auertunt quoque & acria clysteria, vt Mes. & Ras. quæ ex collocynthi. decocto, & centuarij parentur, vel trochiscis alhandal, melle, & sale glandes conficiantur, sicut etiam frictiones ab Orib. celebratæ. Diuretica, vel vrinam cientia ab Auicē. quandoque probantur. Extremis partibus adurentia applicentur, vel rubificantia, ita vt ampullæ excitentur. sicut est illud, quod ex euphorbio, castoreo, nitro, & pyretro paratur medicamentum ab Aretæo vsurpatum: sed inter omnia totum euacuantia sudor primum locum tenet, à singulis enim partibus quicunque humores iam liquati foras erumpunt. ideo Auicē. imperat sudorem prouocādum esse, aut balneo sicco, aut lapidibus ignitis vino aspersis: nos autem possumus stuphis, ac varijs modis, ac instrumētis ipsum ciere, quem præcipiente Paul. lanis oleo madentibus abstergere debemus. Deriuatur, & interdum etiam ob partium vicinitatem, & sympathiam eodem tempore euacuatur cucurbitulis locis, à quibus originem trahit affectio, admotis. vnde Paul. hæc. *Si verò malum hoc modo non finiatur, cucurbitulas cum scarificatione admouere prodest si crura contrahantur, coxis, &* Pau. Auic.

postre-

postremæ vertebræ, si manus dorso, & primæ vertebræ: & vbi de tetano sic, vt cutis exasperetur, ceruicibus, defigantur, vtrique spinæ parti, adhæc pectori, præcordijs, interim vesicæ loco, ac renum. Si morbus est leuis, vt Auicen. placet, affigantur sine scarificatione, at si grauis, cutis incidatur, ne materia ad partes illas attracta ibi remaneat. Sunt præterea alia genera auxiliorum materiam illam in parte impactam abducentia, quorum quædam sensibiliter educunt; & nonnulla insensibiliter ipsam foras euocant, atque euacuant, hæc digerentia appellantur, & quæ vim concoquendi habent. Attrahunt ad summam cutim humorem obnoxium, atque illum euacuant synapismata, & vstiones ferramentis infixæ initio neruorum omnium, aut illius, à quo pendet talis determinatæ partis motus. hæc nos docet Celsus his verbis. *Eædem aut ferramentis, aut synapi adurendæ, si vehementius dolor creuerit:* à synapi enim sæpè ampullæ quædam oboriuntur, à quibus foras emanat lædens humor, aut sinciput, à quo omnes noxæ scaturiunt, euphorbio, nitro, pyretro, & castoreo illinatur authore Aret. per halitum, & insensibiliter educitur digerentibus, à quibus dissoluitur humiditas, & calefacientibus superatur frigiditas, quæ duo ante oculos posuit

Orib.

57. Trãslatio plantij. tanquam præcepta animo custodienda Gal. 4. aph. ita *Hisce igitur spasmis accedentes febres partim superfluam digerunt humiditatem; partim frigiditatem concoquunt, quæ duę sunt medicis remediorum indicationes, ad quas tanquàm scopos totam curandi spasmi ex plenitudine orti rationem dirigere solent.* At in translatione Nicolai Leoniceni non leguntur hæc partim frigiditatem concoquunt. sed partim calfaciunt frigiditatem, quæ videntur magis rationi consona: coquuntur enim propriè aut alimenta, aut humores, & qualitates transmutantur. Digerunt, vel dissoluunt, attenuant, ac rarefaciunt, vt plurimum, quæ acria, & amara existũt, vt 8. de simp. med. facul. quæ tenui prædita sint substantia, veluti 4. simp. facul. *digerunt tandem per halitum omnia, quæ calida, & sicca,* si credendum Gale. 14. Meth. dicenti, *sed & acria medicamenta illita per halitum digerunt, omniaque uno verbo, quæ calfaciunt, & siccant.* nonnulla tamen & calida, & humida cutem rarefaciunt, & sudorem eliciunt, si humores corpore detenti subtiles, & si crassi, & glutinosi minimè hæc efficere possunt; hoc tamen operantur acria omnia, & calida, & sicca, tenui essentia prædita. Actuarius probat discutientia, quæ insignita sint emollienti facultate, vt est irinum, quod ex musto appellatur. Paul. iubet partes confricandas esse oleo rutaceo, aut sycionio, aut veteri, vel, vt Aret. corpus lanis oleo crocino madentibus, quibus artemisia infecta, inuoluatur. his addere possumus castoreum tam celebratum ab Orib. Aet. Paul. & Serap. vel fiat empl. *ex styrace liquida, euphorbio, castoreo, cera citrina, & oleo de lilio. hoc præstant insessiones, aut in aquis thermalibus, vel oleo vulpino, vel in decocto catulorum, vel ciperi, calami aromatici, & foliorum lauri: at paruo temporis spatio commoretur in tina; nam dissoluitur virtus.* hæc omnia Auic. commendat Ras. stuphã, vel balnea sicca: Conueniunt & fomenta varijs decoctis instituta vt Aret. sint hæc humida, & calida: itaque pleriq; aqua calida multa ceruices subinde perfundunt, id in præsentia leuat; sed opportuniores neruos frigori reddit: quod vtique vitandum est. vtilius igitur est cerato liquido ceruicẽ

Digerẽtia quę. C. 7.

per-

perungere: deinde admouere vesicas bubulas, aut vtriculos oleo calido re-
pletos, vel piper rotundum cum fico contusum: vtilissimum tamen est hu-
mido sale fouere. hæc Cel. quod auxilium ab Auic. & Rasi mirum in modũ
celebratur. est tamen in his adhibendis ordo quidam, non solum secũdum
eorum maiorem, aut minorem potentiam, aut calefaciendi, aut exiccandi;
sed etiam secundum naturam emolliendi, & humectandi; prius enim o-
pus erit emollire leniter, ac placidè calefacere: & ideo Actuarius decreuit
vtendum esse digerentibus, vel discutientibus, quæ emollienti facultate
sint prædita, vt est irinum cum musto. quod respiciens Auic. narrat inuo-
luendos esse ægrotantes lana mollissima oleo calido imbuta, vel inungen-
dos fęce olei sesami, seminis lini, & mucilaginis fænugręci. & Cel. hæc.
Nonnunquàm & in oleum calidum descẽdere, vel in aquam calidam, in quã
fænugrecum decoctum sit, & adiecta olei pars tertia. Mirum in modũ pro-
bant Haly. Ser. & Auic. renen arietis contritum cum tota sua pinguedine
admotum, vsqueque fæteat, vel caudam eius, vt Rasis; deinde oleo vulpi-
no, aut costino partes inungantur, prius tamen fricandæ, vt cutis rare-
fiat, & calor excitetur, vel aqua ardẽti abluantur: laudatur inunctio quo-
que ex oleo è nuce muscata, & castorei pinguedine parata: & tãdem aquis
thermalibus vtendum, vt maior fiat exiccatio, inter illas conueniunt sali-
tæ, nitrosæ, & sulphureæ, & earum luto partes illinantur: vel admouean-
tur suasore Aretæo sacculi milio torrefacto semipleni. præterea inter om- 70.
nia, quæ excalefacere, attenuare possunt, & in halitus digerere materiam, 57.
est febris, vt legitur 5. aph. & 4. & ideo prouocandam, & excitandam esse
decreuit Paul. & Mes. castoreo, assa fętida, & opoponaco, aut confectione
anacardina, vt Ras. vel theriaca, & confectionibus magnis, vt Auic. quan-
titas sit drachma vna, aut scrupuli duo: probat Aet. desumptam cyrenaici
laserpitij lachrymam ad erui magnitudinem. ab omnibus, & maximè ab
Orib. castoreum, quantitas, duo cochlearia, vt Paul. hæc non solùm cale-
faciendi, sed etiam roborandi vim habent: si horum timemus calorem fer-
uidum, admisceantur cum illis conseruæ è roremarino, & è floribus beto-
nicæ, & saluiæ, vel è folijs iuæ arthreticæ. hoc quoq; præstat etsi per accidẽs
aquæ frigidæ larga effusio, vt 5. aph. sic. *Est tamen, vbi in tetano sine vlce-*
re, iuuene eusarco (s. modicè carnoso, & quadrato, vt Gal.) æstate media 21.
frigidæ larga profusio calorem reuocat, calor verò hunc soluit. Vnde statuen
dum venit vnà cum calore foras erumpere reliquias humoris. affirmat
Auicenn. hoc auxilio plures sanatos esse. at Paul. hoc omnino vitupe-
rat.

Diù vitandus est cibus, sorbitionibus vtendum, & ouis sorbilibus, aut
aliquod ius pulli assumendum, à vino abstinendum; nam eius vsus pericu-
losus. hæc Cels. Si vires imbecillæ, carnes exhibeantur minutarum auium,
perdicum, alaudæ, & aqua ciceris cum anetho, & pipere: vinum bibant
paucum, & vetus, post cibum; resoluit enim vt febris, hæc Auic. substantia
tenue, vt Ser. Lectus sit mollis, tractabilis, læuis, suauis, & calidus: neruos
enim inflexiles, duros, & rigentes hic morbus efficit, sic Aret. Qui ex inani-
tione conuelluntur humectantibus, ac tepidis, curandi veniunt. hæc docet
nos. Paul. dicens. *eos, qui ex inanitione conuelluntur oleo, vel hidræleo cali-*

do fo-

do fouere competit, & ſi nihil prohibet etiam ad lauacrum deducere, tempe-ratoque ſolio vti cum oleo, & frictione leuiſſima. & ſi poſſibile eſt, vt tina la-
℞. Cont. cte repleatur peroptimum erit, vt Raſ. ſi non aquis, *in quibus decocta fue-rint hordeum, violæ, nenuphar, cucurbita, & citruli: & iuncturæ inungan-tur oleis humectantibus, & decoctionibus pinguibus, quibus aliquid vini al-bi addatur, vt ad interna permeare poſſint. quibus etiam caput irrigandum, & clyſteres parandi.* hæc Auic. olea conueniunt è ſiſamo, amigd. dulcibus, & è violis, quæ decocto maluæ, & pſyllij ſæpe agitentur. Nutriendi ſunt ſorbitionibus ex chondro, alica, vinoque tenui, & aquoſo, quod facilè per omnia membra diſtribuitur, niſi febris adfuerit: tūc enim ptiſſanæ cremor vtilis, & ſomnum accerſemus. hæc Paul. Cibus omnino ſit humectans. & leniens, ſicut ſorbitiones pingues, & lenes, factæ ex aqua hordei, oleo amigdalino, & zuccaro, aquæ carnis agnorum, & hædorum. & vinum lymphatum bibant, ſed maximè conuenit lac epotum recenter à mammis hauſtum, ſi febre non fuerit vexatus æger. omnia iſta reliquit ſcripta Auic. Aere commorentur humido, & lecto molliſſimo cubent.

Spaſmo, vt quædam eſt præter naturam contractio, à qua cōueniens fi-gura partis deturpatur, atque vitiatur, aduerſatur extenſio. Contento. n.
30. relaxatum contrarium eſſe nos docet Gal. 6. de mor. Vulg. com. 2. & con-tortum dirigendum decreuit. com. 2. tanquam à contrarijs inſtituta cura-tione. Cognouit hanc curationis ſpeciem Paul. cum hæc pronunciauit. *Primum itaque partes, quæ contrahuntur, valenter continendæ ſunt, & in-ordinatis reſiſtendum motibus.* quod etiam non neglexit Auic. dicens. *Et ex curis eſt, vt applanetur, quod ſpaſmatum eſt, leniter. hoc aſſequitur mol-libus ligaturis*, quæ ſenſim, atque ſenſim conſtringantur, ne ęgri dolore acerrimo excrucientur, & affligantur.

De Tremore.

EST Tremor motus voluntarius deprauatus ob æqualem pugnam inter mouentem facultatem, & mobilis partis grauitatem ab imbecillitate motricis functionis oborta.

Eſſe motum voluntarium deprauatum reliquit ſcriptum Gale. lib. 3. de
C. 4. mor. Vulg. commen. 1. ſic. *Iam motus voluntarius, qui non ſecundum na-turam, obitur, vna eſt forma, qui tremor appellatur.* quod comprobat
C. 3. & 4. lib. de trem. & Palp. dicens: *Motus in his, qui membra mouere nolunt, inuo-luntarius omnino ponitur: in tremore autem affectis non, ſine volūtatis im-perio motus prouenit.* Dicitur autem, qui non ſecundum naturam depra-uatus, etiamſi à voluntatis imperio pendeat; caret enim motu illo conue-nienti à voluntate intento, atque inſtituto. Appellari hunc deprauatum
C. 1. legitur 2. de ſymp Cauſ. ſic. *Igitur Conuulſio, tremor &c. communi omnia genere continentur, nempe deprauato motu. At qui per naturæ vocabulum in hoc ſermone intelligas velim, omnem, qua regitur facultatem, ſiue illa à voluntatis noſtrę imperio pendeat, ſiue ſecus.* Ob pugnam inter facultatem,
C. 2. & grauitatem partis ſuſcitari adapertè ſcribitur eodem lib. ita. *Per tremo-*

rem

rem verò inuita facultate membrum ad inferiora delabitur ob grauitatem, adeo vt manifestè liceat videre pugnam inter ipsas, non permittente facultate deorsum ferri membrum, vt in resolutione neruorum fieri solet: neque grauitate concedente, vt facultas ipsum sublime seruet ita, vt consueuerat, dum valebat. itaque vicissim facultas nunc vincit, nunc vincitur, at contrariorum semper inter se motuum successione motus fieri videtur; cum sit motus quidam compositus. hæc peroptimè etiam narrauit lib. de Trem. & Palp. ubi: *Hoc itaque frequenter peracto, & latione, quæ fit deorsum, ei, quæ sursum fit, semper succedente, atque hanc rursum quæ deorsum fit excipiente, duplex, ac compositus omnis motus redditur, dum partes vicissim loca semper mutant*. Esse æqualitatem quandam inter hæc duo mouentia, & ratio, & authoritas apertè demonstrat. si enim grauitas vinceret deorsum tendens facultatem, immobilis, ac resoluta maneret omnino pars: si facultas grauitatem, attolleret membrum inuita grauitate, & pro voluntatis imperio ipsum moueret, & circumuolueret: manet igitur inter se hæc duo mouentia æqualis esse vigoris. hæc nos docet Gal. 3. de mor. Vulg. com. 1. ita. *At cum longè partiũ ponderi, quæ vehuntur, vires motrices præstant, citra negotium attollunt, & citra negotium illas sublimes seruant: at verò si multò sint inferiores, sicut in resolutis, haudquaquam possunt eleuare. Quæ si pares sint, vicissim succumbunt: vincentes seruant immotam manum sublimem, superatæ delabi sinunt. hoc mihi cogita continenter in hunc modum fieri, vt simul, ac superiores sint, membrum sustollant: mox victæ à mole eorum, quæ eleuantur, permittant pessum ire: simulque vires illorum rursus victrices corripientes ipsa iterum erigere studeant. deinde cum singulis temporis momentis fiat hæc vicissitudo, vt quod est infra, confestim attollatur, & quod membrum eleuat, extemplo detrahatur, non prorsus inconcussum seruetur, & stabile membrum, tunc nec motus habeat in vtramque partem insignes, vt qui breuibus interuallis, & temporum, & locorum seruentur*. Inopiam, ac defectum facultatis talis noxæ esse primordium, atque causam reliquit scriptum Galen. varijs in libris, sed præcipuè lib. iam citato his verbis. *Rectè igitur in commentario de Tremore, Conuulsione, & Rigore ex infirmitate virium semper tremorem fieri demonstrauimus*. & Com. 1. in T. 2. *Cum itaque tremores causam habeant, vt ita dicam, continentem, virium imbecillitatem*. & libro secundo de sympt. Caus. *Mouetur in tremore particula ab imbecilla facultate: quoniam & ab impetu omnino motus excitatur, & ob facultatis imbecillitatem perit. Porrò inuenti sunt nonnulli negantes mouendi impetum à tremore separari non posse. cum videant interdum totum caput tremere, concutique nulla accedente ad mouendum voluntate. sed ignorare videntur ij, quòd ad seruandam partem aliquam erectam, voluntatis imperium requiratur: quippe musculi in hac haud aliter quàm in alijs functionibus tenduntur, & ideo si tremulum caput supinum super rem mollem inclinaueris, protinus liberaberis à tremore*. Facultas mouens, imbecillè propriam operationem in apertum edit respectu grauitatis, aut resistentiæ mobilis quatuor de Causis: aut enim à principi

Hh par-

Marginal notes: 3. — 4. — C. 2.

parte, à qua initium suæ generationis trahit, languida, ac pauca fluit: vel quia distributa ad partes euestigio ad propriam originem fugit: vel quia in itinere, dum impetum ad partes facere tentat, quoquomodo impeditur: aut denique ob aliquem partis mobilis defectum. multæ autem existunt causæ, quibus imbecilla euadit facultas, multas quarum enumerauit lib. de
C.3. Tremore iam citato Gal. his verbis. *Sed causa, quæ hanc imbecillitatem inducere potest, specie variat: aut enim alimenti defectu, velut in choleris, & fortibus ventriculi fluxibus, necnon validis sanguinis eruptionibus, & in inedia vitam degentibus: aut vitali robore exoluto, vt in stomachicis, & cardiacis resolutionibus: aut violenta, vehementique refrigeratione virtitem occupante.* ab his omnibus vires destruuntur, quorum etiam me-
Com.1. minit 3. de Mor. Vulg. com. 3. sic. *non fit tremor in principio morbi citra validam ægritudinem, aut famem, aut lassitudinem, aut vigilias, aut solicitudinem, aut immoderatam uenerem.* ad hanc speciem defectus facultatis reducitur illa, quæ in senibus reperitur. quod eodem cap. 3. scribitur ita. *Si enim facultas semel conciderit, imbecillaque euaserit, unumquodquè onerosissimum fit quamuis pænitus leuissimum, ex quo corpus animalis iampridè leue, veluti onus ipsum aggrauat; consimili modo senes imbecillitatis causa tremuli fiunt, & quibus ob ægritudinem corporis robur laborauerit.* Interdum quoque imbecilla euadit ob repletionem instar ponderis ipsam aggrauantem, vt contigit Mulieri, de qua verba facit Hip. in qua virtus à repletione teste Gal. humorum grauata erat: post partum enim secundas expurgare, & expellere minimè potuit. Impeditur eius transitus, & distributio neruis ipsam deferentibus semi obstructis, aut secundum aliquā partem compressis, aut crassitie quadam insignitis, quæ omnia contingere potest alicui parti spinalis medullæ, aut eius propagini. Refugit ad suum principium ob animi varios affectus, quorum nonnullos in medium ad-
C.2. ducit lib. 2. de symp. Caus. tali sermone. *Et per prærupta ingredientibus crura tremunt deijciente vires timore; itidem, qui incurrentem in se feram videns fugit, is quoque tremulus euadit: neque non toto corpore tremit, cui coram terribili magistratu aliquo negotium est; quippe loqui iussus, ne vocem quidem citra tremorem reddere poterit.* sic & latrones, vel hostes superuenientes, vel misera nuntia tremorem incutiunt. Duæ sunt noxæ partis mobilis, quæ vetant, & prohibent facultatis motricis perfectum in ipsam dominium, vna existit imperfecta susceptio, altera eius incommoda, & præternaturalis moles, respectu talis facultatis mouentis: ægrè recipitur in parte aut ob intemperiem, aut aliquam leuem obstructionem. quę duo cognoscit Gal. 3. de Mor. Vulg. com. 1. dicens. si tremit sine aliquo timore, aut organorum est intemperies; aut aliqua obstructio, sicut legitur 2. de
C.2. 4. sym. Caus. ita. *Præterea crassi, lentiq; succi facultatis meatus obstruentes, ita vt exigua facultas affluat, tremorem efficere possunt. idque maximè, vbi exactè obstruunt, resoluuntque aliquorum neruorum partes quasdam: sic enim reliquæ fibræ non satis validè musculum possunt mouere, & intendere.* At non tantùm fit talis obstructio à crassis, lentisque succis, sed etiam à calidis, & biliosis, vt corpora sunt quoquomodo crassa, hoc

elicitur

dicitur ab aph. 26. qui. *Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, soluuntur delirio.* humor enim prohibens transitum facultatis ad neruos ad cerebrum repit. Intemperies autem calida non existit tremoris causa, nisi adeo sit ardens, vt facultatem destruat; sed frigida & calorem superando, & spiritum retardando, & facultatem consopiendo, nec non etiam partem densando quam facillimè hoc symptoma inducit, *præcipuè si aut vniuersum corpus, vel originem neruorum afficiat.* vt 2. de sympt. Caus. interdum ob auctam magnitudinem partis in quadam mensura, aut ob eius grauitatem, non potest facultas mouere mobilem partem, immo & illa illi resistit, ac pugnat; vnde tremulus oboritur motus: hoc reliquit scriptum eodem lib. de Mor. Vulg. sic. *Aut in ipso corpore pondus circa musculos, aut neruos. hoc videre licet in nonnullis robustissimis adolescentibus, dum onus portant pergraue, quibus crura tremunt, maximè vbi ascendere scalas tentant.* hoc autem euenire ob improportionem inter mouens, & mobile, certissimum est. Causæ remotiores sunt vini meraci potus immoderatus, repletiones ciborum, ignauia, aut intempestiua aquę gelidæ potio, quæ omnia leguntur 2. de sym. Caus. preterea quæcunque calorem destruere possunt vt immoderata, & intempestiua Venus, & sanguinis excretiones. P.6. C.2. C.2.

Est tremor symptoma voluntarij motus sub deprauata actione, si consideretur vt motus quidam compositus ex pugna illa inter facultatem, & partis grauitatem. at si vt ab imbecilla facultate, quæ dominari non potest grauitati mobilis, sub diminuta actione; languidam enim esse facultatem & diminutam hac in noxa decreuit Gal. multis in locis, sed potissimum lib. de Tremore. reducitur sæpe ad morbum in via, aut in magnitudine aucta, & non rarò in intemperiem, vt ad Galen. mentem patefecimus. Lib. de Tremore. C.3.

Cum is affectus sub oculos cadat, non est tempus conterendum in signis ipsum indicantibus enarrandis: nisi dicamus cognosci instrumenta aut intemperie, aut onere esse detenta à relatione ęgrotantis, qui frigiditatem in parte, aut tanquam onus sentiat: maximè si, vt scribitur 3. de Morb. Vulg. iam citato, æger nec metuat, nec molem sustineat.

Non rarò hæc passio in resolutionem neruorum degenerat, grauior, qui sinistram partem infestat, at respuit medicam opem, qui senes inuadit, si Auic. credendū. Sed qui in febribus ardentibus fiunt, delirio soluuntur. vt 6. aph. 26 *transfertur enim humor è venis, & arterijs in neruos, & ex neruis in arterias, & venas, & interdum ad caput per illas.* hæc Gal.

Varijs medicis auxilijs potest curari tremor, cum à varijs causis, & inter se pugnantibus originem trahat. qui si à plenitudine totius suscitetur, & sanguinis indicia adfuerint, vena secetur iubēte Rasi. præcipuè si suppressę fuerint in mulieribus menstruæ purgationes, auxilium probatum ab Hip. sicut refert Gal. li. de Tremore. his verbis. *Insuper quicunque ob humorum repletionem virtute grauata, tremorre corripiuntur, hos euacuatio sanat, vt Hip. his verbis docet, Estymargei ancilla, cui sanguis non aduenerat, postquam filiam peperit, auersum autem erat os matricis, & in*

coxa, & in crure dolor. apud malleolum vena incisa quieuit, & tremores totum corpus occupabant. conuenit quoque venæ sectio à pede, si consueta hæmorrhoidum euacuatio fuerit retenta: postea humores lenti, & viscidi incidendi, ac attenuandi, à quibus ferè semper hic affectus producitur. probat Paul. oximel cum castoreo, aut pipere cum mulsa, nitro, & ruta: paratus purgetur humor imperante Auic. hieris magnis, vel pil. fętidis vt Ras. præterea & vomitu, & vrinam cientibus. at ex eis, quæ longa experientia comprobata sunt, extant pil. cochiæ, si earum drachma vna cum dimidia singulis decem diebus ab infirmo sumatur. deinde est intemperies remouenda saxafrassi decocto, ligni Indi, & stæcados; ante cuius assumptionem singulo mane aliquid theriacæ, aut mithridati exhibeatur. sed inter omnia ad sydera extollitur castoreum ab Auic. Paulo, & Rasi: nam hæc non tantummodo in parte detentam intemperiem transmutare possunt, sed etiam absumere humorem ibi residentem, & robur addere partibus imbecillis. Quæ materia actu tremorem gignens omnibus alijs actis foras educatur, & attrahatur varijs adminiculis. Aliqua quorum vim habent calefaciendi, attenuandi, &
Ras. resoluendi, vt Serapio, hæc præstant oleum costinum ab Auic. celebratum:
Cel. vel aqua maris, aut nitri aut sulphuris partes immergantur. Vel in arena, & cinere collocentur, vt Mes. vel vaporationes parentur ex nitro, & sale, Auic. Sed maiori cum violentia hoc efficiunt quæcunque ruborem, & interdum ampullas excitant, tale est oleum è sinapi propositum ab Abynz. prius tamen ante vsum horum omnium fricanda est pars, à qua oriuntur nerui, qui deferunt facultatem tremulæ parti, vel pars illa tre-
Paul. mens, si musculi illi deseruientes fuerint malè affecti. frictiones commendant Ras. & Paul. qui hæc scripta reliquit. *Superante autem frigore etiam Zodymi unguine non modò acopis ad resolutionem conscriptis, unctionibusque, & cutis rubificatione, phenigmon Græci uocant, utemur, præterea exercitijs, & perfricationibus, nec non etiã cucurbitulis uertebris*
Auic. *agglutinatis.* recentiores illinire suadent partes infirmas luto sulphureo, aut vinaceis submergere, quibus iniecta sit ligni indi aliqua portio. Reperiuntur ad hæc nonnulla proprietate quadam huic passioni oppugnantia, sicut leporis cerebrum assatum, non solùm ab Arabibus probatũ, sed
Abynz. etiam à Dioscor. & à Pau. vel aqua, in qua semina maluæ bullierint, vel eupatorij succus, aut oleum ex andacocha, hæc Auic. quod tanquam mirabile quoddam ab Haly laudatur.

Cibus velocis digestionis, exiccans, & attenuans imperetur, & à vino omnino se abstineant Auic. At si remaneat in febribus diu tremor, primùm totum corpus oleo sabino perfundatur, vbi accessiones remittunt, veteri, aut sicyonio: Summa corporis membra lanis mollibus peruncta contegantur, quod si febres inueterauerint, die vno interposito in oleum, aut hydrelæum tremuli descendant, vtanturque frictionibus teneris. febribus solutis in balneas eundum est, sed vitari debet frigidum solium, & vini potio. hæc Paul.

Sed si aliqui refrigeratione tremunt, calidis medicamentis eos curare licet.

cet, quemadmodum illi, qui hyeme iter agunt, qui tremuli demum reuertuntur, tunc calefacti ab hoc affectu facile absoluuntur. Sed à leuibus, ac placidis incipiendum venit calefacientibus, aliter doloribus diris excruciantur. Galen. de Trem.

Si vero exhausti, vt in cardiacis, stomachicisque exolutionibus tremuli nonnulli fierent, hos calefacere periculum extremum est, econtrario procedendum esse affirmo: his enim superficiem condensare, & medicamenta, quæ non calefaciunt, & pores aperiunt, & rarefaciunt. sed quæ refrigerant, & inspissant, & illos claudunt, admouere oportet. hæc Galen.

At si à viribus languentibus gignatur, instaurantibus, & refocillantibus initium curationis summere debemus. vnde Gal. loco citato. hæc. *hac sanè in re ne uerbis quidem ullis est opus, hos nanque nutrimento egere unicuique patet*. sint alimenta facilè transmutabilia à calore, optimum gignentia sanguinem; quantitate pauca; vires enim imbecillæ multum concoquere non possunt, sed vt seruentur, vicibus reiteratis ægri nutriantur tanto tamen tempore inter cibum, & cibum interposito, vt optima iam primi assumpti celebretur concoctio. Vinum sit tenue, aureum, odoratum, & potius vigorosum, quàm secus; tale enim spiritus adauget, roborat, calorem excitat, & tanquam vehiculum alimentum ad iecur, & cæteras partes defert. Lib. de Trem.

FINIS.

DE MALIS
PRINCIPEM
ANIMAM
VEXANTIBVS

Ad mentem illorum, qui ante GALENVM Medicinam exercebant

LIBER VNVS.

In quo demonſtratur aut omnia, aut maiorem partem, eorum, quæ de his Morbis, aut Galenus ipſe, vel cæteri Scriptores, qui poſt ipſum fuerunt, litteris prodidere, Priſcos illos prius abundè, ac diligenter narraſſe

Curtio Marinello Autore Medico, atque Philoſopho.



VENETIIS.

Apud Iuntas, MDCXV.

2 Tall 135

INDEX CAPITVM.



PRÆFATIO AD LECTORES

De Galeni Ingenuitate in veritate prouulganda.





NNVMERI, ni fallor, præclarissimi Lectores, hac quidem nostra ætate adinueniuntur Medici, qui Galeno addictissimi arbitrantur, & pro certo habent ante ipsum artem Medicam, & præcipuè Curatricem mancam, & imperfectam fuisse, & nullum, vno tantummodo dempto Hippocrate, huius artis peritum extitisse: sed hac in re omnino decipiuntur, si veridici eiusdem Galeni dictis acquiescendum venit, nec non etiam Seniorum Medicorum scriptis & ab ipso, & ab alijs in lucem editis. Ira igitur aduersus me non succendantur doctissimi Galeni asseclæ, sibi persuadentes me hunc suscepisse laborem, vt eius præclaram famam per vniuersum Orbem volitantem obscurare tentarem: semper enim non solùm tantum Virum magni feci, sed eius doctrinam tota mente & admiratus sum, & in dies magis, atque magis admiror. Hoc autem suscepi onus, vt placita Venerandæ Antiquitatis Priscorum Medicorum tenebris inuoluta, & à memoria hominum ferè deleta, iterum, vt ita dicam, in lucem erumpentia, reuiuiscant: à quibus notum erit legentibus, aut omnia, aut maiorem partem eorum, quæ & Galenus, & cæteri Greci, & Arabes, & Latini de Morbis Potiorem Animam fatigantibus pronunciarunt, ab ipsis desumpsisse;

se: Non negauit Galenus ab illis se multa didicisse, & in multis ab ipsis
non dissentire. quæ duo varijs in locis scripta reliquit. primum patefacit
C.5. præcipue lib.5.de l.aff. sic, cum de Phrenitidis signis. *Omnia hæc phreniti-
ca indicia vocantur, quæ ab ijs, qui me precesserunt, conscripta sunt.* affirmat
C.7. igitur ab ipsis illa didicisse. & lib.3.de l.aff. dum de signis hypochondria-
cæ melancholiæ hæc. *Verùm mihi satis fuerit ea accidentia percurrere,
quę à Diocle perscripta sunt in libro, cuius titulus est Affectio, Causa, Cura-
C.5. tio.* Secundum lib. 1. de differ. Febrium, dum narrat Atheneum de ipsis
egregiè scripsisse, hæc. *Si quidem eius sententię esse periclitatur omnis ab
Athenęo chorus virorum in cęteris, quæ ad artem pertinēt, tum pręsertim in
febrium contemplatione minimè contemnendi, de quibus magna ex parte il-
lis consentio.* Sed vt videamus adapertiùs eius integram mentem, & inge-
nuitatem cognoscamus, legantur, quæ ab ipso libro de atra bile pronun-
ciantur, dum Ruffum Medicum laudibus decorat, quæ sunt. *Multi fuere,
qui de melācholia sermonem habuerunt, sed multi breuius, quàm par sit, &
alij profusiùs: inter recentiores autē de Melancholia à Ruffo Ephesio præstan-
tissimè admodum scriptum est: atque ita, vt nihil pretерea desiderari, non im-
meritò quis posset asserere, si modò ea animo æquiori, non studio contentiosè
contradicendi intelligantur, quod frequentissimè recentiorum Medicorū non
pauci affectant.* Et lib. de Tremore hic. *Non vt Praxagoræ errores redar-
guam; cum hoc ab Herophilo eius discipulo abundanter peractum sit: sed vt
his, quæ Herophilus rectè scripsit, quæ deficiunt, adijciam.* Ad hæc quot me-
dicamenta à Priscis descripta mirum in modum celebrat? & in libris de
cōp. Med. per genera, & per locos affirmans se illis vsum esse summa cum
laude, & maxima vtilitate ægrotantis? super hęc nonne appellauit Marinū
præstantissimum Anatomicum 2. de semine? Erasistratum instauratorem
Anatomiæ? 8. de Decret. Hip. & Plat. hic & Eudemum: nonne ad sydera
extollit Heraclidem appellans illum hominem fide dignum, & ad vtilita-
Com.2. tem scribentem? sicuti 3. de mor. Vulg. & lib. 4. de comp. Med. per genera?
Nonne Praxagoram, & Philotimum? nonne Dioscoridē, Theophrastum,
& Asclepiadem mirum in modum celebrauit? & innumeros alios, quos
breuitati studens omitto; fuit enim Galenus tanta integritate, & tali pro-
bitate præditus, nec non etiam obseruantia erga seniores Medicos, vt hęc
22. litteris prodiderit notatu digna, in 6. aph. quæ. *Si in libro alicuius sapientis
manifestum mendacium deprehendamus, potiùs dubitandum est nos non in-
telligere, quàm illum errare.* Admirentur cōtentiosi sententiam hanc tanti
viri memoria dignam. & ideo nec sibi indulgēs affirmauit Archigenis scri-
pta se non intellexisse nisi vltimo suo senio. Cognouit Cardanus, qui sæpè,
atque sæpe aculeos maledicentiæ in ipsum iniecit, eius ingenuitatem, sum-
mamque eius doctrinam, vt reliquit scriptum in lib.5. aph. dicens. *Galeni
virtutes præcipuè sunt quinque, Eloquentia, multarum rerum Peritia, & stu
dium, Methodus pulchra, Veritatis præcipuus Amor, & Iudicium in medē-
di arte singulare.* quibus fortè impulsus Argenterius affirmauit nos plus
debere Galeno, quàm reliquis omnibus, qui de re Medica scripserunt, &
Auer. qui viri admirabilis nomen præclarum delere tentauit, hæc 2. Col-
C. 19. lig. *Etsi tempore Galeni ars medica erat perfecta; attamen Galenus affirma-*

uit

uit non eße impoßibile aliquem adinuenire aliquid noui, quod ab ipso non fuit inuentum, quæ verba fidem faciũt illum non sibi omnia arrogasse. A verbis igitur, vt dilucidè probatum est, Galeni, ad apertum euadit ipsum affirmasse à priscis medicis multa se desumpsisse, & magna ex parte eorum sententijs se assentiri. at adapertius hæc duo cognoscentur, cum de Morbis particularibus verba faciemus. Sed mihi videor audire nonnullos recentiorum asserentes pauca admodum ab ipsis circa curationem instituta fuisse, sicuti copiosa, atque innumera ab Arabibus, atq; Latinis in vsu habentur. at longè à veritate isti discedunt: nam si de potissimis auxilijs, atque præcipuis sermonem habent, vt de Venæ sectione, Purgatione, Vomitu, Cucurbitulis, Scarificationibus, Hirudinibus, Clysteribus, Glandibus, Balneis, Frictionibus, & irrigationibus, legant Oribasium, & Aetium, & obseruabunt antiquorum diligentiam in his omnibus administrandis, sicut etiam circa victus rationem instituendam, immo Ruffus lib. 1. de Vict. ratione agit de parandis edulijs, sic & Diocles, & Antyllus. ac non solùm de his, sed etiam de concoquentibus humores obnoxios, & incidentibus, de Alterantibus, roborantibus, ac discutientibus, atque dissipantibus, siue hæc per os desumantur, siue foras admoueantur, vt patefaciunt Galeni dicta in lib. de Compo. Med. per genera, & per locos, quibus in libris perpetuò in medium adducit medicamenta à Priscis Medicis descripta: & denique, vt finem imponam, si de his, quæ molliter, blandè, atque placidè aluum subducunt, quæ multi pro rato habent ab Arabibus, atque Latinis esse adinuenta, quod etiam illis ego consentio, si de Manna, Cassia, Tamarindis, Syr. rosaceo, & violaceo mentionem faciunt, hæc enim tali tempore illis ignota omnino erant, quot proponuntur à Dioscoride, quot à Diocle, quot à Dieuchthe, quot à Lyco, & quot ab Archigene in febribus? quæ benignè, & sine aliqua exagitatione aluum molliunt, vt Oribasius. Quot à Philagrio narrante Aetio? velut mel rosaceum, & pilulæ quædam; At à multis reputatur hunc non fuisse ante Galenum, sicut etiam nec Antyllum.

Orib.

Antyllus.

Lib. 8.



CATALOGVS EORVM Scriptorum, qui hoc in libro continentur.

A



ELIVS Gallus, qui optimè de Antid. Gal. 2. de Antid.
Aeschirion Empiricus Medicamentorum peritissimus Gal. præceptor. ij. Simp. Med. Facul.
Alexander quidam varia scripsit 6. de compo. Medic. per genera.
Alexander Aphrodiseus, qui Galeni tempore floruit, sicut patet libro de Fato Antonino Imperatori dicato, à cuius placitis non ducimur in cognitionē eum habuisse aliquam Galeni notitiam, sicut nec Galenum Alexandri: attamen in multis conueniunt. vnde coniicere debemus vtrumque ab aliquo illa didicisse, aut propria Minerua illa adinueniße.
Andreas varia medicamenta descripsit 2. de Ant.
Andromachus diligens, & memoria dignus, de Theriaca ad Pisonem, & aliis in locis.
Antyllus laudatur ab Oribasio, sed non affirmatur fuisse ante Galenum.
Apollonius varia descripsit, vt lib. de Comp. med. per genera, & per locos.
Archigenes vir admodum studiosus exercitatissimus in curandi ratione 2. de l. aff. & 3.
Aristoteles.
Aristoxenus Alexandri Philaletis discipulus 4. de Diff. Pul.
Artorium Celius Aurelianus laudat.
Asclepiades varia composuit, vt Gal.
Atheneus elaborauit vniuersam scientiam medicam. 1. de Elem.

C

Cratippus de Medicamentis de Antidotis.
Chrysippus doctus, & Anatomes scriptor antiquus 1. de Natura humana.
Cornelius Celsus floruit tempore Tiberij Cæsaris post aduentum Christi.

D

Damocrates Medicus præstantissimus de Ther. ad Pisonem.
Democritus probatur à multis, cuius immemor non fuit Gal de Ther. ad Pisonem, & aliis in libris.
Demosthenes probatur ab Aetio.
Didymus.
Diocles fuit princeps sectæ rationalis, medicus grauissimus 8. de decretis, fuit primus, qui posteritati reliquit lib. anatomicos 2. de anato. administ.
Diogenes. 9. de comp. med. secundum locos.

Diosco-

Dioſcorides laudatur in materia medica ſcribēda. 1. de Antid. & 6. de ſimp. Facult.

Draco fuit Hip. Filius, & ſcripſit varia. 2. de natura humana.

E

Eraſiſtratus reſtituit anatomē amiſſam 8. de decret. & multos ſcripſit libros. & fuit ſecundum aliquos par Hippocrati lib de venæ ſect. aduer. Eraſiſtr.

Eudemus inſtaurauit anatomen amiſſam 8. de decr. fuit alius, qui à Gal. vocatur ſenior, componens medicamentum.

G

Gaius.

H

Heraclides fuit nouus ſcriptor anatomiæ com. 2. de natura humana, & multa ſcripſit. & cōmentatus eſt omnia Hip. opera. de his, quæ ī med. fi. com. 1.

Herodotus fecit librum inſcriptum Medicus. 6 de mor. Vulg. com. 2. ſcripſit lib. de cucurbitulis.

Herophilus ex medicis grauiſſimis. 8. de decr.

Hippocrates Theſſali filius.

L

Liber de locis in homine adſc.

Liber de viſu adſcr.

Libri de Virginum Morbis Hip. aſcripti omnes.

Liber de Morbis Theſſalo filio.

M

Magnus ſcripſit de pulſibus, & de Theriaca, vt ad Piſonem.

Marcellus.

Mithridates multa compoſuit medicamenta. 1. de Antid. & 2. qui expertus eſt omnia ſimplicia, quæ veneno aduerſantur in condemnatis morti.

N

Niceratus compoſuit varia 7. de comp. med. ſecundum locos.

P

Pelops præceptor Galeni 6. de decret. de arti. nouus ſcriptor anatomiæ. de nat. hum. com. 2.

Philippus egregiè de med. pertractauit 2. de comp. med. ſecundum genera.

Philo adinuenit compoſitionem celeberrimam, quæ examinatur à Gal. atque laudatur 9. de comp. Med. ſecundum loc.

Philiſtion 2. de nat. facult.

Philumenus ab Oribaſio. & Aetio.

Plato.

Polybius fuit Hip. diſcipulus. de fætus form. à cuius doctrina non diſcedit com. 2. de nat. hum. compoſuit lib. de ſalubri diæta.

Poſſidonius eruditiſſimus 8. de decr.

Praxagoras ab Æſculapio originem traxit. 1. Meth. medicus grauiſſimus 8. de decret. & interpretatus eſt Hip. & Plat. 2. de nat. hum.

R

Ruffus diligentiſſimè fuit verſatus in Hip. libris 6. de mor. Vulg. com. 1. ſcripſit de Melancholia.

Sera-





De Phrenitide.



TAM Diligentes fuerunt Medici illi, qui ante Gal. floruerunt, in huius morbi indaganda natura, causis vestigandis, signis narrandis, & denique in adhibendis accõmodatis auxilijs, sicut sparsim à varijs scriptoribus colligimus; vt nullus Gal. remanserit circa hæc in phrenitide dicendi locus, & hoc vobis manifestum erit, si animo æquo, & à passionibus omnino remoto, quæ sępè, atque sæpè animum nostrum solent à veritate abducere, considerabimus ea, quæ circa hunc morbum ab ipso, & ab alijs sint narrata, & quæ ante ipsum medici antiquiores litteris prodiderunt: ab his autem Patrem Hip. excipio: omnes enim fatentur ipsum ab illo tanquàm à præceptore multa didicisse.

Est Phrenitis inflammatio membranarum cerebri inducens delirium comite acuta febre. hæc descriptio est Possidonij referente Aetio, at multi priscorum non tantummodo membranas, vt Asclepiades, & eius sequaces dixerunt esse inflammatione tentatas, sed aliqui cerebrum tantùm, & aliqui & cerebrum, & membranas, vt Cælius Aurelianus lib. de Mor. celeribus dilucidè narrat. Delirium esse animæ motum deprauatum cognouit Asclep. libro de diffinitionibus, appellans phrenitidem mentis alienationem: producitur hæc à bilioso sanguine, cui tamen non raro admixtus est aut pituitosus, aut melancholicus succus: hoc doctissimè nos docuit Hip. Thessali filius lib. 2. de Mor. cuius verba sunt. *Desipit homo, cum sanguis in capite à bile, aut pituita fuerit calefactus, & plus solito commotus.* Et lib. 1. hæc eadem dicit faciens aliquam mentionem de atra bile, & subdit. *Tantò autem minor insania, & ipsum delirium fit, quantò paucior, aut debilior est bilis ipsa pituita.* Causa igitur inconstantis mentis est calor, ac bilis commotio, à quibus causis simulachra confunduntur, & inordinatè, ac intempestiuè representantur facultati animæ cognoscentis, quæ vitiata, & oblæsa sumit verum pro falso, & falsum pro vero, non raro noua componens, atque fingens. Cognouit idem scriptor hoc morbi genus habere etiã interdum initium à septo transuerso. Adinuenit fortè Gal. vel cæteri scriptores, siue Græci, siue Arabes alias causas? vel libro de Mor. Vulg. vel 2. de symp. Caus. vel alijs in lib.? immo exquisitiori modo ille vestigauit causam immediatam delirij referens illam in æstuosum calorem, & eius motum: ab his enim spiritus animales (animæ instrumentum) mobiliores redduntur.

Scr. 6. C. 2. C. 8. N. 3. N. 28.

Differentias præcipuas, quæ desumuntur à facultatibus læsis, ante oculos nobis posuit Possid. loco citato his verbis. *Differentiæ phrenitidis plu-* Aet.

res sunt, sed hæ sunt principalissimæ: Aut enim imaginatio sola læsa est, seruatur tamen ratiocinatiua, & memoria: Aut ratiocinatiua solùm læsa est, seruatur autem imaginatiua, & memoria: Aut etiam imaginatio, seruatur autem & memoria: at vbi memoria deperditur in febribus, simul perit imaginatio, & ratio.

Omnia signa talem affectum indicantia existunt eadem, quæ scribuntur à Galeno, sicut ille proprio ore fatetur dicens. 5. de l. aff. *Omnia hæc phreC.4. nitica indicia vocantur, quæ ab his, qui me præcesserunt, scripta sunt.* Vnde existimo ego minime tempus in illis repetendis, conterendum esse, si septũ N.9. transuersum sit talis affectus causa, sicut lib. 3. de Mor. Hip. adscripto. *Septum transuersum dolor tenet, vt ne contingere permittant, febris accedit, mente mouentur, oculis intentis vident, & alia similia, quæ peripneumoniæ accidere solent.*

Vena secetur in cubito, & pro viribus extrahatur, vt Possidonius, Asclep. lib. de Celer. passion. Diocles lib. de febribus, & Philumenus teste Orib. Cęlius. prius tamen iniecto clysteri. At si vena secanda non venit, purgetur hu-Aur. mor peccans diascammonio suasore Heraclide lib. 1. de internis passioni-3. Sinap. bus. Reuelluntur præterea, & ad inferna trahuntur clysteribus, vt Possid. qui sint acres imperante Diocle, qui nitro, & melle parentur, & frictiones conueniunt, vt Cels. Deriuetur postea humor aut venis sub lingua adapertis, vt idem scriptor, aut à naribus iubente Philumeno. Vel vena in fronte secetur, sicut reliquit scriptum Heraclis; cuius verba. *Si totum corpus non fuerit sanguine grauatum, sed solùm capitis partes videantur impletæ, ex vena frontis sanguis extrahatur, aut deriuetur cucurbitula occipiti admota.* Auxilium à discipulis, Athenæi, vt Gal. 13. Meth. & à Possidonio probatum, qui nos docet tempus, & modum admouendi, & quantitatem Act. sanguinis extrahendi sic. *Cum manserit facies post venæ sectionem incontracta, & rubicunda, cucurbitulas occipiti affige, & vulnusculis impactis scarifica, & ad libræ mensuram sanguinem detrahe.* Describit hanc quantitatem non sine ratione: opus enim erit tali in casu copiosum sanguinem haurire, ne exagitatus, & commotus à cucurbitulis, at non euacuatus, incalesceret, & maiorem impetum in cerebrum faceret.

Vt repellatur morbosa materia, & capitis ęstuosus calor refrigeretur, inchoante morbo oxirhodino est vtendum, vt Themison libro de celeribus passionibus: quod medicamentum à veteribus omnibus referente Gal. lib. de Comp. med. secundum locos, vbi de dolore capitis, probatum fuit. C.21. Qui narrat 13. Meth. non solùm Thessali asseclas oxirhodino esse v sos, sed etiam Athenæi, etsi arbitrabantur præcipuam animam esse in corde, vnde iussit illis tale auxilium admouere pectori. Sed fortè pro certo habebant ad cerebri refrigerationem refrigerari cor, & ad eius calefactionem calefieri, à cuius calore non tantum delirium in corde suscitaretur: sed etiam ob priuationem frigiditatis, quam cerebrum impertiri illi solebat, quod ab Aristotelis dictis ad apertè elicitur, quæ scribuntur lib. 2. de Part. animal. C.7. ita. *Si cerebrum humet, vel siccet supra modum, suo fungi officio non potest: sed aut non refrigerabit, aut coagulabit, itaque morbos, deliria, & mortes afferet: calor enim cordis, atque principium consentientissimum est, sensumque*

que

que celerrimè facit, cum sanguis cerebri vllo pacto mutatur, atque afficitur. Laudat Possid. rosaceum, quo caput irrigatur, tepidum esse. *Nam frigiditas rosacei membranas lædere potest: illa enim densat meatus: vnde superfluitates in capite discuti non permittit. Quod autem valde calidum, feruorem duplicat, quare æstate exactè tepidum cum modico aceti, & hieme moderatè calidum adhibendum.*

Procedente tempore vtendum est incoquentibus & digerentibus, & pręcipuè morbo declinante, quę probata erant ab Athenęo teste Gal. loco citato hęc dicente. *Itaque non rectè relicto pectore caput eum, (integrum præsertim membrum,) vexare, eique negocium facessere, nunc oxirhodinum infundendo, nunc radendo, tùm spondylium, aut serpillum, aut id genus aliquid admouendo: immò verò si malum traheret etiam castoreum.* Quę omnia ab ipso Galeno proponuntur lib. 11. Meth. 13. Meth. C. 21. 1. C. 18.

Vt consopiatur facultas, & somnus concilietur, tria à Possidonio in medium afferuntur, irrigatio scilicet capitis papaueris decocto, illinitio frontis somnifero aliquo pastillo, & rerum somnum inducentium olfactus. Gal. hæc eadem. Sed stupefacientium frequens vsus est vitandus, ne phrenitidem in lethargum degenerare faciant, vt Asclep. referente Celso: *Præcipuè si hauriatur opium, nocet, cum lethargicos efficiens interimat, veluti Dioscorides; at si eius capita, & folia decoquantur in aqua, somnum fotu allicient. Nutriantur primis diebus ptissanæ succo, vel orizæ, deinde ad vsum panis, & piscis, & tandem carnis deueniendum.* Hęc Heraclid. Et Themison, Cel. *Primis diebus cibum paucissimum dare oportet, sicut ptissana, aut alica: septima die audere pane, & vino vti; soluitur enim passio sæpe tertia periodo, cæteris diebus aqua exhibeatur.* Hi scriptores non tantùm speciem victus describunt, sed etiam eius quantitatem, atque mutationem: nec mea quidem sententia Themison damnandus venit, si septima die exhibuit vinū: nam supponit phrenitidem vt plurimum tertia periodo curari, at si protrahatur, ab ipso procul omni dubio abstinendum erit. *Collocentur ægrotantes in obscuro loco, vt ferè omnes antiqui pronunciauerunt; ad quietem enim animæ tenebras conferre arbitrantur: etiamsi Asclepiades in lumine locandos dixit esse, terret enim illud ægrotantes.* Cornel. Cels. refert.

Ab his omnibus Priscorum Medicorum placitis, quasi furtim ab alijs, qui post ipsos scripserunt, ereptis, notissimum existimo futurum esse legentibus omnia, aut maiorem partem eorum, quę posteritati reliquit scripta circa hęc Gal. ab illis accepisse: immo in inuenienda varietate auxiliorum, congruo tempore, & modo illis vtendi, pręstantiores, & diligentiores illo fuisse affirmabunt. Sed hoc dilucidius esset nobis, si prę manibus haberemus eorum scripta, non mutilata, sed perfecta, & pręcipuè Athenęi, Archigenis, & Medicę congregationis, in qua omnes piscorum medicorum opiniones continebantur, si Galeno est credendum, qui lib. de natu. hum. com. 1. hęc. *Si tibi cordi esset cognoscere priscorum Medicorum opiniones; libros de Medica congregatione inscriptos, Aristotelique adscriptos à Menone tamen eius discipulo, (vt creditur,) conditos, habes, quos possis legere: constat enim, quòd Menon ille conquisitis diligenter libris omnibus veterum medicorum, qui eo tempore superstites adhuc erant, inde eorum collegerit opi-* Tex. 1.

niones. Authores verò, à quorum scriptis in cognitionem opinionum Antiquorum Medicorum deuenimus, sunt Galenus, Paul. Aet. Oribas. Cęlius Aurel. Celsus, Rhasis, & Auic.

De Lethargo.

EST Lethargus memoriæ iactura, & sensuum difficultas, vel impotentiæ cum febre, vt Herophilus, & Alexan. Laodicensis ad mentem Asclep. Nonnulli huic descriptioni somnum, & męstitiam addunt. nomen autem sumpsit, vt omnes Medici affirmant, à Lethe, s. obliuione, vt Cælius Aurelianus. Suscitatur is morbus, cum cerebrum frigidis humoribus repletum
nu. 3. fuerit, sicuti legitur lib. de Hominis Struct. Hip. adscripto. Themison autem non cerebrum læsum esse putauit, sed eius membranas. Hic interdum caput principaliter exercet, interdum ob sympathiam diaphragmatis, atque consensum ipsum affligit, si credendum est Archigeni, atque Thessalo.

refert Ras. Si primariò affectu cerebrum tali noxa laborat, hæc symptomata ægrũ
1. Cont. 9. tenent à Ruffo descripta: *Febris mitis, & ignaua, sentiendi difficultas, plũbeus faciei color, totius corporis pigrities, & grauitas quædam, profundus somnus; obliuio, timor quidam, cum expergiscuntur, supinus decubitus, &*
Aet. *pulsus magnus*. addunt his alia multa Archig. & Possid. quæ; *Nasus quibusdam destillat, os hiat, inferna mandibula, veluti resoluta, & laxata videtur, & dum sæpè ad mictionem vrgentur, porrecta ipsis matula, se in manibus ipsam tenere obliuiscuntur*. Multi autem Priscorum Medicorum, inter quos fuit Athenæus, & Asclep. decreuerunt hunc morbum semper cum aliquo obscuro delirio adinueniri. quod etiam habemus ab Archig. cuius verba. *Qui sic affecti, aliena loquuntur, & obliuiosi sunt*. & lib. 2. de Morb.
nũ. 63. à Thes. aut eius filio descriptio hæc. *Nugas garriunt*. quod non est alienũ à ratione: humor enim in cerebro detentus, & putredine contaminatus incalescit; & ideo febrem inducit, & spiritum exagitando delirium. Lethargo occupatis pulsus insunt pleniores, quàm phreniticis. causam nos
120. docet Alex. Aphr. lib. 2. Prob. sic. *Cur qui per febris ardorem insaniunt, pulsum arteriarum habeant leniorem: qui per lethargum vitium memoria obtorpescunt plenior em reddant? quoniam alteri spiritu relaxato cerebri delirant: alteri eodem illo spiritu crassescente, grauescenteque premuntur, & infestantur*.

At si præcordiorum interuentu excitetur: illa reuelluntur, & idem est flatus, qui peripneumonię patitur æger tussim, sopor ipsum tenet, & saliuã
nu. 5. *multam, & tenuem educit*, vt lib. 3. de mor. legitur.
nu. 63. Hi septima die pereunt, at si hanc effugerint, sanantur, sic 2. de morb. sed lethalis censetur à Ruffo sudor copiosus erumpens: deficiunt enim vires ob talem euacuationem.

Si sanguis abundans fuerit, & humorum multitudo, vena secetur, suasore Archig. & Possid. at si morbus protrahatur, hiera colocynthidis est vtendum, Celsus, vt materia ad interna reuellatur. Pedes fricentur, & manus, vt Diocles, & inijciantur clysteres ex decocto centuarij iubente

Heraclide Tarentino, vel parentur glandes ex nitro, ruta cumino, & melle, vt Possid. Deriuetur postea humor cucurbitula occipiti cum multa flāma admota, & sanguis extrahatur docente Archig. vel detonsis capillis caput illiniatur sinapismo, (auxilium id probatur ab Asclep. & Heracl.) & sternutatorijs abducatur; hoc agendum elleboro, cyclaminis succo, vel alio simili, sicuti Diocles. Interim materia crassa attenuetur, & incidatur aceto mulso decocto apij, aceto, pipere, & melle, quod iubet Praxag. Caput in principio irrigetur aceto, in quo serpillum bullierit, vt Archig. in hoc autem morbo vti frigidis repellentibus censerem ego esse admodum noxium; quatenus enim refrigerant, incrassant, & somnum morbosum adaugent: iure igitur facta vniuersali euacuatione admouebant seniores Medici capiti acetum cum serpillo, vt incideretur morbidus humor, incalefaceret cerebrum frigidum, & vigiliæ excitarentur. Laudat Cels. Sicut in Phrenitide consopire necesse est principem partem: sic in Lethargo excitare oportet sopitam facultatem odoribus, vt castoreo, & galbano: probat Dioscorides castoreum aceto dissolutum, & naribus instillatum. Heracl. totum inungendum esse aceto, & oleo imperat, & si fortè fortuna tremores superueniant, inungantur castoreo, oleo, & modico aceti, vt Aet. suasore Possid. atque Archig. Domo lucida collocentur. Victus sit tenuis, & subtilis, vt illi scriptores affirmant. Lib. 3.

Si verò Præcordia huius mali sint in causa, toto euacuato, curandū est, *vt multum spuant, calefaciendum, & à vino abstinendum*, sicut scribitur 3. de morb. *cataplasmata in principio loco læso adhibeantur ex polline, pane, & malo coteneo cocto; in progressu temporis semen lini ad pollinem admisceatur, althææ folia cocta, & absinthium: postea verò ex ordei farina, fænugreco, & althææ radice. omnibus autem absinthium admisceatur*. hæc Archig. Quænam aptiora? cum secundum tempora morbi cataplasmata varia instituantur, & semper aliquid absinthij addant, vt partium robur seruetur. nu. 5. Aet.

De Melancholia.

EST Melancholia imaginationis, & rationis sine febre læsio, quam insaniam vocauerunt Archig. & Possid. certum enim est melancholicos mente non constare, & imaginatione praua detineri. Sortitur hic morbus tale nomen ab humore, à quo generatur, vt omnes affirmant. Causa cuius propinqua est humoris nigrities, atque opacitas, sicut legitur lib. de Virg. Morbis Hip. attributo sic. *Præ acuta inflammatione insaniunt, præ caliginositate timent, & formidant*. à quibus verbis patefit legentibus tenebrositatem esse in causa timoris: sed si Mentem Arist. sequi volumus, potius frigiditatem timoris originem statuemus esse. cuius sententia legitur sect. 30. Prob. dum quærit: *Cur homines, qui ingenio claruerunt melancholicos omnes fuisse videmus*: quo Prob. comparationem quandam ponit inter vinum epotum, & melancholiam, sed ad rem nostram hæc leguntur. *Atræ autem bilis natura frigida penitus omnino ita se habet, vt dictum est, si modum excedit, hominem facit attonitum, aut obtorpentem, aut anxiū,* Prob. 1.

aut formidolosum: sed si admodum incalescit, securitatem animi, contilenasque parit. Sunt primi stolidi, & ignaui; quibus autem per multa, atque calida, hi ingeniosi, & loquaciores. & subdit. *Quamobrem cum formidolosum quicquam denunciatur, si habitus iusto frigidior sit, timidum reddit.* & paulò inferius. *Nam si vltra modum atræ bilis habitus frigidus sit, molestiæ, anxietates sponte, sine vlla ratione nascentur, ex quo mortem laqueo sibi cōsciscunt, maximè quidem iuniores, interdum tamen & seniores: At si calidior, securitatem, & lætitiam prestat: quocirca pueri lætiores, & senes timidiores esse consueuerunt. Atra autem bilis, vt superius narrauit, & frigidissima, & calidissima reddi potest: pati namque isthęc ambo eadem aptissima suapte natura est. vt etiam aqua, quæ etsi frigida est; tametsi satis concalefacta est: veluti quæ feruet, calidior quàm flamma ipsa sentitur, & lapis quoque, & ferrum ignita carbone calidiora euadunt, quæ quidem natura frigida esse nulli dubium est.* Hæc omnia fidem faciunt Aristotelem decreuisse timoris præcipuam causam esse frigiditatem, quod cōfirmauit etiam
C.4. 14. Par. p. 8. & sect. 27. p. 9. & 10. & lib. 2. de partib. Animal. his verbis. *Timidiora, quibus sanguis dilutus nimium est: metus enim refrigerat, itaque ea animalia, quibus eiusmodi temperamentum in corde habetur, metuendi affectioni sunt opportuniora: aqua enim frigore congelascit: quamobrem cætera animalia, quæ exarguia, timidiora sanguineis sunt. quorum autem sanguis fibris admodum multis, crassisque refertus est, hęc terrena amplius cōstant natura, & animosa, & iracunda Solida etiam, & firmiora omnia concalefacta vehementius, quàm humida calefaciunt, fibræ verò solidę, atque terrenę sunt, itaque quasi fomenta in sanguine efficiuntur, feruoremque per iram accendunt.* Non est tamen negandum fouere ad timorem etiam inducendum quandam caliginem, atque nigredinem humorum. Causa itaque materialis talis affectus est melancholia, vel atra bilis. quæ attamē si incalescat, existit etiam audaciæ fons, atque origo, si dictis Aristotelis est acquiescendum. Hæc materia interdum cerebrum infestat, non rarò sympathia hypochondriorum, partiumq; inferiorū ipsum oblæditur, vt Ruff.

Rhas. Refert. Cognoscitur quamfacilimè hæc affectio docente Aristotel. eodem problemate, cuius verba. *Molestiæ anxietatesque sponte, sine vlla ratione.* Omnes enim narrante Ruffo timent, cogitantque falsa sine aliqua causa. Deliramenta tamen illa, vt ipse statuit, atque cogitationes sunt ferè infinitæ:

Differ. nam aliqui tonitrua formidant: aliqui odio habent potum: aliqui putāt iam viperam deuorasse; & alij multa alia, quæ breuitatis causa omittam. Inchoante tali morbo ægrotantes solitudines amant, & cogitabundi manent, sicut idem testatur.

Si à ventriculo ortum ducat, atque ab Hypochrondijs, varia symptomata ægrotantem infestant, quæ minimè illum excruciant, si cerebrum tantùm erit in tali malo affectum. ante oculos nobis ponuntur à Diocle referente Galeno, quæ extant. *Sumpto cibo, & maximè coctu difficili, & caustico sputum multum concitatur, item ructus acidus, flatus, & æstus: in pręcordijs fluctuatio, interdum ventriculi vehementes dolores, qui nonnullis ad dorsum procedunt; coctis deinde cibis quiescunt, eademque rursus re-*
Causa. *uertuntur, & hic morbus flatuosus vocatur.* & dum causam vestigat, hæc d.

Suſpicandum eſt plus caloris, quàm decet, habere in illis venis, quę alimentum à ventriculo ſuſcipiunt, ſanguinemque in ipſis craſſiorem factum, & quod calor id, quod ſecundum naturam eſt, excedat, facillimè intelligitur ab æſtu, qui ipſis accidit, tum ab ijs, quę ingeruntur; ſi quidem iuuari videntur à refrigerantibus. & ſubdit, *aiunt nonnulli os ventriculi, quod inteſtinis continuatur, in talibus paſſionibus inflammari, & ab inflammatione obſtrui, & prohibere, ne alimenta ſtatuto tempore ad inteſtina deſcendant: quamobrem in ventriculo diutius manentia, quàm par ſit, Tumores, æſtus, & reliqua omnia prędicta efficiunt*. hæc ſunt, quæ Diocles quidem litteris prodidit, vt Gal. 3. de l. aff. c. 7.

Hic affectus in principio facilè curatur; at ægrè, ac difficilè, immo medicam reſpuit manum, cum iam chronicus, & inueteratus factus fuerit; immo interdum febricula teſte Celſo tabefacti pereunt, ſed curationem præcipuè admittit, ſi ſcabies ſuperueniat, hæc Ruffus. vel ſi varices, vt Ariſto. 4. Prob. interdum in Comitialē degenerat morbum: vel attoniti fiūt; P. 21. alij vehementiſſimè anxij, aut formidoloſi redduntur, ſi fides præſtanda exiſtit illis, quæ narrantur ſect. 30. Prob. ægrè ſanantur. & ideo ſemper medico indigent, vt 7. Ethic. 14. P. 1.

Si cerebrum principaliter laboret, in quibus ſanguis abundare videtur à principio ſtatim vena in cubito ſecetur, præſertim quibus ſuppreſſa eſt aliqua ſanguinis conſueta euacuatio: in mulieribus autem, quibus menſes defecerunt, venam in talo ſecare expedit. Vbi autem praui ſunt ſucci, vena ſecta purgare oportet maximè epithimo, & ſero lactis. hæc Poſſid. ſed ante purgationem ſuaſore Ruffo ſtudium adhibere oportet, vt humores optimè ſint concocti, poſtmodum vt ille narrat, *extrudere melancholicum ſuccum epithimo, & aloe, ſi quidem ex illis exiguum quoddam ſingulis diebus ſumptum plurimum iuuat, & leniter aluum ſubducit*. Concoquitur hic humor incidentibus, ideo probat acetum ante ſomnum, & vtitur ſalſamentis, & aceto ſcillitico, ſicut etiā probat Vomitum ex longis interuallis. poſtea purgetur elleboro, vt Dioſcorides: at Antylus, & Poſſidonius referente Aetio *non exhibent Veratrum, niſi illis qui forti morbo laborant, & illis, qui in alijs auxilijs ſpem non habent. ſint corpore robuſto, fortique animo, ſint parati humores ad facilè fluendum, per interualla hoc agendum, ita vt reficiantur ægrotantes, & vomitus à cæna prouocentur, & aluus ſit lenita*. hæc Archig. ſed Herodotus libro de prandijs euacuantibus, vt idem Orib. narrat modum parandi medicamentum tale, vt leue nocumentum afferat ægrotantibus. cuius verba. *Elleborus decoctus dari apud nos minimo periculo ſolet. eius apparandi hæc eſt ratio ellebori libram ſenis aquæ heminis triduo maceratam, lento igni decoquimus, vſque dum tertia pars aquæ conſumpta ſit, deinde elleborum exprimimus; tum mellis heminas duas decocto addimus, itemque decoquimus, donec non inquinet. ex hoc damus ijs, qui non admodum purgandi ſunt, cochlearia duo: robuſtis verò myſtri magnitudinem. purgatio, quæ per huiuſmodi fit, neq; ſtrangulationis, neque vllum alium metum, quem nimia purgatio, ſolet incutere. Datur autem, vbi opus eſt breui, & expedita curatione, non omnibus tamen elleborus accommodatè præbetur, vt ætati ambiguæ, corpori imbecilli, & timidæ naturæ*.

Raſ. Oribaſ. refert.

eius

eius vsum probat etiam Ctesius, vt Orib. eodem libro, his verbis. *Patris, auique mei temporibus nullus medicus elleborum dabat; nam neque eius temperiem, neque modum, neque pondus, quod dandum esset, illi cognouerant. si vero quispiam elleborum potui daret, in primis hominem admonebant, fore, vt in magnum periculum casurus esset. cæterum ex ijs, qui sumpserunt, multi suffocati, pauci reseruati. at nunc tutò dari videtur.* hæc ferè eadem Mnesitheus. Exhibet Celsus in tristi nigrum, in hilari album. à vehementibus tamen medicamentis, atque effrenibus est abstinendum imperante Platone in Timęo; irritatur enim magis humores. Minus vigorosa sunt epithimum, serum, & polipodium, & ius Galli tam celebratum

Cap. 53. à Dioscoride lib. 2. sic. *Abiectis itaque interaneis salem coniici oportet, & consuto ventre decoqui in viginti aquę sextarijs. aliqui incoquunt olus marinum, mercurialem, cnicum aut filiculam. crudos humores, crassosque, atram bilem, & strigmenta elicit.* qui tamen elleborum probat. purgato corpore, & si occasio postulabit deriuatis, & subductis à capite humoribus, Dandum est per quædam interualla, quantum cochlear continet theriacæ præsertim hyeme, & veris initio, vt Possid. potest enim hæc Andromacho narrante, multas vtilitates & roborando, & calorem excitando afferre ægrotantibus. commendat Dioscorides oximum.

Interdum melancholia suscitatur à vitio, atque morbosa affectione hypochondriorum, in qua quidem curanda medicus debet sua consilia ad tria dirigere, quæ sunt melancholici humoris purgatio, æstuosi caloris ablatio, & flatuosæ substantiæ dissipatio. difficilè tamen curatur, vt Ruffus, nam sępe, etiamsi diligentissimè opportuna auxilia instituantur à Medicis, curationem non suspicit, immo magis inualescit eneruatis à medicamentis infirmi viribus. E corpore abducit humores venæ sectio in principio acta; postea purgetur epithimo, deinde pulpa colocyntidis, & elleboro; sed quotidie aluus leniatur epithimo, & aqua casei, & cum vires fuerint instauratæ, vomitus excitetur, sed quibus ventriculus imbecillus, minimè conuenit. hæc Ruffus: clysteria quoque conueniunt prius placida, postea ex filiculæ radice, & epithimo, & tribus diebus interpositis hieram dabis, quantitas sint drachmæ duæ ex aqua mulsa, & salis cochlearium paruum. Exhibenda præterea, quæ Vrinam mouent, vt anisum, & daucus: conducunt etiam inanitiones, quæ per sudorem fiunt, siue laboribus, siue balneis, vel inunctionibus ex oleo chamomælino cum nitro, vt Possid. Refrigerantia feruidum calorem remouere possunt, à quibus melancholici maximum fructum accipiunt, sicuti Diocles: probat Ruffus, & Possid. seri vsum bene depurati: non enim tantùm refrigerat, & humectat, sed etiam aluum subducit. Flatum discutiunt, atque dissipant, & ventriculum etiam roborant varia, à quo flatu hæc passio flatulentæ passionis nomen desumpsit teste Arist. sect. 30. Prob. Fomenta itaque conueniunt ex oleo in quo pulegium, anethum, ruta, & serpillum bullierint sua sore Possid. vel irrorationes super loca infirma ex aqua, in qua menthastrum, & rutam decoxeris, at si flatus copiosus, cucurbitula admoueatur, vt Ruffus. *Procedente*

Possid. 17. Ruff. *autem passione, vtile admodum erit vti rubificanti, quod ex sinapi, & ficubus paratur. concoctionem enim reuocat, ventriculo robur addit, & si quis*

dolor in præcordijs remanſerit, ipſum delet. Poſſunt hæc frigidam intem- Poſſid. & Ruff.
periem talium partium auferre; non eſt inconſonum rationi iecur æſtuo-
ſum magnã proluuiem bilioſi humoris producere, à quo ſymptomata illa
ſuſcitentur, & ventriculus ſit frigidus, atque humidus. inter cetera, quæ à
multis omnibus his actis probantur, eſt abſinthij decoctum à Poſſidonio
celebratum quàm maximè. cuius verba. *Abſinthij decoctum frequenter* Aet.
præbebis; cum aluo, & ventriculo æquè proſit, ventoſitatem in ventre gi-
gni prohibet, nec in totum ſiccari aluum permittit, lotium inſuper prouocat,
& coctionem meliorem procurat, adeo vt hoc ſolo quoſdam viderim ipſe
liberatos.

Hilari maneant fronte, & à cogitationibus quoad fieri poteſt, remoti, vt
Ruffus, & ſuaues cantilenas audiant ſuaſore Aſclepiade. permulcent enim Lib. 2.
animum, & auertunt ipſum à mærore, & à cogitationibus, quod poſteri-
tati ſcriptum reliquit Alex Aphro. lib. 1. Prob. ita. *hæc eadem ratio eſt,* 78.
cur lugentibus tibias, atque tympana adhibeamus; & cur ad eos, qui vel
morte ſuorum anguntur, & mærent, & morbo laborant, homines congre-
gari, varioque vti ſermone ſolitum ſit; animus enim, cum ſe ad verba tranſ- Celſus.
ferat, minus rem ſentit aduerſam. vnde Veteres varia Scænarum oblectami-
na ſibi excogitauerunt, vt animum ſolatij, modò his, modò illis exceptum ab
angore ſeiungerent

Nutriantur cibis illis, qui facilè concoquantur, ſint generationis flatus
expertes, & aluum emollientes; ſi autem non poſſunt cibum aſſumptum
concoquere, vtantur balneo ante cibum, & omni ſtudio elaborandum,
vt pingueſcant, tunc enim peroptimè ſanati erunt, hæc Ruffus. Sit panis Ruf.
optime coctus, conueniunt aues montanæ, carnes hedinæ, lactentium
animalium, oua gallinacea, piſces ſaxatiles, proſunt et dulcia, acria verò
pro medicamento; vt aſparagus. omnium moderata ſit quantitas. Vinum
album, tenue, non valde antiquum, nec multum bibendum, ne in ven-
triculo fluctuet, conſulimus etiam, vt obſonia in aceto intingantur, &
hæc Poſſid. Aet.

De Vertigine.

CVm in vertigine, & in Scotomia nulla oculorũ appareat noxa, etiamſi
ea, quæ ſub viſum cadunt, circumuerti videantur; multi ideo credide-
runt oculos circa viſibile obiectum aberrare læſa aliqua interna facultate
ſcilicet imaginatione: ſed ſi credendum eſt ſcriptoribus medicis, longè à
veritate recedunt; præcipuè cum ab obiecto viſibili hoc ſymptoma excita-
tur, cum illud celeriter in gyrum vertatur, atque voluatur, ſicuti quando a-
ſpiciuntur fluminum rapidi curſus, & rotarum veloces vertigines; oculi
enim ſolùm male afficiuntur, ſicut etiam ſtatuendum venit in omni ge-
nere vertiginis contingere; præcipue cum Ariſtoteles in Problem. quibus
verba facit de vertigine, ſemper referat offenſam in inſtrumentum viſus,
ſiue in aſpectum, vt ſect. 3. quo quærit, *Cur grauiter à vino detentis omnia* 9
circunferri videantur. An quia conſpectus frequenter à calore vini compel-
litur, atque commouetur? nihil verò intereſt, an conſpectus moueatur, an res Viſus.

Visibile. *conspectui obuia.* Sic etiã Alex. caussam morbosæ Vertiginis narrat Theoph.
De vertig. lib. dicens. *Fiunt vertigines, cum aliquis spiritus, aut excrementitia humiditas caput petierit: & veluti in vorticem agitetur.* Frequentius autem gignitur, vt Archig. & Possid. *A vaporibus calidis, & acribus caput ferientibus animalem in cerebro spiritum euertentibus.* Quàm commotionem, etiamsi non spiritus, sed calorus cognouit etiam fieri Arist. vt problemate iam citato, & 6. part. quo legitur. *Cur vertigo surgenti potius, quàm sedenti? respondet, quia quiescenti humor vniuersus in vnum se colligit, sed mouenti se expandit.* Quod dilucidauit Theophr. his verbis demonstrans
P.4. talem motum in cerebro fieri sic. *Quiescentibus enim humor capitis consistit, & in se permanet, contra verò ijs, qui mouentur, turbatur, & confertim lapsus ciet vertiginem.* Non est autem censendum calorem, aut vaporem, aut humiditatem vertiginoso motu exagitatam in ipso cerebro gignere talem affectum, nisi ad oculos migrent vapores, & in ipsis tali commotione exagitentur, ad quorum motum visibilia obiecta quæque circulariter in ipsis oculis feruntur, & circũferri ab ipsis iudicantur, hæc nos docet Alex. 2. Probl. his verbis. *Cur hominibus admodum vinolentis circumuerti omnia*
73. *videantur? quoniam larga copia vini exhalationem spiritus vaporosi ad cerebrum mittit nimiam, qui spiritus cum digeri, atque consumi nequeat prius, quàm temporis spatium concoctionem exhibeat, per cerebrum voluitur, & quaque versus percurit, atque ita perturbatus profluit per neruos conspecti-*
Visorios. *uos, Pupillamque ad res conspectui obuias, facitque, vt tales videantur, qua-*
Visui. *lis ipse est. Affectum enim interiorem foris esse imaginantur. Quocirca effi-*
Visus. *citur, vt etiam caligent, & vertigine tantisper tentẽtur. Cuius vitij nomen à conuolutione aquarum deductum est. Neque verò ex vino tantùm, sed ex materijs etiam corporis illud accidere potest: quoties vaporem ad cerebrum nimium efferant, affectumque moueant, qui caligo vocata est.* Hæc ab Alex. pronunciata patefaciunt partem immediatè læsam esse oculos, remotam,
Opticũ. s. sed internam cerebrum, in quo vapores illi exagitantur, medium deferens neruum visorium, & causam esse vaporem ab aliqua materia productum.

Corripiuntur facilè hac affectione, quibus consuetæ excretiones sunt suppressæ; quod efficiunt & cruditates, & ebrietates, vt Archig.

Si Caput sit huius primordium: Aurium tinnitus, capitis dolor, & graui-
Signa. *tas, & olfactus, & alteriuscunque sensus offensa antecedunt. At si à ventriculo, cordis morsus, & nauseam præsentiunt.* Hæc Archig. lib. 1. Longarum Passionum teste Gal. 3. de l. aff.
C.8.
Prog. Si hic affectus per longum temporis curriculum excruciet ægrotantes, de facili in epilepsiam degenerat, maximè si in gyrum vertantur: immo seniores Medici Scotomiam leuem epilepsiam dixerunt.
Cel.
Cura. Vena est statim secanda, præcipuè si suppressæ hæmorrhoides, vt Draco
N.3. lib. de Coac. Præn. quo in casu vena tundatur in pede, at si corpus sanguine affluat. *Et vires sint validæ, & nihil prohibeat in cubito, qui pluribus vicibus extrahatur.* Vt Archig. Corpus hiera, & castoreo purgandum, at si crassi sint humores vino scillitico incidendi iubente Dioscoride, & clysteribus acribus reuellendi, sicut Rufus referente Orib. Euacuato toto, varijs auxilijs deriuetur materia, scilicet *sternutatorijs, & mansis,* vt Archig. *vel san-*

sanguis è naribus extrahatur, vel à vena frontis: at si diuturnus, & vehemens in capite fiat morbus, & purgato capite non discedat, erit caput scarificandum, & venæ in eius circuitu inurendæ; ex his enim solùm sanum fore spes est. Hæc Polybius l. de affectionibus, vel arteriæ incidantur, vt Possid. Conueniunt hæc omnia, si sanguine corpus affluat, vel pituitosa materia illum socium habuerit. At si frigida intemperies caput obsideat, ipsum calefacere oportet, quod fortè nos docuit Polyb. sic. *Prodest capitis calefactio, & lotio multa calida:* Eius enim calefactio non solùm potest, vt ratio mihi suadet, inalterare, ac transmutare frigidam intemperiem, sed humidam absumendo, & educendo humores in intimis partibus latentes ad exteriora. .s.arteriæ, vt aliqui. N 2.

A vino se abstineant, vt Ruffus, & victus sit sorbitio, & aquæ potus, sicut Polybius.

Si à ventriculo ortum ducat hæc passio, purgetur cum his, quæ ipsum euacuant, vt hiera, & vomitu, cuius frequentem vsum Ruffus commendat. Ras.

De Catalepsi, vel Cathoco.

Catalepsim omnes illi, qui ante Galeni aduentum medicinam fecerũt, detentionem, siue Oppressionem quandam esse affirmauerunt: sicut nobis tradidit Paulus Aegineta lib. 3. sic *Quam ob causam antiquiores Græci hoc detentos morbo, catochos, vel catochomenos, quasi dicas occupatos, deprehensosque nominauerunt.* Cathocum hunc vocauit Philippus, atque Chrysippus, de quo morbo Niceratus librum composuit, in quo demonstrat aduersus aliquos à veteribus Medicis peroptimè cognitum fuisse. Est talis passio corporis, atque mentis quædam oppressio: nam ægrotantes in dorsum cubant, oculis immotis, atque adapertis, vt Archig. & Philip. referente Galeno 2. Pror. & ideo multi aphoniam hunc affectum vocauerunt, sicut Diocles, quem à siccitate, & à pressura produci statuerunt. C. 10. Asclep. in lib. suis. Com. 55. Cel.

Morbus re vera grauissimus, vt illi pronunciauerunt, & curatu difficilis: cum à lethargo, sicuti Asclepiadis sectatores, parum distet, hoc genus morbi, vt Praxag. Diocles, & Archig. inuadere solet ægrotantes post febres periodos habentes.

Reuellendi sunt, & retrahendi humores obnoxij Diachridio, atque castoreo, vt Chrysippus, cuius quantitatem describit Asclep. dicens, diachridij obolum cum tribus, vel quatuor obolis castorei cum aqua dabimus. Hoc etiam assequimur suppositorijs acribus; sinapismata quoque articulis admota hoc præstant; his actis caput abradatur, & caput thapsia illinatur, atque tempora imperante Asclepiade, & vtendum illis, quæ materiam per nares educere possunt, vt Chrys. qui ob stuporem articulorum, vel tremorem iubet parandam esse inunctionem ex oleo cyprino, pipere admisto, & nitro, & fomentum ex aqua salsa incoctis sulphure, & bitumine. Hæc omnia probantur à Themisone in libr. quos periodicos vocauit, & à Sorano. Cel.

De Incubo, siue Ephialte.

Signa. PRæfocatio, vocis interceptio, grauitas, & immobilitas tempore somni inuadens hominem sunt certa Incubi indicia, quæ omnia suscitantur, dum ventriculi cerebri vaporibus crassis, & frigidis implentur, à quorum

Causa. repletione impeditur transitus facultatis ad neruos: hæc Possid. Non fit autem tantum facultatis impedimentum, quantum in epilepsia fieri so-

Aet. let, minus enim grauis est hic morbus, & subito euanescit: quod patefecit Possid. sic. *Nam per multam anxietatem attenuato, & discusso spiritu, & adapertis meatibus derepentè excitantur.*

Ras. Quàm facilè, vt reliquit scriptum Ruffus lib. de melancholia in epilepsiam transit, vel narrante Possid. in Insaniam, vel Syderationem.

Cura. Quapropter in ipsius principio toto pectore est incumbendũ, vt quamprimum aboleatur. Si sanguis redundat, venam secare oportet, si vitiosi humores purgandi, vt Possid. qui tamen prius incidendi, atque parandi veniunt. Vomitus mirificè à Ruffo celebratur, immo affirmat ab hoc esse incipiendum, & postea purgandum: qui toto purgato, imperat mansis, & naribus infusis materiam à capite abducendam esse, & ipsum castoreo inungendum; vt intemperies remoueatur. *Vel irrigandum venit oleo anethino calido, & pileo integendum, dum æger se somno tradit: auxiliatur illis pæoniæ fructus niger, si quindecim eius grana trita cum aqua exhibeantur.* Hæc Possid. Victus instituatur tenuis, vt Ruffus.

Memorat Silimachus Hippocratis sectator contagione quadam plurimos ex ista passione, veluti lue apud Romam præfocatos fuisse.

De Memoriæ iactura, aut eius diminutione.

EST obliuio præteritorum amissio, vel potius, si nobis est aliqua potestas nomina fingendi, Deletio, quam appellauit Plato in Phædone scientiæ amissionem, & in Philebo memoriæ exitum; rerum enim vestigia à sensibus iam impressa amittuntur, & non retinentur. Inuenio ego secũdum Aristotelis mentem duas esse iacturæ memoriæ causas, humiditatem. s. & siccitatem. humida enim benè recipiunt, & non retinent: sicca verò vel dura modum excedentia prohibent receptionem, & impressionem specierum, fit enim in parte memoratrici facultati destinata, & inalteratio à specie, & eius retentio. hæc nobis reliquit scripta Arist. lib. de Memoria, &

C. 2. Reminis. his verbis. *Dubitabit autem aliquis, quomodo passione quidem presente, re autem absente meminit, quod non præsens. Manifestum enim est,*

s. à specie *quòd oportet intelligere talem aliquam factam passionem per sensum in anima, & in parte corporis habente ipsam, veluti picturam quãdam, cuius passionis dicimus habitum esse memoriam: factus enim motus imprimit veluti figuram quandam sensibilis, sicut sigillantes annulis. vnde & aliis, qui in motu multo, aut propter passionem, aut propter ętatem sunt, non fit memoria; tanquam vtique in aquam fluentem incidente motu, & sigillo; alijs autem propter duritiem accipientis passionem non ingignitur figura. Similiter &*

mul-

multùm veloces, & multi tardi videntur immemores; illi enim humidiores sunt, quàm opportunum sit: hi verò Duriores. illis non manet phantasma in anima, hos verò non tangit. Hæc omnia nobis demonstrant non tantum læsæ memoriæ duas Ar. proposuisse causas, vt superius narraui, sed tres in medium attulisse, addidit enim, & humiditati, & duritiei, agitationem, atque motum excitatum, aut à passionibus, aut ab ætate, sed si mente conspicimus noxam, quæ fit à parte organi deseruientis tali facultati, affirmabimus duas tantummodo esse à me propositas, at causam immediatam vnicam esse tantum dicemus, quæ existit specierum prohibita impresio, ad quam illæ tres reducuntur. deleri memoriam ab humiditate habemus à Platone in Theæteto, à qua vt plurimum talis affectio dependet, sociam habente aliquam frigiditatem; à superflua humiditate obliuionem produci cognouit Ruffus lib. de Memoria affirmans optimam memoriam à siccitate pendere, nec sine ratione, si contrariorum effectuum causæ sunt cõtrariæ. quod affirmauit Archig. referente Galeno 3. de l. aff. sic. *Vt facilè constet ipsum credidisse ad humiditatem, & frigiditatem, vel cerebri, vel membranarum hanc dispositionem pertinere.* Non negarunt tamen mea equidem sententia Ruffus, & Archig. non posse aut auferri, aut diminui hanc animæ functionem ab excedenti siccitate, à qua frequenter noxam patitur, & præcipuè cum pro tali ægrotanti scilicet patre Marsi curationem instituat. Rhas. C. 4.

Sæpè est hoc malum, aut epilepsiæ, aut apoplexiæ internuncium, vt Ruffus.

Si itaque aliqua materies sua humiditate rerum preteritarum memoriam deleat sanguis modicus extrahatur incipiente morbo, & reiteratis vicibus, nisi fortè laborantis imbecillitas obstiterit: hæc Archig. hanc iussit sanguinis emisionem potius reuulsionis gratia, quàm euacuationis; cum decernat extrahendum esse reiteratis vicibus, & pauca in quantitate, ne refrigeretur corpus. Purgetur corpus hiera, vt Ruffus, quam ipse descripsit. Euacuato toto reuellendi sunt humores varijs auxilijs. quæ nos docet Archig. dicens. *Consultum mihi videtur vniuerso quidem corpori irrigationes, & fomenta: quibus tentat vi caloris humores ad partes retrahere. quibus reuulsis deriuare in capite detentos imperat cucurbitulis deraso capiti admotis. quæ efficaciores existunt, si concisa cute adaptentur.* & subdit. *Vel sinapi totum caput liniendum, deinde ablato sinapi caput nitro conspergere; mox aqua calida rigare iubet; quod auxilium etsi intolerabilem excitet dolorem, nulli, vel maximorum præsidiorum cedit*: studet enim Archig. his medicamentis non solùm humorem in internis partibus capitis residentem foras extrahere; cum calorem excitent, & dolorem vehementem inducant, sed frigidam, atque humidam intemperiem cerebri in contrarium transmutare; quæ est huius affectus principium, atque origo: & denique deriuandi sunt sternutatorijs, aut mansis, ipso imperante, Gale. verba hæc. *Ex sinapi, nasturtio, grano cnidio, & staphisagria apophlegmatismos instituit, & sternutamenta mouere iubet.* Vt reliquiæ humoris à sinapismo non attractæ per illos ductus, quibus cerebrum expurgatur, euacuentur. Hæc sunt auxilia euacuantia, reuellentia, & deriuantia, inter quæ, & aliqua alteran- Gale. loco citato. Gal. ibid. Gal.

rantia, ab Archig. instituta. Qui etiam ad cerebri remouendam intemperiem humidam, atque frigidam, *potiones propinare iubet ex vehementer calidis, aridisque medicamentis*. quæ à Ruffo etiam probantur: hæc efficiũt Theriaca, & Mithridatum.

Nutriantur calefacientibus, & subtiliantibus, & caput replẽtia fugiant, hæc Ruffus.

De Insania.

INsanire illos propriè appellabant Medici antiquiores, qui furore quodam citra febrem exagitati, atque impulsi ea operantur, quæ minimè agere debent. quos Aristotelem collocasse arbitror sub illis melancholicis, quos audaces, atque temerarios nuncupauit. tales non discernunt verum à falso, & sæpè nec bonum à malo; imaginationem enim, & cogitationẽ omnino deprauatã habent, semper aliquid de nouo componentes: Has facultates deprauatas esse litteris mandauit Archig. & Posid. quorum verba. *in hac memoria, & ratio læduntur: memoria verò seruatur, coniectatur hoc à cantilenis, quas familiares habent, sed non rarò ab inceptis desistunt ob earum deprauatum motum.* distinguitur à melancholia, multi enim horum non timent, nisi atra bilis socium habeat melancholicum succum. ortum ducit à bile, & tantò fit insania minor, quantò paucior erit bilis ipsa
num. 28. § pituita, vt Hip. Thessali filius lib. 1. de Morb. *At si hæc ad sanguinem fuerit ammixta, & mordacem ipsum effecerit, ita vt ab ipsa stimuletur, & pungatur cerebrum, & membranæ eius, iracundi, temerarij, & percussores euadunt, si superaßata, & crassefacta, ferinos inducit mores*. hæc Archig. Ab æstuo suo enim calore commouentur, & exagitantur phantasmata, & sanguis præter modum incalescit.

A calore pendere insaniam litteris prodidit Arist. sect. 30. Prob. sic. *Mul*
1. *ti autem, propterea quod ille calor sedi mentis in vicino est, morbis vesaniæ*
eod. loco. *implicantur, aut instinctu lymphatico inferuescunt*. & vbi de vino mentem feriente, à cuius exemplo desumit varietatem melancholiæ, & insaniæ, hæc d. *post hac processu potandi ampliore, hominem audacem, propensumq; facit ad agendum, deinde plenius amplificato, in contumeliam, & petulantiam venit, mox ad insaniam*. Sicut autem hæc omnia pro maiori, aut minori copia vini hominem infestant, & excruciant; sic statuendum venit cũ Thessali filio maiorem, aut minorem bilis prouentum esse in causa maioris, aut minoris inconstantiæ mentis, at si modum excedat, insaniam perfectam producere nemini est obscurum, quàm ferinam Archigenes dixit, quæ à superassata bile gignitur; fiunt hi ferarum imitatores, *quidam enim propriam carnem degustauerunt, domesticos tanquam insidiatores occiderunt, percusserunt, & vulnerauerunt*. At Posid. & etiam Archig. non solum crediderunt insaniam à bile procreari, sed etiam à sanguine, quorum
Aet. verba. *Insania fit citra febrem multo sanguine non putrefacto ad cerebrum confluente, qui aliquando purus est, & multitudine solùm offendit, velut in ebrijs, aliquando flauabile immixta*. sed fortè hoc quidem in loco insaniã pro stultitia, atque fatuitate vsurpauerunt; à sanguine enim homines nec

teme-

temerarij, nec iracundi redduntur. Non pauci Insaniam Caninam, vel Lupinam sub insania locauerunt, quam fortè ferinam Archig. appellauit. sed re vera insania vocatur à Priscis Medicis illa passio, in qua imaginatio, atque cogitatio deprauantur comite furore, atque temeritate, sine febre.

Si à sanguine producitur, risus immodicus ipsis commouetur videntibus sæpe ob oculos imaginatiunculas quasdam risu dignas, hilaris est ipsis facies, & assiduè canunt, & aliquando ex contingentibus euaporationibus sonitus circa aures adsunt, vt putent se tibicines audire. hæc Archig. Aet.

At qui insania lupina vexantur in Februario mense, vt Ruffus, & Marcellus, noctu exeunt per omnia imitantes lupos, aut canes, & vsq; ad diem monumenta maximè aperiunt, hi pallidi, & imbecilli existunt, oculos siccos habent, & non lachrymantur, sicca est eorum lingua, & salinam non profundunt, & tibias exulceratas habent. Aet.

Est insania miserabile morbi genus, cum principes illæ animæ facultates, quibus homo exornatur, omninò decipiantur. at miserrimum est, si ab humorum qualitate merito instrumenti quoquomodo inalteratæ ferinas à se edant operationes; à corporis enim offensa hæc gigni Empedocles, Plato, & tota Antiquitas posteritati scriptum reliquit. Prog.

Vena, cum vehemens sit is affectus, si vires constent, secetur, immo plurimi Methodicorum Cælio Aureliano referente, sanguinem ab vtroque cubito extrahebant; maximè congruit venæ sectio, si mulieribus suppressę sint purgationes, sicut legitur lib. de Virginum morbis Hip. attributo. decernunt Archig. & Possid. mittendum esse ad animi deliquium, sic & Themison lib. 1. tardarum passionum. Corpus purgetur elleboro, & omni ingenio procuretur, vt ad inferna humores retrahantur; & ideo acres clysteres, & vrinam prouocantia ab ipsis laudantur. & postea, vt multis placet, ad arteriarum timporum sectionem est deueniendum, & omnia illa auxilia, quibus phrenitis curatur, hoc quidem in morbo à priscis celebrantur. Æstuosa intemperies contrarijs debellãda, vt fero suasore Ruffo, & frigidis omnibus, sicut Diocles, & balneo iubente Themisone quod sit aquæ dulcis, vt Marcellus; possunt enim hæc omnia frigefacere, humectare, & somnum conciliare. qui papaueris decocti irrigatione conciliandus venit, vt facultates principes aberrantes consopiantur. Sunt denique à cogitationibus illis, quibus perpetuò affliguntur ægrotantes, auertendi: quod quatuor possumus assequi modis: Aut auxilijs impetum in ægrum facientibus; nam vis vi interdum propellitur, & furor furore sanatur: & ideo Titus lib. 2. de anima Asclepiadis Discipulus imperat esse flagellandos, & vinculis constringendos, Aut inebriandos vini copiosi potu, vt facultates ad alias cogitationes à calore vini impulsæ, & exagitatę à multiplici occursu phantasmatum traducantur, hoc vtebantur Asclep. 2. lib. tard. pas. & Themison. Aut imbecillitatem virium inducentibus, sicut Idem scriptor: nam cum vires languent, animi furor perit, aut hebetescit, exemplo sunt nobis animalia ferocia, quæ subtracto alimento mitia, & mansueta redduntur: sed interdum ab inedia magis corpus exiccatur, vnde acutiores fiunt humores, qui postea furorem adaugent: Aut denique Celsus.

cum

cum his, quæ animum mulcent, atque leniunt, hoc agunt suaues, cantilenæ, & ad amorem Venereum Suasiones, vt Themison. persuadere possunt insania correptis ad amandum amicorum adhortationes, & formosæ mulieris dulcis aspectus. consopiunt præterea animum cubiculi obscuritas. Ferè hæc omnia sparsim tamen colliguntur à placitis Asclepiadis, vt narrat Orib. probat Philumenus in insania Hippomarathri radicem, & semen eius epotum, & bryoniæ radicis denarium ex aqua quotidie sumptum. non est autem censendum omnia illa superius narrata omnibus speciebus insaniæ conuenire; sed potissimum illis, quorum origo à bile dependet, quædam tamen horum omnibus sunt communia.

De Apoplexia.

EST Apoplexia, siue Syderatio ablatio sensus, & motus vt Themison,
Act. quæ si aliquas partes tantùm obsideat, paralysim vocat; talem descri-
ptionem habemus etiam ab Archig. cuius verba. *Cum omnes nerui sen-*
C.10. *sum simul, & motum amiserint, syderatio appellatur, si verò iuxta alteram*
partem, siue dexteram, siue sinistram hoc contingat, Resolutio vocatur illius
partis: hanc diffinitionem ante oculos nobis ponit Gal. 3. de l. aff. initium
suæ generationis trahit à venarum obstructione, sicut nos docet Thessali
N.6. filius lib. 2. de Morb. sic. *Fit, cum atra bilis in capite commota fluxerit ma-*
ximè in partem, in qua plurimæ sunt venæ, in collum, inquam, & pectus.
quam causam affert etiam in medium Hipp. lib. de Vict. rat. in morbis
ac. & lib. de Morbo Sacro. at non tantummodo à melancholico succo ob-
turari possunt illæ venæ, (sub quarum nomine continentur etiam arteriæ
secundum antiquos,) sed etiam à pituitoso crasso, multo, atque lento à ca-
P.9. pite defluente, quod reliquit scriptum Arist. lib. 1. Prob. ita. *Si verò pitui-*
ta redundat, raucitates, destillationesque in pulmonem oriuntur: seniores
N3. *stupor attonitos reddit, vbi vniuersus resolutus humor incubuit ex que calo-*
ris natiui imbecillitate concreuit. & lib. 3. de Morb. hæc leguntur. *Cum*
cerebrum multa immunditia vitiosorum humorum repletum fuerit; Venis
enim & meatibus cæteris à corde ad cerebrum deuenientibus humore
crasso repletis impeditur transitus facultatis, & caloris ad partes omnes,
præcipue si venæ illæ, quæ intertexunt retiformem plexum, fuerint obstru-
ctæ. at non ita leuiter, vt in epilepsia euenire solet; non enim omnino clau-
duntur tali in passione, sed semiobstruuntur, & legitur lib. de Flat. fieri à
flatu. à quo cum frigidus sit, sanguis congelatur; à cuius congelatione ve-
tatur facultatis aditus ad partes sensui, ac motui destinatas.

22. Signa proponuntur à Thes. 2. de Mor. quæ sunt: *dolor caput tenet, vox in-*
tercipitur, stertit, os hiat, vocatus, vel commotus solùm suspirat, nihil intel-
ligit, mingit, & mingere se non sentit, ab impedita autem facultate omnes
actiones animæ abolentur.

Moriuntur septima die, si febris eos non inuaserit, vt 2. de Morb. at si
N.6. periculum hoc effugerint, in diuturnum morbum incidunt, aut in resolu-
Prog. tionem aliquarum partium, aut in oblæsam rationem, si est fides præstan-
da Ar-

da Archigeni. interdum confestim ad interitum vocantur, vel saltem tertia, aut quinta die moriuntur, vt 3. de Morb. bonum si hæmorrhoides superueniant, malum si frigiditas lib. Cou. n. 4. N.3.

Cum igitur morbus collocetur in genere peracutorum, vena sine aliqua mora secanda. vt Celsus: prius tamen acri iniecto clysteri ex muria, & melle parato: hæc Philip. sectione enim facta transpirationem efficito, vt lib. 3. de Mor. Thes. *Prius tamen ipse iubet capiti fomenta adhibere.* Ab his enim humores crassi liquidi, ac tenues euadunt, vnde facilius sanguinis emissione foras educuntur. Aluus purganda, ne morbus reuertatur, vt 2. de Morb. & est materia in venis existens attenuanda, & exagitanda varijs, vt incalescat: quoniam sicuti legitur num. 6. *Si incalescat, aut arte, aut à seipsa diffunditur, & mouetur, spirationem inducit, & æger sanus euadit.* & ideo num. 24. multa calida ipsum abluit, & vtitur fomentis; calidi enim est rarefacere, diffundere, atque attenuare. omnes calefaciunt caput hoc in malo teste Galeno lib. 3. de l. aff. quod affirmauit Celius Aur. dicens. *Aliarum sectarum successores caput fouent admiscentes serpillum, & peucedanum, & lanis rudibus contegunt.* vel inungatur præcipiente Ruffo lib. de Memo. *initium spinalis medullæ cum semine sinapis, castoreo, serapino, & euphorbio, quæ etiam exhibeantur in potu.* potest talis inunctio, si consideremus facultates eorum, è quibus conficitur, calefacere, & attrahendo ad summam cutim subtiliores humores, & vesicas inducendo materiam reuellere, aut potius deriuare. Mouent etiam materiam illam morbosam varia à Philumeno descripta, quæ ferè omnia probat Archig. quæ extant. *Sunt ægrotantes odoramentis excitandi, vt castoreo & galbano, os quoque aperiendum, & digitis, aut penna oleo intincta extra eiiciendum, si quid superflui fuerit; sedes inungenda ijs, quæ flatum educunt, & clysteribus acribus vtendum.* Horum quædam calefaciunt, quædam caput mundant, & quædam reuellunt, & nonnulla deriuant: semper autem imperante Diocle, & Archigene euacuantia, & reuellentia præcedant & deriuantia, & partem læsam inalterantia. educunt preterea sternutationem irritantia humorem in capite detentum, quæ sint leuia, & odorata sicut 3. de Mor. leuia, ne maxima fiat agitatio, odorata, vt cerebrum calefaciant, ac roborent. *At si his omnibus tentatis æger meliùs non se habuerit, scindito sinciput, & sanguinem extrahe.*

Cura. Oribas. C.5. N.3. Ibid.

A vino penitus se abstineant, & ptisanæ succo nutriantur, vt Thessali filius.

De Epilepsia.

MOrbum Comitialem aliqui Sacrum, & Herculeum appellauerunt; quam denominationem ab Hercule desumpsit, qui tali morbo vexabatur teste Aristotele Par. 30. Prob. ante Hippocratem diuinum, & sacrum dicebant, cuius verba libro de Morbo Sacro. *Diuinam, & sacram appellabant, cum nihil haberent, quod exhibitum prodesset, & ne fieret manifesta eorum ignorantia, sacram, & à Deo missam esse hanc affectionem pronunciauerunt.* Celsus Maiorem dixit Esse hunc Morbum Conuulsio- 1.

nem, vel potius eam ſequi illum, patefacit Poſſid. dicens, *Conuulſio ſequitur ad morbum commitialem*, Omnes principes functiones oblædi, & omnes ſenſus indicant ſyptomata ægrum occupantia, *Fit enim mutus, ſuffocatur, ſpuma ab ore fluit, dentes conſtringuntur, manus conuelluntur, oculi diſtorquentur, nihil ſapit, & ſentit*. producitur hæc affectio ab obſtructione, atque clauſione meatuum, per quos transfrrtur ad partes facultas. quod elicitur ab Ariſt. placitis lib. de ſomno, & Vigilia, cuius ſunt verba. *Propter hanc cauſam epileptici fiunt, ſimile enim eſt ſomnus epilepſiæ*: de-
eius uerba. monſtrauit autem verbis ſuperioribus fieri ſomnum *à multa humiditate, quæ cum deorſum fluxerit, & reuertendo repulerit calorem ſomnum conciliat*. & ſubdit loquens de Epilepſia. *Cum multum fertur ſpiritus ſurſum deſcendendo rurſus venas tumefacit, quibus coarctatur meatus, quo reſpiratio fit*. fieri talem clauſionem à ſpiritu ſolo, hoc me quidem iudice impoſſibile exiſtit, ſed potius credendum vnà cum ſpiritu deferri humores, qui ſuo lentore, atque copia repleant venas, & tumidas reddant. cauſa illa quæ ab Ariſt. narratur, in medium affertur dilucidiori tamen modo ab
N. 7. 8. 9. Hip. libro de Morbo Sacro his verbis. *Mutus quidem fit, cum pituita derepentè in venas delapſa aerem excluſerit, & non admiſerit neque in cerebrum, neque in venam cauam. Et ideo nequeunt ſpiritus pertranſire*,
27. vt lib. de Vict. rat. 4. Scribit autor de flatibus num. 21. & 2. epilepſiam à flatu produci. cuius verba. *Dico & ſacrum morbum tum fieri, cum plurimus ſpiritus per omne corpus vniuerſo ſanguini fuerit permiſtus: tum enim multæ opilationes fiunt per omnes venas, cumque in craſſiores, & pleniores ſanguine venas aer prodierit, progreſſuſque diutius maneat, prohibet ſanguinis curſum, atque alio quidem loco conſiſtit, alio lentiùs penetrat, alicubi autem citiùs, à quo quidem inæquali tranſitu ſanguinis per corpus omnigenæ inæqualitates per corpus contingunt; vnde totum corpus contrahitur, atque turbatur, & fiunt in ipſo ſubuerſiones, ſpumaque per os excurrit. nam per iugulares venas aer tranſiens penetrat quidem ipſe, adducit autem ſecum ſimul quod tenuiſſimum eſt in ſanguine, idipſum, cum*
Exagitatus. 1. *humidum ſit, albeſcit; tenues enim membranas purus permeans aer pellucet; quapropter omnes ſpumę albæ apparent*. Plato autem decreuit à pituita gigni caput repl[illegible]te, vt in Timæo legitur, à qua fortè putauit ſuſcitari obſtructiones illas venarum, & meatuum, ab Ariſt. & alijs relatas. Non raro procreatur etiam per conſenſum aliarum partium, vt cruris, aut pedis, aut digiti tantùm, à quibus aut vapores, aut qualitates quædam moleſtæ *eleuantur, quæ & cerebrum, & neruorum originem feriunt*,
Poſſid. *à quorum læſione contrahitur, atq; exagitatur* totum corpus. quod genus epilepſiæ cognouit Pelops Hip. interpres, Galeniq; præceptor, cuius ver-
3. de l. aff. c. 7. ba refert Gal quæ ſunt. *Nō impoſſibile eſt, inquit Pelops, in corpore ſimilem aliquam eſſentiam generari non accedente cauſa externa, quæ vbi neruorum aliquam partem occupauerit per continuas partes vſque ad neruorum principium vim ſuam tranſmittit, ſiue id per alterationem, vt ipſe dicebat, fiat, ſiue ſpiritali eſſentia ad ipſum elata*. quod etiam affirmauit ab alijs medicis cognitum fuiſſe cap. de Melancholia, dicens.

Atque inter optimos medicos conuenit non ſolùm hæc accidentia, verum

etiam

etiam morbum comitialem capiti à ventriculo procedere. Et Possidonius affirmauit à quacunque parte hunc affectum suscitari posse, ut à crure. Aet.

Sanabilis est, nisi iam pro temporis longitudine inualuerit, præcipuè ætatis mutatione, vt non pauci Priscorum affirmant.

Materiæ prouentus è corpore abducendus venæ sectione, vt Thes. Soranus, Asclepiades, & Serapion lib. Curationum, extrahatur à brachio, veluti Themison ad sanguinis mutationem, & reiteratis vicibus in li. I. tard. passio. tundit Celsus in insultu: postea incidendi, ac attenuãdi viscidi, atque tenaces humores aceto scillitico, vt Dioscorides. Probat Serapion medicamentum ex hissopo, aceto, & melle: incisus humor, atque concoctus expurgetur elleboro, vt Archig. aut agarico, & elleboro. vt Diosc. vel elleboro, & scãmonio, vt Serap. quæ euacuatio repetenda venit iubente Themisone. aufertur etiam vomitu, qui veratro prouocetur, vt Praxag. *Sed à debilioribus inchoandum, & postea ad vigorosa ascendendum*, suasore Archig. *Hoc enim genere auxilij sperandum erit ægros sanitatem recuperaturos esse*. Reuellunt præterea acria clysteria, vt Asclepiad. quæ admodum sint mordacia, vt Themi. hoc præstant & frictiones, & diuretica, vt Diocles, & Praxag. nec non etiam adurentia medicamenta extremis admota, & articulorum nexus, quæ ab Antiquioribus probata. Postea caput per nares purgandum, vt Prax. rubificanti illinendum, iubente Archig. vt materia ad externa attrahatur, & incalescat cerebrum; vel inuratur candẽti ferro varijs in locis, vel terebro perforetur, vt Themi. vel vulnerandum, vt Praxa. vel eius arteriæ secentur, veluti ferè omnes, immo Archig. inter cætera auxilia sectionem arteriarum post aures affirmat esse maximi auxilij. Cucurbitulæ cute incisa occipiti Cels. At non satis est materiam purgasse, & è corpore abduxisse: Sed operæpretium erit & intemperiem, à qua in horas producitur illa, auferre; hoc assequimur medicamento alteranti, tale est, quod ab Archig. describitur, quod habet *Castorei, abrotani, radicis panacis, piretri, croci singulorum drac. octo, seminum rutæ siluestris, mirrhæ, piperis sing. drac. quatuor, cum aceto mulso excipiantur omnia, drachmales pastillos formato, per triduum exhibeantur, deinde interposito triduo, iterum per triduum*. Commendant omnes castoreum aceto mulso desumptum, sed præcipuè à Dioscoride ad sydera extollitur, sicut etiam cardamonum, carpobalsamum, piper, sagapenum, betonica, ammoniacum, & brioniæ radix, si eius drachmam vnam quotidie per annum integrum aliquis capiat; inalterare enim potest, & humores crassos scindere, & attenuare, quæ duo à medico in curatione huius affectus sibi proponenda veniunt, quibus admiscere possumus aliqua à tota substantia comitiali aduersantia, de quibus infra. Salutaris censetur à Nilo, vt Gal. 2. de Antid. testatur, Antidotus Tyrannis dicta Antipatri vino desumpta. Sed omnes cerebrum calefaciunt narrante Galeno 3. de l. aff. sic. *Porro cerebrum quoque calefaciunt, quemadmodum apopleticos quoque curare consueuerunt, morbumque Comitialem inalterant, & cerebrum roborant stillicidia aqua salita*. Vt Cels. vel alia aqua thermarum vim retinente exiccandi, & calefaciendi.

Cel. Diocl. C. 5.

Tempore inuasionis omnia illa agere debemus, quæ excitare miserum ægrum possunt, hæc à Cælio Aurel. ad mentem priscorum proponuntur.

Cuius verba. Aliarum Sectarum Principes articulos ligabant, sternutatorijs aceto, & sinapi vtebantur, suffumigijs ex sulphure, frictionibus extremitatum, & totum corpus mouebant. At non inuoluam silentio auxilium quoddam probatum à Didymo referente Aetio, quod est. *Si magnum pedis digitum diuiseris ex quacunque parte, & destillante sanguine labia ipsius collapsi illineris, statim excitabitur.*

Si verò aut pedis, aut aliæ particulæ causa is morbus ægrum inuadat, toto purgato, & euacuato erit pars illa calefacienda, & sinapi, & dropacismo super illam vtendum: non solùm Prisci hoc genere auxilij vtebantur; sed etiam illi medici, qui tempore Galeni medicinam exercebant. Testatur hoc ille talibus verbis. *Sed puerum quoque, cuius morbus comitialis à crure oriri consueuerat, Medici, qui tunc ad curationem eius conuenerant, sanare sperabant, si in primis euacuato vniuerso medicamen ex thapsia, aut sinapi parti adhiberent, ligato in medio membro supra eam videlicet partem, quæ primaria dispositione erat affecta; atque hoc pacto accessionem reuerti prohibuerunt: quamuis antea quotidie puerum infestare consueuisset.* Alij, vt Themison, à loco læso sanguinem extrahebant: alij, vt Praxag. vsturam adhibebant parti malè affectæ.

Amuleta censentur à Serapione Squamulæ anteriorum crurum equorum, Cameli cerebrum, coagulum vituli marini, crocodyli stercus, & testudinis marinæ sanguis. A Dioscoride testudo terrestris cocta, eboris ramenta mirum in modum prosunt, sic mustelæ sanguis, & vrsi fel. A sectarum aliarum principibus referēte Cælio, lac asininum, sanguis humanus, exiccata mustela, corda hominum, & equorum: Alij verò ligamenta probauerunt, & magos adhibendos, & incantationes. Asclepiades xaolidem: Archig. eryngiū marinum. Possidonius radicem pæoniæ ita; vt stomachū tangat: at Ruffus in lib. de pæonia iubet illam sæpe esse olfaciendam. Sunt etiam, qui combustos asinorū vngues comitialem morbum curare dicunt, si assiduè bibantur, sicut refert Gal. 11. simpl. Medic. facul. qui & ossa desumpta (forte humana, cum alicuius animalis memoriam non faciant) commendant, & nouit Gal. aliquos his epilepsiā curasse. A vino, & à carne se abstineāt, vt antiqui, hęc prohibet Asclepiades li. 1. celerum passionum. Et Arist. lib. de somno, & vigilia. *Pueris non conferunt vina, neque nutricibus: differt enim nihil forsitan ipsos bibere, vel nutrices: sed oportet esse aquosum, & modicum.*

Diosc.

Cap. 5.

C. 4.

De Rabidi Canis Morsu, siue de Hydrophobia.

ADmiratione non leui re vera est dignum, quomodo Canes inter cętera animalia mansuetissimi, vt Plato lib. de Rep. scriptum reliquit, quos & Arist. lib. 1. de Hist. animalium animosos, amatores, & assentatores vocauit, illo morbo correpti, qui rabies appellatur, ita insæuiant & in feras, & in illos homines, quos prius blandiujs deliniebant, atque mulcebant; vt impetu quodam impulsi & excandescentes morsus atroces in illos inferant. & si consideremus hæc insania illos correptos agere, confestim omnis

Gal. 2. C. 1.

omnis admiratio à nobis fugit, & euanescit. Insanire illos in tali offensa vitiata imaginatione, nec non etiam vmbra quadam discursus nos docuit Damocrates his versibus.

Antidotus ad rabiosorum morsus Canum, Narrat
Qui mentem alienantes vexant latratibus. Gal.de

Et Arist. lib. 8. de hist. animalium Inducit rabies furorem distinguens ferè Rabiem à furore, quod tamen negant Ruffus, & Possidonius affirmantes rabiem illam insaniã esse his uerbis. *Ob immoderatã intemperiem insaniunt, & hæc rabies insania vocatur,* Quę in sæuiens ad mentẽ Arist. appellatur furor, & ideo dixit Rabiẽ inducere furorẽ. Causas euidẽtes, à quibus producitur talis noxa, patefacit Dioscorides hac in re diligentissimus dicens. *Canis plerunque flagrantissimis æstibus in rabiem efferatur, & interdum quoties frigora incesserunt.* In tali autem ardentissimo anni tempore, & in subiecto calido, & sicco, vt sunt canes, consonum est rationi, immo uerissimum humorum biliosorum retorridorum prouentum generari, qui postea in causa talis affectionis existit: & ideo uerisimile non est ab humore frigido originem suæ generationis trahere, nec à parte ambientis, nec à parte subiecti. Et parui refert, si interdum rabie tententur hyemali tempore; frigus enim sui natura rabiem suscitare non potest, sed potiùs torporem, ignauiam; quod si modum excedat, facultates consopire omnes certissimum est, si credendum est & rationi, & omnibus Philosophis. Nisi talem passionem producat per accidens. Si enim æstas (exempli gratia) antecedens fuerit calida, atq; sicca, & autumnus pluuiarum inops, arbitrandum est in corpore sicco biliosos humores procreari, qui postea à superuenienti frigore meatibus stipatis efferuescunt, & aduruntur animali etiam adaucto propter siccitatem calore; qui sunt insaniæ caninæ causæ, si locũ, quo potentiæ animæ sensitiuæ principes resident, occupauerint. Sed hoc rarò contingit, & ideo dixit Dioscorides, Interdum quoties frigora incesserunt: *Non est autem possibile, à sanguine melancholico, atque crasso dissipatis ab algido anni tempore subtilioribus eius partibus, furorem suscitari, vt non pauci sibi persuadent, talis enim succus timorem, mæstitiam, & solitudinis desiderium inducit,* Non autem impetum insolentem in homines amicos, cæteraque animalia; talia enim symptomata arguunt humorem adustum, atque æstuosum in tali corpore detineri; indicio sunt nobis ferinæ desipientiæ, in quibus ægri calcitrant, pedibus feriunt, mordicus impetunt, & excandescunt eos, qui ingrediuntur, tãquàm hostes existimantes. Non solùm autem Dioscor. Ruffus, atque Possid. decreuerũt intemperiem calidam, atque siccam esse tanti mali causam, sed tota uetustas; quod nobis patefacit Gal. 2. Pror. dicens. *De quo medicis omnibus summa in solidis animalis partibus siccitas esse dicebatur, atque vnà adaucta naturalis caliditas, & in igneam conuersa.* Et Pelops ipso referente appellauit rabiem affectum siccissimum.

Antid. 2.
C. 22.
Aet.
Lib. 7.
C. 1.
C. 16.

Cognoscuntur canes rabida insania correptos esse à uarijs signis, quæ ante oculos nobis posuit Diosc. his uerbis. *Rabiosus potum & escam auersatur, largam, & spumantem pituitam naribus, & ore proijcit: Toruè, & solito tristius intuetur, in omnes passim sine latratu irruit: familiares, &*

ignotos

ignotos mordet. Adde his hæc, quæ à Possid. narrantur. *Plerumque anhelat, ore hiat, aures inclinat, & segnius incedit, si verò cucurrerit, velocius solito currit sed intempestiuè, & inordinatè: qui etiamsi ardenter sitiant, potum non admittunt: vnde magis intenditur veneni malignitas*. Non tantummodo autem a retorrido humore hoc morbi genus producitur, sed etiam a qualitate deleteria, atque uenefica in ipso existente, quæ uires destruit, atque corrumpit, quam siue uenenatam qualitatem dicas, siue caninum uirus, nihil refert, siue lethiferam uim; ab huius enim contactu & feræ, & homines canina rabie tentantur. Sed ad descriptionem deueniamus huius morbi. Est Hydrophobia imaginationis, & interdum discursus deprauatus motus comite aquæ metu suscitatus a uirulentæ materiæ contactu a canina affectione productæ. Nomen autem, ut Diosc. desumpsit ab aquæ timore, tanquam ab inseparabili, atque proprio symptomate, non

Diosc. enim tantummodo, *Ob morsum dentibus illatum illa lethifera vis corpora mutans rabiem inducit*; Sed aut ob spumæ contactum (ut Gal. 6. de l. aff. c. 4.) uel pannorum, ut sartrici contigit referente Cælio, uel ob aeris inspirationem canino illo ueneno inquinati, si credendum Diosc. ad mentem aliorum loquenti, cuius uerba. *Alij amico aquam expauescenti morem gerentem, & officium exhibentem, quadam naturæ concordia similem subijsse affectum*. Non est uerò animo concipiendum ob naturarum sympathiam hoc accidisse; hæc enim aptum reddit corpus; attamen morbum non inducit: sed ab aeris inspiratione, nec nō etiam rabidi hominis contactu in rabiem decidisse credendum: facilius tali noxa afficitur homo, si illum dentibus liuore conspersis canis momorderit: non ita facilè si spumam tantūmodo tangat: difficilè uerò, ut experientia quotidiana demonstrat, ab aeris attractu, quo commoretur demorsus, uel simplici contactu. Si igitur illa uenenata qualitas, uel dentium liuor, sensibus incomprehensibilis corpus humanum subeat, ipsum permutat solida depascens, & omnes principes partes lædit, & actiones interturbat. Appellauerunt Prisci hanc, ut Erasistratus, incomprehensibilem, quam & tali nomine nos etiam appellare possumus, præcipuè cum Diosc. hæc pronunciet. *Nec protinus infestum quicquam infligit, nisi vt vulnus dolorem*.

Auic. Vt plurimum tractu temporis in apertum se edit post illatum morsum, interdum confestim, vt Possid. aliquando septima die interficit, quod rarò contingit. *non autem aquæ timor tempore definito hominem inuadit, plu-*

Galen. 2. Pror. *rimùm tamen ad 40. vsque diem differri consueuit; post semestre nonnullos, quendam post annum nobis compertum est: narrant & aliquos post septem annos fuisse tentatos*. hæc Dioscor. Citiùs autem, aut tardiùs venenum latitans in actum se prodit pro maiori, aut minori actiuitate lethiferæ qualitatis in corpore canis productæ, quò enim illa fuerit actiuior, eo minori in tempore agit, & corpus trāsmutat, vel pro aptitudine hominis demorsi: Corpus enim calidum, & siccum, humoribus adustis repletum facilè ad rabiem tendit, præcipuè si anni tempus fuerit æstuosum, & regio feruida. è contra se habet humidum, atque pituitosum; resistit enim manifestę qualitati talis veneni, nec inueniuntur in illo tales humores, qui possint vehicula esse deferentia caninum virus. mirum tamen est, quomodo in

non-

nonnullis latitet per curriculum ſeptem, vel octo annorum, & à natura, aut ab ambiente contrario, aut à diuerſitate alimenti non deſtruatur, & euincatur. ideo affirmarem cum antiquis medicis morbum hunc eſſe cæcum, & incomprehenſibilẽ, quo nomine poſſumus, & nos vocare veneream luem noſtro tempore vagantem, quæ interdum per annos multos non excruciat ægrotantes, & poſtea repentino, & vehementi inſultu in actum erumpit. Tunc enim eſt putandum in corpore illo adinueniri tales, & tantos humores, qui exiſtunt tanquàm vehicula vel gallicæ qualitatis, vel canini veneni, quibus illa, aut illud ſuas morbidas, & atroces operationes in apertum exercere poſſit, ob quorum carentiam præterito tempore otioſa manebant.

Varia ſunt ſymptomata, quæ tenent hominem à cane rabido demorſum: nonnulla quorum à Dioſcor. deſumuntur: & nonnulla à Ruffo, & Poſsidonio. quæ ſunt. *Diſtentio neruorum, totius corporis rubor, & præſertim faciei, ſudor, languor quidam; aliqui auræ ſplendorem fugiunt: alij ſine vlla doloris intercapedine vexantur: ſunt etiam, qui canum more latratus edunt, interuenienteſque morſu adoriuntur, ac mordentes ſimili vitio labefactant, & omnes aquam metuunt.* At non tantummodo aquam, vt Ruf. ſed etiã alios omnes liquores, & grauior fit perturbatio, *cum aquam, aut quoddam ſpeculum pellucidum viderint*; aſpiciunt. n. propriã faciem rubicundam, toruè tuentem, & ira plenam, præterea vigilia detinentur, ſingultiunt, vociferantur, nõ interrogati reſpondent, & ſiti ardentiſsima vexantur.

Horum quædam calidam, & ſiccam eſſe hanc paſsionem indicant ſcilicet totius corporis rubor, & præſertim faciei, dolores atroces, impetus in interueniente, sira, vociferatio, vigilia, & inexhauſta ſitis. Aliqua venenatam illam qualitatem, vt languor, & virium imbecillitas, mores rabidi canis, & aquæ timorem. Nonnulla horum nobis indicant varias principes partes eſſe læſas, & earum functiones. edere enim latratus, inuadere morſu familiares, & aquam horrere, etſi ea maximè indigeant, arguunt imaginationem, & diſcurſiuam facultatem deprauatas eſſe, & conſequenter cerebrum. & ideo Eudemus Themiſonis aſſecla hanc paſsionem melancholiam vocauit; alij furorem, & ferinam deſipientiam. cerebrum eſſe lęſum etiam patefaciunt neruorum diſtentiones; hoc cognouit Gaius Herophili aſſecla, & membranas Aſclepiadis ſectatores. at Magnus Epheſius lib. 2. Epiſtol. affirmauit hoc in morbo cor, ſtomachum, diaphragma, & caput ægrè ſe habere, cor æſtuoſiſsimo calore excruciari adapertè cognoſcitur in illis, qui à tali morbo ad exitum vitæ vocati fuerunt; nam exiccatum, aridum, & exuſtum conſpicitur. iam omnium accidentium cauſas veſtigauimus: adhuc aquæ timorem excipimus, tanquam perarduum, quoddam, & perdifficile: Aliqui enim tale ſymptoma ab excedenti ſiccitate, & iam habituata ſuſcitari decreuerunt, inter quos fuit Ruffus; illa enim impellit, vt ſiccum cupiant, tanquam ſimile, & humidum fugiant, veluti contrarium, & deſtruens: Alij referunt cauſam pauoris in imagines canum in aqua apparentes ab imaginatione corrupta fabricatas, non realiter in ipſa exiſtentes, quod ſentit Poſsidonius narrante Aetio his verbis.

Fieri

Fieri autem poteſt, ut quemadmodum aliqui dicunt, *etiam canis, à quõ morſi ſunt, imaginem in aquis apparere imaginentur; recordati autem formæ canis confeſtim ab immodico timore corripiuntur.* Nonnulli multam humiditatem vẽtriculi, ſiue materiam pituitoſam cauſam huius putauerunt: quidam deprauatam imaginationem crediderunt huius ſymptomatis eſſe originẽ, à qua fingatur aliquid veneni, vel pernicioſi eſſe in aqua, quod proprium eſt melancholici. Inueniuntur etiam quidam, qui arbitrantur inchoante acerbitate huius paſsionis ægrotantes bibiſſe aliquam aquæ potionem, à cuius potu & angor, & ſingultus ſuperuenerunt ventriculo nõ ab aqua, ſed à materia aliqua malè affecto: vnde non obliti talium ſymptomatum aquam timent, & abhorrent dubitantes ne iterum in illa grauia ſymptomata cadant. Denique aliqui ſtatuerunt, & pro firmo habuerunt virulẽtam illam qualitatem, vel tenuiſsimam materiam à canis morſu illatam, vel alio modo corpus infeſtantem tali eſſe inſignitam proprietate, vt aquæ timorem iuducat: hæc ſunt illa, quæ à multis grauiſsimis medicis circa cauſam abditam huius ſymptomatis ſcripta reperiuntur. quorũ quidam non aquæ metus cauſam veſtigauerunt, ſed potius cauſam, ob quam demorſi ſiti non corripiantur, inter quos fuit Ruffus, & ille, qui ſuperfluam pituitam, aut humiditatem ſtatuit eſſe huius veram originem. Aliud enim me iudice eſt non ſitire, aliud non percipere ſitim, & aliud aquam timere, atque horrere: Non excruciantur ſiti ob nimiam ſiccitatem cum ſimile appetant, loquor ad mentem Ruffi. quod eſt alienum à ratione; nam hectica febre correpti, & exiccati potum non metuunt, immo aquam deſiderant. Vel ob ſuperfluam humiditatem: Non percipiunt multi ſitim, aut quia varijs cogitationibus, atque imaginationibus detinẽtur, vnde obliuiſcuntur talis indigentiæ, vel quia mente non conſtant; vel hoc accidit interdum ob facultatis ſenſitricis extinctionem; ſed hi minimè aquam timent. horrere autem aquam, atque formidare addit aliquid ſiti, multi enim ardentiſsima ſiti detinentur, qui aquam non timent, immo illam exoptant, atque cupiunt. ſicut etiam multi ſiti non excruciantur, attamen eam extinguentia non horrent, atque timent. Simulachra canis, qui momorderit ęgrotantem, in aqua. aut alio ſimili apparentia eſſe huius metus cauſam impoſſibile: canes enim rabie a principio interno detenti illam metuunt. Veneni illa ſuſpicio, vel memoria aquæ iam epotæ inducentis ventriculi angorem, atque ſingultum, huius non poteſt exiſtere cauſa; ægrotantes enim amicis, & aſtantibus hæc narrarent, ſed de his interrogati, nec verbum quidem. Proprietatem illam nobis ignotam, emanantem a veneno canino hoc ſymptoma ſuſcitare non eſt impoſſibile: cum multarum rerum miræ quædam adinueniantur proprietates: attamen perdifficilè eſt mente concipere, quomodo aqua frigida, & humida tantùm minimè aduerſetur tali proprietati, nec timori; metum illum aquæ depellat, & miſeros ſanet ægrotantes: tamen ferè omnes vna voce affirmant aquæ potum multos, atque multos ſanaſſe, dummodo morbus non ſit inueteratus, & vires proſtratę; tali enim in caſu potius ab aqua copioſè epota languens extinguitur calor: vnde citiſſimè pereunt.

Cum is morbus grauiſſimus ſit; diris enim cruciatibus & ardentiſſima

ſiti

siti consumpti, potum abhorrentes miserrimè pereunt. *est quàm celerrimè omni industria auxilijs medicis debellandus. etiamsi paruus, & in superficie fuerit morsus; Omnes enim teste Ruffo, qui à rabioso cane morsi sunt, si neglecti fuerint, aut malè curati in affectionem timoris aquæ incidunt*. rarò is morbus superatur, vt elicitur à Diosc. dictis; attamen affirmat se multos sanasse, antequàm aquæ metum experirentur, & complures ab alijs medicis vidisse seruatos. Eudemus superasse quendam reliquit scriptum. aliqui Themisonem demorsum in idem vitium incidisse, & euasisse fatentur. sed desperata est salus, cum aquam timent, quod narrat Apollonius Pergamensis referente Orib. & hæc sunt verba. *Neminem, qui à rabido cane, morsus sit, si timor aquæ ipsum teneat, fuisse seruatum*. hæc sententia certissima censenda venit, si morbus sit iam inueteratus, at si in principio etiam rarò admittere curationem fatendum venit: attamen omnino non est desperandum, si Dioscoridi aliqua venit prǣstāda fides, qui hæc litteris prodidit loquens de helleboro. *Tantam enim vehementiam hoc auxilium habere fertur, vt quidam, qui iam aquæ metum sentirēt, sumpto elleboro, simulac primum morbi impetum experirentur, fuerint seruati; nam & iam vitio tentatos neque parum adiuuare potest*. Ad mentē aliorū.

Curationis Modus in hoc mali vt plurimum ineuitabilis genere à medicis est omni ingenio obseruandus. primus conuenit confestim, vel breui interposito tempore post illatū morsum, aut perniciosum contactum; adhuc enim qualitas venenata in demorsa parte residet. Secundus, cum iam ad intima corporis se colligit vel impetum facit.

Subitò igitur post rabidi canis morsum, vtendum est malignum virus foras euocantibus, atq; retrahentibus: & prohibendum cum medicamentis per os desumptis, ne partibus internis, & principibus impertiatur. foras educunt vulnuscula, cucurbitulæ, ustiones, suctus, nec non etiam pulli gallinacei per medium diuisi adhuc calentes. Nec oportet uereri, Dioscoride teste: *maiora vulnera; quippe à maiori vulnere copiosus sanguis emanās potest nonnihil virulenti liquoris exhaurire, quod in minoribus non accidit. satius enim est sæuitiam tolerare, quam propter negligētiam in vitæ discrimen adduci*. & nos docet modum incidendi partem demorsam dicens. *Quin à maioribus abscedentes carnes hinc auferre, & labia acie scalpelli circumscribere, & prehensam hamo carnem amputare oportet. in vtrisq; circunstantia loca altioribus vlcusculis scarificanda, ne venenum membratim insinuetur sanguine euacuato*. Extrahunt quoq; vim veneni cucurbitulæ cum multa flamma admotę, vt Eudemus. Vstio præterea contra virulentos ictus expeditissimum est auxiliū, vtpote cū ignis cœterorū viribus præstet, simul quod virus domet, & illud ferri penitus non patiatur: animaduertēdum ex eo tempore, cum crustæ decident, ne ora vlceris coalescant, & cicatrice indurentur. quod inditum ijs salsamentum optimè præstabit, & silvestre allium detritum, item cępę succusq; præsertim Cyrenaicus, aut qui medicus, aut parthicus appellatur. Si verò, quod persæpè accidit, ante dies prefinitos cicatrices coirent, manum postulabunt; namq; eas dilatare carnēque scalpello circinare, aut iterum inurere expedit: vbi verò propositum tempus præterierit vlcus ad cicatricem ducendum, & emplastro, quod è

Duplex.

Actuar.

Gal. 2. de anti. c. 2. & ad Pisonem, & Aliс.

salibus conficitur, locus comprehendendus: nec multo post Sinapismo vtendum: hæc Dioscorides. competit & foras admotum Menelai medicamentum à Galeno descriptum: vel quod ex pice brutia, opoponace, acetoq; conficitur habens picis libram vnam, vnum aceti acerrimi sextarium Italicum, opoponacis vncias tres, quod Æschiriō Empiricus descripsit à Gal. mirum in modum celebratum: ferè omnia adminicula iam narrata nos docet Erasistratus, immo & illis addit partis amputationem. quæ etiam cecinit Damocrates his versibus.

11. Facul. sim. Med. Dioscor. refer.

In his enim carnem oblæsam scalpro statim
Circumcidere necesse est, & cucurbitulas
Si liceat admouere flammis, vulneri
Acribus, & medicamentis, ac vrentibus,
Id longiore seruans latum tempore.

Corn. & Paul.

Quæ omnia nō tantūmodo canis morsibus opitulātur, sed etiam aliorū animaliū, foras attrahentia morbidā materiā. *Quod etiā præstant pulli gallinacei per mediū discissi calidi actu admoti. Vel suctio oris conuenit, sugentē verò oportet ieiunū non esse, sed cibū sumpsisse, ac vino os abluisse, postea exiguum olei in ore continens ictum exugat.* hæc Dios. sed quis esset ita mentecaptus, & audax, vt auderet venenum sugere mortem irridens imminētem? Interim exhibenda sunt ea, quæ principes partes, & præcipue Cor roborent, quæ virulentæ qualitati aduersentur, & prohibeant, ne partes internas inficiat, atq; contaminet: hæc omnia cognouit Dioscorides dicens: *Contrariis illa vis expugnatur. cui rei antidotorum vsus accommodatur: & theriaces, mithridatii, et eius, quod ex eupatorio tēperatur, deniq; omniū, quæ magnam aromatum partem sibi vendicant: quippe aromata omnia viribus & substantiis ægrè permutātur, quare in corporibus euincunt.* Cū enim aromata natura sint vigorosa, transmutant corpus secundum suas qualitates, quæ postea prohibent ipsum à veneno immutari. illæ enim ægrè euincuntur ab aliis, & longo temporis spatio perdurant: adde theriacam omnibus venenis aduersari: parui autem mea refert si corpus calefacit, dummodo mortiferā qualitatē superet: probat eā Senior Andromachus dicēs:

Lib. 8. c. 16.

Cap. 4.

Gal. ad Pis. Auic. Paul. Aet.

Atq; canis rabidi virus, quod morsibus indit
Lætus odorata euase-ris antidoto. & Damocrates sic
Item valet antidotus serpentibus malis,
Et bestiarum virulentis morsibus
Hydri, Ceraslæ, dipsadis, sic aspidis,
Et Viperæ, & canis, quem rabies occupat.

Democritus lib. de Opisthothono origani decoctum celebrat. sed inter omnia auxilia, quæ canis perniciosos morsus sanare possunt, Cancri fluuiatiles primum locum tenent proprietate quadam occulta aduersantes: Docet nos modum illis vtendi Dioscorides dicens. *Cancros itaq; fluuiatiles cum sarmentis albæ vitis cremare oportet, & cinerem eorum minutissimum habere reconditum, itidem gentianæ radicem tusam, cribratamq; reponere.* quoties autem canis rabidus morsum intulerit, in quaternos cyathos vini bina cineris cochlearia cancrorum, vnumq; gentianæ conijciantur. hęc in polentæ madefactæ modum subacta quatriduo bibantur: inter principia medi-

Sint viui ut Haly.

Auic. quatuor.

medicamentum hoc modo detur: atqui si ab illato morsu duo, aut tres dies fluxerint, curationem auspicabimur à triplicato pondere supra id, quod ab initio retulimus optimum hoc aduersus rabiosorum morsus auxilium; *quod & multis vnum satisfecit, eoq; cum fiducia vti licet*. At Æschirion Empiricus medicamentorum peritissimus senex conciuis, atq; Galeni præceptor *adurebat illos adhuc viuentes in æris rubri patella post ortum Canis, quando Sol in Leonem trāsisset, non nisi Luna decimaoctaua: porrò hoc medicamentum præbebat quotidie diebus quadraginta mensura cochlearij magni aquæ inspersum: at si non protinus ab initio, verum aliquot post dies curam cepisset, tunc quotidie duo cochlearia aquæ inspergebat*. hæc Gal. qui summoperè laudat tale medicamentum affirmans neminem eorum fuisse mortuum, qui illo fuerint vsi: & redarguit Pelopis opinionem profitentis huius medicamenti causam assignare: nam subdit: *Verum cancros opinor ex proprietate totius substātiæ prodesse*; quod in principio capitis reliquit scriptum his verbis: *At fluuiatilium cancrorum cinis, quanquam similiter predictis exiccatorius est, substantiæ tamen proprietate mirabilis est, & cū gentiana, ut thure multo præstātior*. Mirabile reuera auxilium, quod etsi ad uersetur ob siccitatem à cane rabido demorsis, cū exiccatorius sit; proprietate tamen totius substantiæ confert, & iuuat. addit Cancris, & gentianæ Asclepiades in quinto Mnasonis terebenthinam. vt Gal. 2. de Antidotis, qui affirmat etiam Cratippum virum egregium cancros laudasse. Auxilium, & opem ferre à nonnullis teste Galeno, est proditum *iecur canis rabidi, si assum comedatur ab illis, qui ab ipso fuerint demorsi*. Vel aqua, in qua ferrarij ferrum abstergunt inscio artifice, & ijs, qui aquam iam timēt, vt bibant, poculo panniculum supponito. At si, quod omnium conditor auertat, auxilia iam narrata prætermissa fuerint, & morbus insæuiat virulenta materia ad intima iam fluxa, omnia erunt tentanda, quibus possibile sit à corpore virus educere. Vena itaq; secetur vt Eudemus, & elleboro purgetur, vt Agathinus lib. de elleboro, cuius vsum probat mirum in modum Dioscorides his verbis. *Deiectio magnum præbet iuuamentum, vt pote cum mouendo corporis habitum transmutet; & quæ colocynthidem recipit hiera, item lac scissum, quod simul deiectionem moueat, & venenum domare possit, sed longè omnium efficacissimum auxilium elleborismus cognoscitur, quo cum fiducia non semel, atq; iterum, sed frequentius ante quadragesimum, vel post hoc tempus vti licet; tantam enim vehementiam hoc auxilium habere fertur, vt quidam, qui iam metum sentirent sumpto elleboro, simulac primum morbi impetum experirentur, fuerint seruati, nam & iam vitio tentatos neq; parum adiuuare potest*. à cuius uerborum serie cognoscitur non tantummodo Dioscoridem præcipere nobis purgationem, & uehementem, sed etiam alterationem, quæ fit frigidis auxilijs, sicut est lac acidum; hoc enim non solum refrigerat calorem uehementem ægrotantis, sed frangit etiam acuitatem medicamentorum. educunt etiā acres clysteres è corpore humorem uirulentum, & adiutoria exasperantia, ut Tullius Bassus, qui sternutamentis utebatur. *Dropacismi verò, sinapismique particulatim per corpus totum adijciendi*, sicut Dioscor. & hoc, ut fiat uniuersalis attractio ab intimis ad externas partes. *Sunt prætcrea Sudores ante cibum*

[Margin notes: ij. Facul. simp. (beside "curam cepisset..."); ij. Facul. simp. (beside "xilium, & opem..."); c. 4. (beside "cipit hiera..."); Diosc. (beside "lius Bassus...")]

te cibum, & post ciendi; sudore enim & totum, & humores omnes à calore liquati in uenis existentes euacuantur, cum quibus & uirulenta qualitas foras erumpit. Sed non satis est hęc tentasse: oportet enim non tantummodo suadere ægrotantibus, ut bibant, sed cogendi sunt, uel arte aliqua decipiendi: nam sępe copioso potu liberantur. *vnde alij in vasculum frigida plenum miserunt alij in puteum posuerunt, saccis inclusos, vt necessitate coacti biberent.* hæc Artorius: Vel inscij in piscinam proijciantur, vt Cels. & alij in aquam calidam. Probat Aristoxenus aquæ potum, & clysteres temperatiuæ virtutis, quos ego refrigerantes, & humectantes arbitror esse. Multi varia parant instrumenta ex ligno, vel calamo perforato, vel saccaro constructa, vel animalium pelle, vel præcipuè hienæ obducta, vt Aetius: vt decipiant demorsos: & Alij fructus commendant humectantes & refrigerantes, vt melopepones, ac citrulos exhibent; sed mirum dictu: multi eorum talia abhorrent, atq; fugiunt, fortè coniectuantes in ipsis aquosam substantiam contineri, aut à proprietate veneni hoc agere coguntur; attamen adinueniuntur aliqui ita mente constantes, & discrimen vitæ cognoscentes, vt neglecto timore aquę & imaginatione illa deprauata bibant, & sanitatem recuperent. *Sicut fuit Philosophus ille à cane rabido morsus, qui generoso animo affectioni resistens se-*
Aet. *cum ratiocinans dixit. quid cani, & balneo cōmune? & vbi citra timorem bibisset, superauit affectionem, & sanatus fuit.* Attamen perfectam valetudinem non acquirunt, si præstanda Plinio venit fides: sed in posterum veneno infecti manent.
Lib. 28. c. 3.

Nunc ad victus rationem deueniamus non recedentes à Dioscoridis præceptis: cuius verba sunt. (*Cæterum victus rationem ex ijs, quæ veneno aduersantur coniectura quadam colligere oportet, simul vt veneni vires hebetet, ac restinguat, simul vt arceat, quò minus ad intima pernicies illabatur; etenim assumpta perniciosarum virium penetrationi resistunt, quorum vtrunq; praestare potest vini meracioris passi, ac lactis potus;* quippe hæc omnia capiunt ad curam, non nihil veneno obijciunt, quod omnem eius acrimoniam obtundunt. Similimodo Alliorum, pororum, ceparumq; cibus, quòd ea difficulter cōficiantur, ac aboleantur, nam multos dies huius cibi qualitates remanent, quo tempore non euincuntur, nec permutantur à mortifera vi. Duplex instituit Dioscorides alimenti genus, vnum, quod acrimoniam, & calorem veneni compescit, & hoc est lac epotum: aliud, quod prohibet veneni ad intima participationem, & hoc allia, cępe, ac pori existunt: at non tantummodo hæc exhibet, quæ potiùs sunt medicamenta, quam alimenta, vt vetent veneni, delationem ad principes partes, quod assequuntur, quoniā sanguinem suis qualitatibus, & corpus inficiunt, atq; per longum tempus transmutant, vnde difficilè nouam suscipit qualitatem; sed humores adustos, quibus sedem habet caninum virus, natura crassos, atq; terrestres incidunt, attenuant, disterminant, & per vrinæ ductus è corpore detrudunt: & paruifaciendus est me iudice eorum calor, atq; acrimonia, cum tantas assequamur ab eis vtilitates: præcipue cum a lactis potu feruor, & vis illa acris hebetetur, atq; frangatur. Ab his tam diligenter, & prudenter institutis adapertum euadit

Sit merū Celsus, & Actuar. s. dulcis

Actuar.

Diosco-

Dioscoridem nō fuisse empiricum,& indefinitum, vt legitur lib. 1. de cōp. Med. secundum locos. sed rationalem,& optimum medicum extitisse.

De Somno præter naturali. s. Caro, & Comate.

COpiosam humiditatem esse in causa somni modum excedētis, qui morbosus appellatur apud Aristotelem,& Theophrastum in confesso est. nam Phil. lib. de Somno, & Vigilia patefecit *Somnum naturalem fieri à multa humiditate corpulenta, quæ sursum fertur; constans igitur grauat, & facit dormitare, cum verò deorsum fluxerit, & reuertendo repulerit calorem, tunc fit somnus, & animal dormit. Signum horum somnifera; omnia enim grauedinem capitis faciunt & potabilia, & esculenta, vt papauer, Mandragora, vinum, & lolium.* idem autem est modus, quo fit somnus præternaturalis, sed materia interdum non est ab alimento, & maiori quantitate,& qualitate frigida, & si multoties à superfluitate calida,& humida, vt eodem capite scribitur his verbis. *Et Morbi quidam illud idem faciūt, quicunq; à superfluitate calida, & humida, vt accidit febricitātibus, & Lethargicis.* descendit aūt materia illa iam constans vt Arist. per venas: quod narrat dicens: *Et Omnino somniculosi, qui tenues. & occultas habent venas; nam venæ illæ angustæ prohibent, ne facilè diffluat, quæ descendit humiditas.* Medici autem, vt Possidonius talem humorem detineri in cerebro decreuerunt, & ideo sensus omnes proprio muniere priuantur impedita sentitrice facultate. Verba Possid. hæc. *Cum igitur frigidi, ac humidi humores cerebrum occupant, Caros appellata à Græcis affectio succedit. Insequitur sensuum stupor, totius corporis immobilitas, læsio principum actionum, & oculi semper clausi manent: differt à Lethargo; Lethargici enim interrogati respondent, nec omnino sine voce decumbunt, verùm qui caro detinentur, ēt si pungantur, minimè loquuntur, neq; oculos aperiunt. Fit autem Coma, cum multi vapores calidi, & humidi à subiectis partibus in febribus delatis ad caput ipsum grauant, & implent. Cognoscitur, si somnus diuturnior naturali fiat, in quo peregrina loquuntur, & excitati confestim in somnum deferuntur.* A cuius verbis innotescit nobis, quomodo & ratione causæ materialis,& ratione symptomatum quantum inter se differunt Caros,& Coma. quæ affectiones, sed præcipuè somnus profundus à crasso humore dependet, qui sua crassitie spiritus incrassat, vnde vix mobiles reddūtur,& ideo Asclepiades affirmauit fieri spiritus sensitiui incrassatione.

C. 4.

Theophr. lib. de lassitud. eadem.

Aet.

Cari Signa.

Causæ comatis. & Sig.

In Caro morbosa materies est euacuanda,& retrahenda, & ægrotantes ab alto sopore oppressi varijs adminiculis expergefaciendi. Conueniunt illa auxilia, quæ & Lethargicis competunt; tota enim vetustas Medicorū somnum profundum Lethargicam passionem vocabant. Auertunt hoc in morbo cucurbitulæ, vt Herodotus lib. de præsidijs euacuantibus, quæ admoueantur dorso,& spinæ, vel inguinibus, sicut placet Antyllo lib. 4. auxiliorum. Extrema ligentur, vt Herod. Sunt & crura acribus medicamē tis illinenda docente Antyllo. *qui & asperas frictiones commendat. opem ferunt acres clysteres, qui colocynthidis decocto, & nitro parentur, vel iridis thimi, radice cucumeris agrestis, & Sale, auxilium à Ruffo celebratum*

Orib.

Orib.

hoc

hoc præstant, & glandes, quæ aluum irritare possunt vt Possid. Reuulsis humoribus, & morbo perseuerante laudat sternutatoria Herod. & Antyl. Varia sunt excitantia à somno profundo infirmos, quæ in medium affert

lib. 1. præsid. Antyl. his verbis. *Excitant, quæ sunt, pruritus violentus, pilorum euulsio, digitorum tractio, stomachi vellicatio, digiti in ore positio, clamores continui, nuncij turbantes sermones, & spectacula, quæ affligant, & excrucient animum ægrotantis, & facies, in qua nitrum dissolutum fuerit aqua aspergenda.* commendat Herod. odores acutos, & fœtidos.

Victus sit incisiuus, & attenuatiuus Possid. Coma, cum sociam habeat febrem, indiget alio genere victus, & caput irrigetur rosaceo camomelino addito aceto. Idem.

De Vigilia.

SI contrariorum Effectuum causæ sunt contrariæ, vt Philosophis placet: procul omni dubio statuendum erit à siccitate, & humidi corpulenti inopia vigilias suscitari: cum morbosus somnus ab humido superfluo ortum trahat. Vt plurimum intemperies sicca introducitur cerebri ab æstuoso calore, qui humidam materiam, quæ somni causa futura erat, absumit, nec amplius à cerebri frigiditate incrassatur: exiccare etiam potest, etsi per

P. 24. accidens superflua frigiditas, dum prohibet euaporationem. Cognouit has duas causas Vigiliæ Arist. lib. 3. Prob. dicens. *Melancholicos verò, et vehementer æstuantes insomnes, alteri, quia refrigeratus humor penitus est, alteri, quia nullus, aut minimus extat.* & cum pauca sit euaporatio, quæ ad

C. 4. caput fertur, pauca erit etiam humiditas, quæ somnum conciliare potest: quod legitur lib. de somno, & Vigi. *Neque melancholici somniculosi; infrigidatus est enim locus interior, quare non fit ipsis multitudo euaporationis.* Causa igitur erit superflua siccitas, vel earum partium, à quibus pauca eleuatur euaporatio, aut eorum frigiditas, vel cerebri, in qua concrescit. *Incrassari vapores à cerebro reliquit nobis scriptum cap. 5. dans exemplum de humido, quod euaporat à solis caliditate, quod cum uenerit ad supremũ locũ, propter frigiditatem ipsius consistit, & factum rursus aqua deorsum fertur.*

lib. de lassit. Maxima detrimenta, si protrahatur, ęgrotantibus adfert: nutritionem n. interturbat, & impedit, vt Theophr. & ieiunos attenuat, sicut Philistion lib. 2. de diæta; consumit enim perpetuò humidum, foras ipsum educendo, & illud, quod intus manet, ob inopiam caloris foras erumpentis, in vigilia ęgrè concoquitur, vnde languentes, & imbecilli infirmi reddũtur. &

C. 6. ideo Arist. decreuit somnum esse quandam requiem, qua conseruatur animal. non potest enim aut continuò, aut perpetuò moueri.

Pro somno conciliando semper cerebrum est humectandum adhibita tamen hac distinctione, an simul refrigerare debeamus, vel calefacere, & humectare. Secundò agenda sunt omnia, quæ vaporationem copiosam actu, & potentia humectantem gignere possunt, vaporibus enim multis existentibus, & cerebro non calefacto materia illa procreatur, quæ somni, atque quietis est in causa.

Caput igitur irrigandum venit aqua, in qua capita papaueris bullierint,

vt Dioſcor.& Antyl. vel facies abluenda nigrorum papauerum decocto, vt Herod. Hæc enim non tantūmodo humectant, ſed etiam refrigerant, & incraſſant vapores in cerebro oberrantes, qui poſtea ipſum madefaciūt, & facultatem conſopiunt. hoc præſtant etiam papaueris capita, ſi puluinaribus capitis ſubdantur, aut mala mandragoræ, aut hyoſciamus. Vel hæc olfaciant, vt Philumenus: Vel naribus admoueatur, ſicut Herodoto placet, malagma, quod conſtet ex mandragoræ radice læuigata, vino, & roſaceo: Si his non ſuſcitetur ſomnus, illinantur tempora, & nares liquore papaueris, aut mandragoræ ſucco. ſomnum etiam placidum arceſſit opium ſedi ſubditum pro balano, vt Dioſcorid. Dioſ.

Vaporationes copioſas ſuſcitant Victus plenior, ſi ſorbitionibus imponantur papaueris ſemina, vel folia nigri papaueris quanta tribus digitis comprehendere poſſis. hæc Herod. ſomnifera enim omnia copioſos vapores producunt. & ideo vt Ariſt. *ſomnifera grauitatem capitis inducunt, & potabilia & eſculenta, vt papauer, mandragora, vinum, lolium.* poſt cibi aſſumptionem quieti ſe tradant; illo enim tempore multa fit euaporatio. probauit Dioſ. decoctum papaueris epotum: nos ſemina poſſumus coquere vino quoquo modo vigoroſo, vt facilius caput feriant: parantur etiam olea è ſeminibus papaueris, vel malis mandragoræ, vel hyoſciami folijs: poſſumus præterea & ſirupos parare ex his, lactucæque ſucco. Cuius eſum ſuadet Dioſcor. à multis probatur mandragoræ, hyoſciami, ſolatri, vel dorycnij. ſed Dioſcorides hæc omnia vituperat, ſi copioſè ſumantur: mortem enim, aut inſaniam, aut obliuionem afferunt: vtebantur autem his medici, cum neceſſitas aut partem ſcindendi, aut vrendi poſtulabat. *Probat tamen opium ſumptum erui magnitudine: at ſi copioſus hauriatur, nocet, cum Lethargicos efficiens interimat.* Maxima igitur cum conſideratione debemus nos vti opio & ſimilibus, cum ab eorum vſu tam grauia ſyptomata immineant. & ideo Antyllus forinſecus talia adhibebat, nec hoc in principio, ſed alijs tentatis. Cuius verba. *ſi ne ita quidem ſomno corripiantur, liquore papaueris, aut ſucco mandragoræ illinantur.* Vigilias quorum fugare poteſt Medicamentum à Philone deſcriptum, ſicut etiam theriaca recens. C.4.

Si autem in Cauſa vigiliæ fuerit frigiditas illarum partium, à quibus vapores eleuantur, erunt calefaciendæ, & ſubminiſtrandum copioſum alimentum. Si humores huius mali origo, remouendi, & retrahendi.

De Spaſmo, ſiue Conuulſione.

SPaſmum, quem Neruorum rigorem dixit Celſus, eſſe contractionem, ſiue conuulſionem ipſum nomen denotat; Græci enim omnes Gal. teſte ſpaſmum diſtentionem vocabant. contrahuntur in hoc morbo nerui, & tendones, ad quorū motū mēbra conuelluntur, ac rigent. Neruos eſſe læſos cognouit Herophilus, cum ille ſtatuat voluntarij motus eſſe inſtrumenta, refert eius ſententiam Gal. lib. de Trem. & Palpi. his verbis. *Herophilus neruoſum membrorum genus voluntarijs motibus ſubminiſtrare rectè ille* C.3.

ſentit,

sentit, qui rectè scripsit de Tremore, Palpitatione, & Conuulsione, vt ipse testatur cognouit tendones laborare Autor de Inter. Affect. dicens. *Oritur*
N.60. *Opisthotonos, cum tendines, qui sunt retro in ceruice ægrotauerint*. Suscitatur is affectus à nimia humiditate neruos replente, aut à superflua siccitate humiditatem propriam absumente, ob quas causas breuiores euadunt.

Superfluam humiditatem eos replere docuit nos Ruffus lib. de Melancholia. à siccitate originem trahere ante oculos nobis ponit Theophr. lib. de lassit. dans exemplum de chordis, quę ab æstuoso calore, & siccitate contractæ franguntur.

Variæ huius extant differentiæ teste Celso: nam si caput retrorsum inclinetur, & scapulis annectatur Opisthotonos dicitur, Herophilus. si ad partes anteriores, Emprosthotonos, si ceruix immobilis, quem ad latera inflectere non possit æger, dicitur Tetanus. hæ omnes etiam leguntur lib. de. Inter. affect. hic interdum vnicam partem exercet læso initio illius neruorum, sicut reliquit scriptum Hipp. Draconis filius lib. 5. de Mor. Popul.

Prænuntiant futurum spasmum inter omnia colli perfrigerationes, Dorsi, & totius corporis, quas stupores quidam interpretes dicunt, nec mirum, hæ antecedunt, cum circa collum sint neruorum primordia.

Facilè cognoscitur conuulsio, cum sit partium quædam contractio, quæ sub oculos cadit, & ægri peroptimè læsionem percipiant. sed particularia signa Tetani, Opisthotoni, & emposthotoni narrat Thessali Filius lib. 3. de
N.13. Mor. dicens. *in Tetano Maxillæ rigent, veluti ligna, os aperire non possunt, oculi lachrymantur, & distorquentur, dorsum riget, crura contrahere non possunt neque manus, valde dolet, & facies rubicunda*. & nu. 14. in Opisthotono conuellitur in posteriores partes, vociferatur aliquando, dolores emergunt vehementes, cubiti incuruati, & digiti in pugnum contracti. At in Emprosthotono anteriores conuelluntur partes.

Qui Tetano cruciantur periculo non vacant; nam aut tertia die, aut quinta, aut septima, aut quartadecima pereunt, vt num. 13. at si Opisthoto-
N.14. no laborant, tertia die voce soluta pereunt, si quartamdecimam effugerint, sanantur. Bonum si febris superueniat, vt Herophilus, vel alui fluor, vel sudores, vel mulieribus menses erumpant, vt Draco, vel Thessalus lib. de
N.3. Coac. præ. Vt plurimum quarta die pereunt, si hunc euaserint sine periculo, vt Celsus. Materia ad neruos fluxura est abducenda, & transferenda; & iam fluxa est dissipanda, & Nerui roborandi. Prohibetur humorum impetus venæ sectione à partibus sanis, si plenitudo adsit, vt Asclepiades
Celsus. lib. 2. celerum passionum, vt Celsus, sed pauca sit quantitas, aceruatæ enim sanguinis detractiones lædunt, sic & Archigenes.

At si menses sint suppressi, à poplite. Vel purgatione auertatur. Laudantur lib. 3. de Mor. *catapotia ex pipere, & veratro, & iusculum volu-*
N.13. *crum pingue*. dat iusculum pingue me iudice, ne veratrum ventriculum sua acrimonia, atque violentia lædat. hoc præstant hieræ colocynthidem recipientes. reiteranda purgatio vt Celsus, sed ante purgationem incidantur humores varijs medicamentis, *talia sunt betonicæ folia cum hydromelle*,

melle, aut origanum, aut costũ, vel acorum, aut pulegium, extenuant hæc, & calefaciunt. quæ efficit etiam vinum scyllinum : hæc Dioscorides. ex his possumus nos parare syr. & electuaria, & decocta. Ruffus ireos cum pipere; vel hissopi decoctum, vt Philumenus. conducit his & Vomitus, vt Praxagoras, Possidonius, & Antyllus: sic etiam Clysteres acres, & accerrimi, vt humores ad ventrem attrahantur. suadet Asclepiades, Heraclides 2. internarum passionum, & Ruffus, vt Oribasius. Conueniunt & diuretica, sicut Diocles, à quo probantur & sudorem inducentia placida tamen: at lib. de inter. affect. hæc habes, *mollibus stragulis, ac vestimentis contegito, quò vehementer exudare possit.* Sudores enim non tantummodo euacuare possunt materiam fluentem, sed etiam ad neruos iam fluxam. *sicut etiam potest absumere humores, liquare, attenuare, & intemperiem transmutare febris, quam excitare suadet Asclepiades.* Et, si materia à capite ruit, conueniunt fortes, & reiteratæ sternutationes, sicut lib. 3. de Morbis. N. 59. N. 13.

Materia, quæ actu replet neruos, ad summam cutim attrahatur: & quibus ceruix recta intenditur, *admoueantur cucurbitulæ ceruicibus, spinæ ab vtraque parte, pectori, vbi musculosum, & item præcordijs.* hæc Philumenus. Et plerique priscorum superficiem vulnerabant ignis vstura. inter quos fuit Asclep. Conducunt, vt idem Scriptor, cataplasmata ex sinapi, & fico, partibus læsis, sunt etiam alia medicamentorum genera, quæ inalterant, intensibiliter euacuant, & etiam neruos roborant, quorum quædam per os desumuntur, & quædam forinsecus admouentur. sumpta conuenit theriaca, vt Andromachus, cuius verba: Orib. Celsus.

Sola etiam Tetanum, *Tendonum spasma, profundi*
Theriace hęc adimet pondus Opisthotoni.

Similiter & confert antidotus Mitridatis Eupatoris, qui describitur à Gal. 2. de antidot. *Conuenit myrrha, & hyssopi decoctum, sed castoreum reliquis omnibus longè præstat: quocirca duo coclearia ex mulsa danda.* Diosc. probat castoreum & desumptum, & foris illitum. & Cælius ad mentem priscorum hæc *Dant castoreum, & euphorbio collum, & spinam inungunt.* probantur à Dioscoride myrrha, sagapenum, galbanum, radix iunci odorati, cum piperis æquali portione. quæ calefaciunt & neruos, caput, & viscera roborant. conuenient balnea omnia exiccantia, & calefacientia, vt Archig. talia esse sulphurea, & salsa notum est omnibus. Foueantur partes sacculis sale, & milio repletis, vt Asclepiades. Fomenta, & vaporationes probantur à Ruffo, Diocle, & Praxagora: immo Asclepiades fomentis aqua calida per diem, & noctem vti instituit, & postea siccis. probat Phil. irrigationes, & lotiones, & inunctiones oleo sicyonio, aut rutaceo: quibus Dioscoride suasore debemus aliquid castorei addere, aut euphorbij, vt Prisci scriptores referente Cælio iubet Asclepiades per diem, & noctem oleo apud ignem inungendos esse. & postea lanis læsas partes contegere, vt Diocles. at non solum partes infirmas inungere imperabant, sed etiam originem neruorum illorum, qui ad partes illas deriuantur. vnde Gal. 3. de l. aff. c. 5. & 6. sic. *vbi nerui conuulsione afficiuntur, omnes medici summam curationis esse censent primis vertebris remedia adhibere.* Philum. Cels.

Nutriantur alica cum aqua mulsa, & sit modicum, quod exhibetur, vt

E Archig.

Archig. qui non tantummodo nobis describit speciem tenuem victus, sed etiam quantitatem. & vinum fugiant, vt Celsus.

At si hæc noxa à siccitate ortum trahat, humectantibus est vtendū, quæ actu subcalida sint, vt permeent medicaméta foras admota ad intima corporis. Laudatur oleū dulce, & in ipsum descendere, atque sedere, & partes oleo, et aqua illiniantur, vt Archig. & lib. 3. de Mor. n. 13. hæc legūtur. Calefactoria humida, & pinguia vndequaq; in vesicis, ac vtriculis apponantur maximè ad partes dolentes, & oleo calido multo, atque sæpè illinātur, quæ omnia à Celso ad vnguem narrantur.

De Resolutione, siue Paralysi.

SI iuxta alteram partem, siue dexteram, siue sinistram nerui sensum, & motum simul amiserint, Resolutio vocatur illius partis scilicet iuxta quam facta est. hæc Archig. à cuius verbis apertè cognoscitur Resolutionem esse ablationem motus, & sensus. Causa immediata talis offensæ est facultatis impedimentum, quæ nō potest ad neruos permeare. quod nos docet Teophrastus libello de Resolutione dicens. *Resolutio neruorum dependet à spiritus defectu, & priuatione*: sed parum ante affirmauit pendere omnino à refrigeratione. censeo autem ego refrigerationem non esse causam immediatam, sed impedientem transitum facultatis. frigus enim excellens refrigerat, & incrassat sanguinem, & destruit calorem partis: vnde torpida, ac immobilis redditur, & languens labitur pondere grauioris elementi: vel frigus acutum potest constringere neruos, atque densare, qui densati non admittunt facultatis distributionem. vel fieri paralysim à refrigeratione, tanquam à causa remota affirmare possumus; ab hac enim gignitur in corpore viscidorum humorum prouentus, qui postea irruens ad originem aliquam neruorum impedit facultatem, ne ad partem illam migret. *Ab humoribus enim multis, viscosis, atque crassis neruos obturantibus, per quos motus voluntarii perficiuntur, suscitatur*, vt Archig. talis morbus. vt plurimum igitur causa talis noxæ est obturatio neruorum. obturantur autem à crassis, atque viscidis succis; interdum autem à densantibus, & partem prementibus, vt à percussione: quas causas cognouerunt Ruffus, & Rhasis.

Innotescit omnibus facilè Resolutio, cum partes morbosæ immobiles conspiciantur, quæ si deorsum ferantur, ibi manent, vt Athenæus Attalus

C. 3. teste Gal. lib. de Tremore, & Palpitatione.

Solent qui per omnia membra vehementer resoluti sunt, celeriter rapi, uel rarò ad sanitatem perueniunt, & memoriam amittunt, at in partibus longus, sed sanabilis, hæc Celsus.

Oportet redundantem humorem euacuare, nec aptius principium in illis reperitur, quàm à venæ sectione, si cætera permiserint, sed pauca sit detractio, & à sanioribus partibus. hæc Archig. & Cels. probat hanc Thessalus, & secetur ab eodem latere, si sensu non caruerit, vt Themison lib. 1. tardarum passionum.

Purgandus est humor vehementibus medicamētis, vt Praxag. 2. lib. cu-

ratio-

rationum, & Asclepiades. sed prius digeratur humor mulso ex aceto, aut vino scyllitico, vt Dioscor. & omnia, quæ vim habent incidendi, & attenuandi, de quibus mentionem fecimus capite antecedenti. Vomitus etiam mirum in modum celebratur, vel ante cibum, vel post, vt Erasistratus, Archig. Celsus, Ruffus, & Praxag. conueniunt & acres clisteres ex colocynthide, vt Dioscor. Ruffus, & Praxag. qui & diuretica probat. Euacuant totum, & à partibus morbosis Sudores copiosi, veluti Praxag. quòd inalterant, & neruos resolutos roborant Sagapenum, & Antidotus Mithridatis Eupatoris descripta à Gale. vel tale medicamentum paretur desumptũ ab Epistola Archig. ad Marsum, vt Aetius cap. 37. quod habet *castorei, seminis ruthæ Siluestris, oppopon. ana Ob. ij. pyrethri, acori an. ob. i. piper. g. x. cum aq. mulsæ cyathis duobus dimidium dato, robusto totum.* 28.

Euacuato toto inalterantur partes læsæ synapismo: quod vt Archig. doctissimè narrat, excitat calorem naturalem, vnde restituit sensum, & motum. Modum admouendi docet his verbis. *Cum semina synapis admouentur loco resoluto, amoueantur qualibet hora, vsquequo locus rubeo sit suffusus colore, & in molem eleuatus.* probauit hoc genus auxilij Asclep. dum inquit Adurentia conuenire, quod nomen non tantummodo significat sinapismum, sed etiam vstiones. Cõducunt & aquæ sulphureæ vt Archig. & fouere oportet partes, à debilioribus tamen incipiendum, vt Asclep. fouebant multi priscorum referente Cælio castoreo, ruta, oleo, & aceto: postea inungantur sicyonio, aut gleucino, & in prouectiori ætate castoreum inspergendum, vt Asclep. sed satis non est partes resolutas, aut fouere, aut irrigare, aut inungere, sed oportet origini tali neruorum, qui ad aliquam partem perueniunt, talia auxilia admouere: quod nos docuit Themison dicens. *Neruis, ceruici, & spinæ vinum, & oleum cum sale.* Aliqui, vt Thessalus, & Archig. suadebant vsum cucurbitularum particulis affectis, aut propinquis affixarum, & interdum cute incisa, vt Themison. Cibus detrahatur, & dandum mulsum ex aceto, vt Erasistratus: sed Thessalus iubet alternis diebus esse nutriendos: conueniunt sorbitiones alicæ lotæ, & ptisanæ succi quantitate pauca Archig. & à vino se abstineant, vt Ruffus.

Ras. ref. Celsus.

Antyllus li. de rem. externis. Rhas. & Aet. referunt. Cel.

De Tremore.

TRemorem esse motum compositum ex animali motu, & grauitate partis minimè obscurum fuit vetustiori medicorum antiquitati. Athenæus enim Attalus ille doctissimus medicus, qui vniuersam medicã scientiam elaborauit, vt legitur lib. 1. de Elem. hæc nobis reliquit referente Gal. lib. de tremore, & Palp. *Itaque hic affectus tremor nominatur, cum corporum latio sua grauitate deorsum vergit, sed rursum ab ipsa facultate sursum eleuatur.* & Modum, quo fit, ita demonstrat. *Non remanent illic, quæ deorsum feruntur, vt in Resolutione, si robur totam facultatem dereliquerit; verum si facultatis quantitas quædam corporibus relicta sit: hæc rursum illa vehere conatur, nec tunc, quantum vult, ob imbecillitatem mouere potest, sed aliquantulum quidem leuem facit, ex maiori verò parte deficit:* C. 3.

imperfectumque, ac mutilatum facultas motum derelinquens iterum deorsum ferri corporibus permittit, iterumque sursum: vnde duplex & compositus motus redditur, dum partes vicissim loca semper mutant. Defectum facultatis esse tremoris causam, vel caloris inopiam, si peripatetico loquor
P.6. more, cognouit Philos Sect. 27. & sect. 3. Prob. 5. Cuius verba. *Fit tremor propter infrigidationem, infrigidatur autem propter defectum naturalis, & proprij caloris.* argumento sunt senes. Causæ remotiores sunt vitiosus victus, frigidæ potus, vel multi vini, immoderatus veneris vsus, & similia,
Aet. serm. 5. c. 130. vt Herodotus.

Etsi curetur eodem genere auxiliorum, quibus et Resolutio: attamen pauca quædam à fontibus priscorum excerpta in medium afferre decreui. Euacuato toto, si occasio postulabit, Vomitus excitetur, vt Ruffus, deinde cucurbitulæ admoueantur à primo verticulo ad lumbos vsque, vt Herodotus. *Et emplastra rubificantia partibus tremulis applicentur suasore Ar-*
Ras. *chig. Dissoluunt enim, & attenuant viscidum humorem, calefaciunt partes, multum enim sanguinem attrahunt. per os exhibeatur drachma vna castorei stomacho ieiuno, vel medulla cerebri leporis.* Hæc probant etiam Dioscorides, & Ruffus lib. de Memoria. Herodotus autem talia non exhibet, nisi perseuerante morbo. his etiam conuenit Antidotus Mithridatis Eupatoris. *Inungantur oleo sicyonio, aut rutaceo, quibus aliquando castoreū admiscendum. & quoniam necesse est in omnibus affectam esse spinalem medullam, erit contegenda tota spina, & caput irrigandum prius oleo dulci, deinde anethino: progressu verò temporis in solium calidi olei locetur, & postea sicyonio inungatur;* hæc Herod. Non sunt autem hæc agenda, si aliqua particula tantum tremore laboret, sed si totum corpus, vult enim diligentissimus scriptor totam spinam tegere, & caput neruorū initium oleo irrigare, à cuius verbis peroptimè cognoscitur curationem tremoris totius corporis instituisse: in omnibus autem tremulis motibus debemus semper animum dirigere ad illam partem spinæ, à qua oriuntur nerui tali parti morbosæ deseruientes.

De dolore.

DOlorem aduersari Voluptati nemini est obscurum, sicut etiam notissimum omnibus existit talem dolorem tali voluptati contrarium esse. Dolor enim, & voluptas nomina quædam generica censentur, quæ non tantùm sensus exteriores, & præcipuè tactum sub se continent, sed etiam internas potentias, animique affectus, vt Ari. in Ethicis litteris prodidit, quod etiam dilucidè Plato ante ipsum affirmauit; sed alijs prætermissis doloribus, atque passionibus, & etiam illis, qui ad alios sensus attinent; tantummodo de dolore, qui sensus tactus est symptoma, aliqua dicemus, pauca tamen, cum antiquorum scripta, qui copiosissimè de doloribus pertractarunt, apud nos non inueniantur: Archigenes enim inter alios de dolore sermonem exquisitissimè habuit, vt testatur Gal. lib. 2. de l. aff. Si igi-
C. 2. & 3. tur omnis sensus voluptatem ab obiecto proprio, atque conuenienti suscipit, sicut visus à coloribus proportionatis: ab excellenti autem obiecto omnes sensus patiuntur, atque corrumpuntur, vt & Arist. probat, & ex-

perien-

perientia demonstrat: statuẽdum etiam erit sensum tactus à proprio obiecto excellenti lædi, atque malè affici. offensam autem suscipit ab obiecto tangibili: tangibiles sunt & primæ qualitates, nec non etiam nonnullæ secundarum, vt durum, asperum &c. Cognouit author lib. de locis in homine qualitates primas doloris esse causas dicens. *Fit dolor propter frigiditatem, et caliditatem, & propter valdè exuberans, & propter imminutum, & in siccis, si humectentur, in humidis, si resiccentur: in singulis enim quorũ natura permutatur, & corrumpitur, dolores fiunt*. attamẽ arbitrandum est rarò, & difficilè, à qualitatibus passiuis, quas aliqui imminutas appellabant, vel deficientes, dolorem suscitari, sed vt plurimùm ab actiuis, cum derepentè, atque subitò animalium corpora inalterent, et transmutent. & ideo dixit, ni fallor, *propter valdè exuberans, vel imminutum*. producitur etiam dolor à duro, ab aspero, atque ab acuto: acutum enim, quod durum existit, ad partes intimas se transfert, & violenter eas diuellit, & dilacerat: quod si latitudine sit donatum comprimendo partes sensitiuas seiungit, & separat, sed non excitatur dolor, quia vnitatem soluat; sed quia durum, acutum, asperum, pungens, & grauans est obiectum: quid mirũ? nonne corpora lenia, vel mollia tactus sensum oblectant, & voluptatem inducunt ei? Sed quoniam ab his, dum soluitur continuitas partium, dolor suscitatur, pronunciauerunt à solutione continui fieri tristem tactus sensionem. vnde Arist. 5. par. Prob. quærit. *Cur in itineribus coxarum medium dolemus*. respondet, *quoniam maximè confringitur. Corpus enim totum à coxa fulcitur; vnde comprimitur pars destinata tactui, & fit dolor*. & Theophrastus philosophus libello de lassitudine affirmat dolorem esse continui diuisionem. & Plato in Tymæo circa Vstiones, & sectiones. & in Philebo doloris generatio fit, dum soluitur harmonia in animantibus; & hoc in loco potius de elementorum proportione inalterata, quàm de solutione continui loquitur. Cum verò in propriam naturam restituuntur, fit voluptas, vt ibi legitur.

Nu. 51.

20.

Obiectum igitur tangibile improportionatum repentino insultu occurrens tactui dolorem inducit; in alterationem subitam esse necessariam statuit Plato in Tymæo dicens. *Passio violenter, præterque naturam abundè, simulque nobis illata molesta fit*.

Variæ enumerantur ab Archigene species doloris pro diuersitate partium, quarum multas enumerat Gal. lib. 2. de l. aff. quod caput inscribitur, Quòd ea, quę ab Archi. de dolore scripta sunt, aliqua verè, & absolutè &c. Et Archig. Verba hæc. *Porrò vasa vehementer compressa capitis dolores sine inflãmatione obortos arcent, veluti prohibita in ipsa incursione, id quòd barbaricum vinculum maximè perficere potest: Sphacelodes verò hemicranias, dissectio eorum, sed maximè arteriæ circumscribit. quæ primo affecta, pulsatorium, turgidumque dolorem inducit, ac rotunda euadit, horrorem planè excitans, quemadmodum venę quidem varicosę fiunt: nerui verò intorti distendũtur, ac indurantur, atq; hi torpentes inferunt dolores, dura distentione cruciantes, & profundos, & infixos, & angustiæ plenos, & minimè fusos. Membranæ in latum discurrentes, & inæquales dolores excitant, atque crebrò ita laborant, vt hæmodiæ, i. dentium stupori simile quippiam habeant* C. 7.

beant transmissionis videlicet asperitatem. Ita superficies quoque, & membranæ in media carne contentæ plerumque afficiuntur, quæ dilaniantes quoque dolores inferunt. Dolores verò à membranis oßa circumdantibus dependentes perinde affligere comperiuntur, ac si in oßibus consisterent. A venis graues, & detrahentes, & æqualiter irruentes dolores suscitantur. A carne autem & fusi, & laxiores: quamobrem non adeo extendi videntur, sed arbitratur laborans sensum asperis quibusdam rebus impleri. Musculi carnis, neruorumque mixtura, tanquam propria substantia constituti, arteriarum quoque, in doloribus mixtionem præseferunt, stringentes (vt ita dixeris) & cum capaci latitudine intenti, & torpidè salientes. Ex reliquis vlcerosus quidam dolor, & in vlceribus leuiter acutus, & maximè dulcis, & qui pruriginem inducere maxime potest, ad superficiem pertinere videtur. Punctorius autem profundas partes infestat: Infixus autem, cum sinus accesserit. Stimulans autem, partim eorum, quæ in loco sunt, aliquid affectum esse de-
Galen. *clarat, partim contra, vtpote qui haud quaquam profundas partes occupat. Lacerans, qui in sinu consistit.* Hic est primus Archig. sermo lib. 2. de l. aff. quo docere conatur, quomodo ex dolorum differentijs partes affectæ possint inueniri. & cap. 8. varia affert in medium exempla dolorum aliquas partes infestantes. Cuius verba. *Hepatis verò dolor holcimos (idest tractorius) & inhærens, & torpidus est, & atrocius molestans. splenis autem acutus non est, sed & grauitatem simul, & extensionem habet, & similis videtur ei, qui ad elisionem quidem, atque expreßionem, sed extrinsecus incumbentem renititur. Renes & austeros dolores inducunt, & cum permanente astristiones, pungentes. Vesica vehementer stringentibus vritur doloribus, atque intensionibus punctorijs. Vterus autem acutis, turgidis, pungentibus, distendentibus, terminatim incidentibus: quippe qui huiusmodi mixtione dolere natus est:* Cognouit etiam ab humore mordaci fieri stimulantem dolorem, sicut habemus à Gal. Stimulans in cute, &c. *huiusmo-*
C.7. *di dolore facto ab humore mordaci sensibilium partium aliquam erodente.* non tantummodo reprehendit Gal. Archig. sed ipsum irridet, dum dolores austeros, dulces, & adstringētes vocauit, hæc. n. saporum sunt nomina,
C.8: quæ lingua cognoscuntur. & subdit; *Archigenis verò doctrina hoc habet exactè proprium, vt non nouarum rerum, sed nominum rem nullam declarantium enarrationis studeat.* sed quid me iudice mirū? cum apud Priscos Medicos, atq; Philosophos in vsu erat sępe atq; sępe nominibus quibusdā non satis proprijs vti, & transferebant ea quæ ad gustum ad olfactum, & quæ
T.95. ad tactum ad auditum attinebant. sicut Arist. lib. 2. de anima. *Dixit dulcem odorem, & dulcem saporem; similiter acrem, austerum, acutum, & pinguem.* & t. 86. vbi de audibili loquens de acuto, & graui ait *hæc autem dicuntur secundum translationem à tangibili, & videntur similitudinem habere cum eo quod circa tactum acuto, & contuso, acutum enim quasi pungit, obtusum quasi pellit, propterea quòd mouet illud quidem in pauco, hoc autem in multo.* Et Hip. ille venerandus senex non ne appellauit *febres sal-*
6. de Mor. Vulg. *sas, liuidas Phlegmate, plenas, aspectui graues, rubidas, humectas, siccas, & valde croceas?* talia autem, (mea quidem sententia) dolores, febres, affectusque alij sortiuntur nomina pro diuersitate causarum, locorum acce

dentium

dentium concomitantium, exeuntium, & ſcriptorum opinionum tranſ-
ferentium nomina. hæc ſatis; Ad curationem deueniamus.

Leniuntur dolores, & auferuntur tribus modis. primus: quotieſcunque
partes reſtituũtur in propriã naturam, vt Plato in Philæbo. acquirunt eã,
ſi optimũ ſortiuntur temperamentum, quod nos docet Autor libri de l. in
homine dicens: *ſanantur dolores contrariis, idque ẽt omni morbo proprium* 71.
eſt. ſi. n. ab æſtuoſo calore ſuſcitetur, frigefacientibus ſanatur, ſi à frigido,
calefacientibus. ſic enim reducitur pars ad temperamentum, cum qualita-
tes in illo gradu conuenienti parti ſeruantur. Secundus, ſi obiecta de-
lectabilia parti dolenti admoueantur. talia cenſentur teporem placidum
habentia, mollia vt ſerica, pinguia, vt oleũ, quod Plato in Menexeno affir-
mauit eſſe doloris leuamen. Vltimus modus aſſequitur cum his auxilijs,
quæ auferre poſſunt, aut conſopire facultatem tactricem, quæ eodem tem-
pore & ſomnum conciliant. *talia exiſtunt opium, & mandragora ſumptum
ad erui magnitudinem dolorem finit, concoquit, & ſomnum allicit, at ſi co-
pioſius nocet; iuuat & foras admotum, Dioſcorides, in vitijs tamen oculo-*
rum, atque aurium eius vſum, vt Diagoras damnauit narrante Eraſiſtrato, Dioſc.
*quoniam viſus aciem hebetat: adddidit Andreas illitos eo protinus excæcari,
ſi non adulteraretur.* Multi antiquorum Medicorum his vtebãtur referen-
te Cælio. Cuius verba. *Multi autem veterum medicorum tempore acceſ-*
ſionis ea medicamenta adhibenda iuſſerunt. quæ anodyna vocauerunt, nos Lib. 2.
indoloria dicere poterimus, quę aiunt nocturno tempore adhibenda profectò tard. p.
ſenſum, non dolorem auferentia. Tale eſt, quod Philo his verſibus deſcripſit
vt narrat Gal. 9. de comp. Med. ſecundum locos. C. 4.

En me Tarſenſis Medici prægrande Philonis
Inuentum, mala quod multa dolore leuo.

& ſubdit.

Viſcera tentantes omnes ego ſedo dolores
Interna, & quicquid membra dolore quatit.

In cuius compoſitione & hyoſciamus, & opium ingrediuntur. ex ta-
lium enim Philo, vt inquit Galen. mixtura ſomnum ſoporife-
rum, & ſenſitiuæ facultatis ſtuporem inducere voluit,
cætera verò eorum nocumentum, atque læſio-
nem vetant, & prohibent. & ideo Cele-
brem hanc vocauit Galen.



De Stupore.

EST Stupor sensus Tactus, in diminuta eius sensatione offendiculũ, & interdum etiam omnimoda eius ablatio: quem & Torporem aliqui dixerunt: vnde non pauci transferentes tale nomen ad internas animæ actiones ingenium tardum, & obtusum vocauerunt stupidum, atq; torpidum. Pendet talis offensa ab interceptione spiritus, vel facultatis fluentis ad partes tactiuas, hoc nos docuerunt Theoph. Aristoteles, & Hip. Thessali filius, sed diuersimode. nam spiritum impeditum Theoph. esse narrat lib. de Resolutione neruorum dicens: *Fit Torpor in pedibus, quando aut sedendo, aut situ alio comprimuntur; intercipitur enim spiritus, qui cum nequeat suum obire motum, firmatur*: sed Arist. 6. Prob. sanguinis priuationem esse causam statuit dicens. *Cur torpeamus, & cur manus potissimum, & pedes? An quod Torpor refrigeratio est; fit enim propter sanguinis priuationem, & translationem; manus autem, & pedes omnium maximè par-*
P. 16. *tium carnis inopes.* & Sect. 2. *Stupor infrigidatio est, & fit ex repressione, & percussione.* Ab his enim impeditur transitus facultatis, quam siue spiritum animalem dicas, vel calorem, hoc loco non est disputandum: sanguinem depressum esse huius causam habemus ēt lib. de Virg. Morbis, & verba sunt: *Sanguis ex coxis, ac femoribus depressus in tibias, & pedes torporem inducit.* Retulit quoq; Thessali filius causam in sanguinem, dum à motu suo quiescit, nõ in priuationem, non in translationem ad alias partes, & non in repressionem. qui ait. lib. 2. de Mor. *Postquam pituitam venæ in se traxerint, necesse est pro pituitæ frigiditate sanguinem magis nunc sisti, & perfrigeratum esse, dum autem sanguis non mouetur, fieri non potest,*
Nu. 8. *vt non etiam corpus quiescat, ac torpeat.* Ab his omnibus patet fieri stuporem ob interceptionem, aut impedimentum illius, qui tactum efficere potest. & Neruos læsos esse vt Theophr. à cuius sententia non abhorret Arist. qui affirmat partes neruo carentes stupore non detineri. Curatur illis auxilijs, quibus & Paralysis.

De Fluxione ad oculos à capite irruente.

PRocul omni dubio ferè omnes morbi, qui oculos nobilissimi sensus instrumenta fatigant, ab humore à capite fluente ortum trahunt; interdum autem & ab iniuria externa, aut proprio vitio malè afficiuntur: at non tantummodo oculi ab humorum effluxu læduntur; sed etiam ceteri sensus frequentissime hebetantur, atq; vitiantur. necessarium erit igitur, antequam curationem horum aggrediamur, de fluxione sermonem habere, quæ est sępe fons, atq; causa morborum instrumenta sensuum infestantium geminas statuit fluxionum esse causas autor lib. de Locis in homine:
Nu. 15. *Quarum vna est frigiditas caput tenens, à qua exprimendo excluditur humiditas, quæ postea fluit. Fluit etiam propter caliditatem, cum carnes rarefactæ transitus præbuerint, & humor calefactus tenuior factus fuerit:* Calorem enim attenuare, diffundere, & rarefacere reliquit scriptum Arist. vt

frigus quoq; contrarium efficere demonstrauit. non raro transmittuntur ab inferioribus partibus & humores, & vapores ad caput, qui fluxionem suscitant, cum in ipso retineri non possint.

In fluxionis curatione ad duo debent medici oculum dirigere, vt num. 42. scribitur, *ad fluxionem, quam sedare debemus; deinde ad id, quod iam est influxum, quod si multum fuerit, educere debeat: sin modicum, per diætam moderari.* Sedatur fluxio varijs auxilijs, aut alteratione, vt si à calore, frigefacere oportet, vt lib. 1. de Morbis. Si à toto, euacuatione totius, postea capitis, deinde ad oculum dirigendus est animus, vt Plato. & ideo respiciens euacuationem totius, reuulsionem humorum, & interdum refrigerationem, si occasio postulabit, tundere iubet *Archigenes in lib. 1.* Gal. 4. de
Pharmacorum secundum genus venam, si augescat fluxio, & ventris vali- comp. m.
dam solutionem siue per purgatorium conueniens, siue per clysteres robustos, Sec. loca.
auertũt, & frictiones, & nexus, & cucurbitulę: *Et postea per nares blandè* Ruffus.
tamen est humor abducendus aut singulis diebus aut alternis; medicamen- Nu. 21.
ta caput purgantia, quæ fortia sunt à toto capite ducunt, quæ debilia ab oculis, & hinc à vicinis naso partibus. Si verò nec sic sanus fiat: *caput seca-* Nu. 23.
re, donec ad os perueneris, oportet, non superficialibus, neq; transuersis, nec obliquis fissuris, incussis vsquequò ad os ipsum pertigeris; frequenter autem secare oportet, vt compactus humor citius prodeat per vlcera effluens, & simul vt frequentes sectiones extensionem carnis ad os faciant. oportet præterea exurere venas ad oculos forinsecùs aduenientes, quæ videlicet semper pulsant, & inter aures, & tempora consistunt. quæ etiam auxilia refert Arist. 31. Par. dicens. *Quibus fluxiones oculos vrgent, venas temporum fer-*
ro candenti medici tangunt, quò humoris foramina obcæcentur, atq; spisse- P. 5.
scant; & Caput quoq; dissecta cute obscalpere consueuere. Nonnulli etiam Antiquorum sanguinem ab arterijs, cum fluxio calida, & acris existit, extrahere persuadent. Et Demosthenes *à venis angulorum ab vtraq; nasi parte sanguinem educere iubet, & cucurbitulam occipiti cute incisa admouere,* & pituitam per os educere Rufus, si hũmores fuerint crassi, atque viscosi post illa iam narrata: *caput sinapismo integendum, & postea caustico pharmaco occiput exulcerandum.* Interim vtendum est circa frontem, & faciem medicamentis adstringentibus, ut venæ, & meatus, per quos fluit humor, angustiores efficiantur. probat Archig. *atramentum sutorium aqua dilutum, vitis folia viridia circa frontem, aut rubi, aut myrti, succũq; mali punici satiui, flores, vel folia cotoneæ recentia:* & deniq; ait, *Et vt summatim dicam omnia ex astringentium genere, & repulsoria in principio conueniunt.* At non tantummodo hæc fluxionem sistunt, sed etiam incrassantia: & ideo subdit doctissimus vir. *Cæterum largum fluxum sistunt papaueris capita, & hiosciamus cum polentæ flore ex vino.* oportet autem fomentum prius adhibere, atq; ita imponere, vtitur fomento, ut faciliùs permeet facultas incrassantium, & ad actum citò educantur. Tria genera habemus medicamentorũ retardantiũ, hæc sunt Adstringentia, Repellẽtia, & Incrassantia, adstringentia potiùs vasa respiciunt, cætera humores.

Conuenit cibi, & potus parcitas, aquæ potus, & maximè rei Venereæ abstinentia.

Fugiant odores acres, pulueres, fumumq; & tum solis, tum lucernarum splendorem Archig. ita. Lædunt aũt, oculos fumus, acetum, & oleum vt
[P. 22. Arist. *quoniam subeunt ob tenuitatem corpora laxiora, & in meatibus se expeditissimè insinuant*. Vituperantur vomitus à Demosthene: Exagitant enim humores, & caput replent, præcipuè si violenti, & assidui.

De diminuta Visione, & Cęcitate.

Visus minuitur, aut aufertur ob varias, multiplicesq; causas: aut enim figura oculi, atq; forma vitiatur; aut pupilla dilatatur, & constringitur: vel humores turbantur, & confunduntur; aut obstructio meatus insensibiles tenet: aut ad oculos neruus veniens facultatis transitum non ad
Ras. mittit. hæc Ruffus lib. de Memoria. vel oblæditur ob tunicarum oculum ambientium siccitatem, & corrugationem; quod nos docet Aristo. Sec. 31.
Pub. 14. dicens: *Siccitas indurat cutim, quæ pupillam ambit; & ideo natu grandiores obtusiùs vident, ac senes, nam rugosa, atq; dura euadit*. interdum ab humore inter rhagoidem, & crystallinum concreto. non rarò etiam ob facultatis diminutionem, & imbecillitatem. Sed obfuscatio re uera, vt nar-
Aet. rat Demosthenes, *est perfectum videndi impedimentum citra manifestã circa oculos affectionem, et quibusdam paulatim affectio conflatur, alijs confestim incidit, vt minimum, aut semel in totum non videant*. Quod nõ est mirum; si enim materia sit copiosa irruens ad oculos ita secundum aliquẽ modorum iam dictorum offendit, vt non tantummodo inferat diminutã visionem, sed etiam cęcitatem. Originem trahunt vt plurimum tales offensæ ab humorum fluxione à cerebro procreata, quod legitur Prob. 5. Humor, qui redundat in capite, oculos molestat; hic enim & copia, & qualitate humores interturbare, pupillam vitiare, figuram corrumpere, neruos opticos obstruere, nec non etiam inuisibiles meatus potest, præterea & facultatem ignauam, & imbecillam reddere. Obstruit opticos neruos, vt Demosth. crassus viscidusq; humor.

Inclinante hac pasione, obscuritas quædam oculos tenet, & ante illos
Ras. varij colores, & coruscationes quædam obuersantur. hęc Ruffus in libro populari. Cognoscitur constrictio pupillæ, & eius dilatatio ex alterius oculi clausura. foramina dilatantur, & constringuntur: cętere oculorum noxæ sub medici aspectũ cadunt. Si caput est talium origo, dolore excruciatur, grauitate quadam, atq, pondere, & cæteri sensus vitiantur. hæc idẽ in lib. de Memoria. *Si autem repentino quodam insultu actus videndi pereat, nerui optici obturati erunt, aut à percussione, aut vulnere resoluti, quod*
.S. minuitur. *nobis indicat oculus prominentior, qui deinde cauatur, cum alimẽto priuetur*. hæc Demosthenes. *Precedunt affectionem hanc assiduæ cruditates, meri*
Idem. *potus, insolatio, capitis inustio, & ardor, aut refrigeratio, assidua lectio post cibum, Vomitus violentus, immodicus coitus, & violenta spiritus detentio*.

Caput erit, si ab ipso morbus pendeat curandum, & victus ratio conueniens instituenda, vt Ruff. lib. popul. qui frictiones leues, de ambulationes suaues, & vomitum post cibum probat in illo lib. qui inscribitur, non inueniuntur Medici. Laudauit etiam vomitum Archig. lib. morborum

chroni-

chronicorum post cibum. qui conuenit, si ventriculus fuerit in causa, aut foueat morbum & humores erunt euacuandi, & postea ad nares, & palatum deriuandi, vt Ruf. Iugienda in omni oculorum læsione indigestio, ardor, frigus, splendida, Vigiliæ, immoderatus somnus, & cæna, vt Archig. qui & acuta, & vaporosa etiam vituperat. Recreatur; & melior euadit visus vt Arist. *si ad virides locos, & herbescentes dirigatur; isti enim colores medij inter album, & nigrum.* P.20.

Eos autem, quibus oculi confestim obfuscantur, curare oportet vena cubiti incisa, si plenitudine grauatus fuerit æger; deinde interpositis aliquot diebus fascia collum circundabimus, ac constringemus, & postquam venæ frontis eleuatæ fuerint, rursus exoluemus, atq; hoc iterum, atq; iterum faciemus; quo per spiritus motum humores obturati violenter concutiantur. postea eleuatas angulares venas ab vtraq; nasi parte secare oportet, & fortè euacuationem facere; deinde confestim cucurbita occipitio affigenda cum scarificatione: contingit enim plerunq; statim incumbente adhuc cucurbita hominem videre: sed non oportet hoc auxilio contentum esse, verum reparatis viribus post tertiam, diem purgare, & caput sinapismo integendum, & postea caustico occiput exulcerandum. sed quibus sensim, atq; sensim oculi obfuscantur, si corpus copioso sanguine non abundet, à venis angularibus sanguis extrahatur, postea occipiti cucurbita admoueatur, & corpus purgetur. hæc Demosthenes, sicut refert Aet. Sed non satis erit humores obnoxios auferre & reuulsione, & deriuatione, sed etiam opus erit, si partes oculi, aut humores, aut tunicæ ipsis infestentur, illos aliquo medicamento abducere; hæc vim habeant attenuatoriam, & detergentem, & interdum etiam lachrimas excitantem, quod docet Phil. prob. 9. dicens. *Prosunt interdum quę mordent, vt cępę, vt lachrimæ effundantur, & humor foras erumpat.* parabat Medicamentum Largus referente Gal. ex parte vna succi radicis fęniculi, & mellis, quæ pixide ænea reponantur. vel paratur ex succo chęlidoniæ, & melle. Vel ex ruthæ succo, vt Ruff. libro populari: sed ante horum vsum vtile erit prius aqua marina oculos tepida fouere.

De Suffusione.

EST suffusio, vt Ruffus narrat, humorum effusio inter vueam, & crystalloidem tunicam concrescentium, quam diffinitionem habemus etiam à Demosth. qui incipientis talis noxæ signa nos docet his verbis. Incipiente suffusione veluti culices parui, & caliginosa quædam oculis sępe obuersari videntur: & quidam ex ipsis piliformia vident, alij veluti lanarum filamenta; aut aranearum texturarum: quibusdam circa lucernas circuli apparent. hæc autem vbi apparuerint, aliquando pura pupilla apparet his, qui negligentiùs considerant: aliquando verò colorem maris refert. Augescente autem affectione accidentia grauiora euadunt, perfecta verò eadem, homo non videbit, pupillaq; colorem ad albedinem mutat, & omnino non translucet. Plures autem sunt coloris formæ: quædã enim suffusiones aerem assimilant, aliquæ vitrum referunt; aliæ albicantes, aliæ ad cæruleum colorem magis mutantur; aliæ glaucescunt: quæ in- Orib. Aet.

curabiles ſunt. hæc Demoſth. fluunt humores, qui ſuffuſionis ſunt cauſæ, à
Prog. capite, qui poſtea concreſcunt varios acquirentes colores. Vt plurimum
curationem recipiunt, ſed non omnes, vt Ruffus.

Pro tali affectione ſananda fluxus humorum eſt prohibendus, & qui iã
Ruff. fluxerit, medicamentis abſumendus forinſecus admotis. in cubito igitur
vena ſecanda venit, vt Demoſth. & Ruffus. & *corpus purgandum, & a-
crioribus euacuationibus veluti centaurij decocto, aut amari cucumeris, &
hoc ſæpe reiterandum, & cucurbitula occipiti cute inciſa admouenda. Et pi-
Demoſth. *tuitam per os detrahentibus, ac narifuſorijs ex interuallis vtendum.* & ijs
vti debemus medicis auxilijs, de quibus capite de fluxione mentionem ha
buimus. deſfluxus humor eſt diſſipandus medicamentis: probat Ruf. in
principio mel, oleum, & fæniculi ſuccum, aut collyria conficiantur ex ſa-
gapeno, ſucco cyrenaico, ruta ſilueſtri, ſpuma nitri, & melle. vel paretur,
vt Aelius Gallus narrante Gal. ex felle teſtudinis, tauri, & croco. Dioſco-
rides laudat balſamum inſtillatum, myrrhã, fel aquilæ, perdicis, ſilueſtris
capræ, æris ſquãmam, humanum lotium, & ſalem tritum inſufflatum, ru-
thæ ſuccum, vel chelidoniæ, vel roriſmarini; hoc præſtant & pyrites, atq;
ſapphirus. Ex multis iſtorum poſſumus nos parare pulueres, atq; collyria,
ex alijs liquores, atq; ſuccos, quorum ſi timemus acrimoniam, addantur
obtundentia, vt inſipida, vel minus vigoroſa.

De Oculorum Dolore.

ITA inſæuit interdum, atq; ingraueſcit oculorum dolor, vt miſeri ægro-
tantes lumina linquere vitalia exoptent. Omni igitur ingenio eſt ten-
tandum, vt quamprimum mitigetur, prius tamen inſtituantur ea, quibus
fluxio curatur: deinde oculis admoueantur, aut inſtillentur, quæ vim le-
niendi dolores habent. ſuadet nos vti debere genere hoc auxilij Hera-
clides Tarentinus narrante Gal. quod habet roſarum viridium drach. iiij.
6. Per loc. croci, & opij an. drac. j. excipiãtur paſſo, aut meliloti decocto vel vt Archi-
genes, roſas virides, aut aridas paſſo maceratas terito, & admixto oui aſſi
vitello, & croco ſufficienti cum paſſo vtitor: aut crudam hordeaceam vel
triticeam farinam paſſo coctam adhibeto. ſi verò maior dolor fuerit, pa-
pauerïs folia recentia admiſceto, aut corticem papaueris capitum, aut hio
ſcyami folia cum oui vitello: aut papaueris albi capita paſſo cocta, ac tri-
ta imponito, aut cucumeris, aut peponis carnem, aut oui aſſi luteum cum
modico croco, ac vino tritum imponito: aut opium tritum imponito,
aut papaueris ſuccum cum lacte muliebri, aut portulacam tritam. ſi au-
tem vigiliæ infeſtent, Mandragoræ radicem, & ſuccum, papaueris folia,
& polentam equis partubus in maſſam cogito, eamq; odorandam exhibe-
to, & obdormiſcent. hæc Archig. probat Dioſcor. luteum oui cui admiſſũ
ſit crocũ, & oleum roſaceum. in morbis oculorum, eorumq; doloribus à
multis opij vſus vituperatur, Diagoras enim, vt Eraſiſtratus autor eſt tri
duo vſum eius damnauit, oculorum lippitudinibus, & aurium vitijs in-
fundi vetans, quoniam viſus aciem hebetaret, & ſoporem gigneret: puta-
uit Andreas illitos eo protinus excæcari, ſi non adulteraretur. Mneſide-
mus vſum

mus vsum duntaxat olfactandi probauit: quoniam ad conciliandũ somnum conueniret, alioqui nobis, ut noxio interdicit. hæc Dioscorides.

De Inflammatione oculorum, siue Lippitudine.

ETiamsi ijsdem auxilijs, quibus sanare tentamus oculorum fluxiones, atq; eorum dolores, curetur & lippitudo: attamen aliqua, quę scripta inueniuntur in libello de visu, in meorum afferam. & hæc sunt. Conducit ad lippitudinem Purgatio capitis, & ventris inferni, & si corpus sangui- Nu.4.
ne redundet, sanguinis detractio ad quosdam eiusmodi dolores confert; Conferunt & cucurbitulæ circa venas affixa; & cataplasmata ad fluxionem cohibendam. Cibus medicus sit panis, & aquæ potus: decumbat æger in tenebris procul à fumo, igne, & alijs splendidis, nec ad multum tempus contentè intueri oportet, lachrima enim prouocatur, cum non possit oculus ad splendida officio suo fungi. sed neq; multum tempus oculos claudere conducit, maximè si fluxio calida; lachrima enim suppressa calefacit. .S. temporum, auxilium ab Aegyptijs inuentum.

De Ægilope.

EST Ægilops; vt sensit Seuerus, abscessus iuxta magnum angulum oculi. affectio ægrè curabilis propter corporum tenuitatem subiecto osse corrupto: ob situs autem vicinitatem etiam ipsi oculo damnum infert aliquando, per naturale paruum iuxta angulum foramen, hæc Seuerus. varia scripsit Archig. in primo pharmaceorum secundum genus admouenda, atq; agenda. cuius verba. Eruo cum melle integimus, aut cinere vitis cum aceto subacto. probè facit & thus cum colunbino stercore recenti impositum, aut succum herbæ ægilopis, auenam nostri dicunt, cum melle illine: cæterum in nondum perforatis alumen scissile cum terebenthina splenij forma impone. quòd si neq; sic sanetur, diuiso angulo, & cum tenui perforato terebello continuis foraminibus incussis disparato, capitale emplastrum adhibeto, discedent enim squammæ, & sanabuntur. Aut osse denudato cauterium admoue. & sic squamulæ discedunt. & sanantur. quidam diuidentes angulum ossi, qua parte perforatum est, angustum infundibulum admouent, & plumbum liquefactum infundentes uriunt, atque hoc modo optimè sanant. Multa narrat Asclepiades in primo exteriorũ, quæ breuitatis causa omitto. Aet. Gal.

De Nictalope.

NYctalopem dixit Medicorum uetustas uisionis diurnum impedimentum. quòd die cedente nocti minuitur, uel quoquomodo aufertur similitudine desumpta à Noctua, quæ nocturnis horis tantùm uagatur ob uisus inbecillitatem: sufferre enim non potest Solis fulgentes radios. Sunt tamen aliqui, qui e contrario hanc affectionem describunt. Curatio ita de-

ica describitur libro de visu. *Nyctalops medicamentum bibat deorsum pur-*
Nu.3. *gans, & caput purgetur, & ceruicem eius quàm maximè scarificato, & fame ad multum tempus premito. vbi vero remiserit vnum, aut duo frusta, prout maxima deuorare potest, de epate bubulo crudo in melle tincto exhibeto.* Dioscorides autem carnem capræ deuoratam probat, & iecoris eius liquorem oculis iniectum, postquam fuerit assatum. cuius uerba hæc. Capræ inassati iocineris decidua saniet inungi lusciosos prodest, & dum coquitur, apertos oculos uaporari carnib. assis uesci perquam utile. conducit & palumbi, uel turturis, uel perdicis sanguis, ut idem.

De Oculorum transmutatione ad cæruleum, vel glaucomate.

Glaucoma, & suffusionem veteres vnum, & eumdem morbū esse existimauerunt: posteriores verò glaucomata humoris glacialis, qui ex proprio colore in glaucum conuertatur, & mutetur, morbum esse putauerunt. hæc Orib. ad mentem Ruffi. causam huius affectionis esse paucitatem
C.1. crystallini humoris inconcocti, atque subtilis decreuit Arist. lib. 5. de generat. animal. his verbis. *Glaucoma cęsiis oculis magis acccidit, cęsii aūt præ humoris exiguitate, & ideo mouentur magis à luce.* & subdit cruditatem
N.1. humoris esse cæsietatis causam, sicut etiam canitiei. distinxit hoc malum à suffusione autor lib. de Visu, & futurum euentum, & curationem etiam in medium attulit dicens. Oculi corrupti (potius dicerem ego quò ad colorem inalterati, re vera enim oculi in hoc morbo non corrumpuntur, sed inalterantur nisi temporis tractu) spontè quidem cęrulei euadentes, derepentè tales fiunt, & vbi facti fuerint, non est talium sanatio. qui verò maris speciem referunt, paulatim per multum tempus procedendo corrumpuntur, & sæpè alter oculorum in multo tempore postea corruptus est. Huius caput purgare oportet, venas vrere, & si quis ab initio curatus fuerit hoc modo, malum sedatur, & in deterius non procedit, at qui colorem inter cæruleum, ac marinum medium referunt, si quidem puero tales fiant, vbi senior fit, sedatur; si verò seniori septimum annum egresso fiant meliùs videt magna valdè, & splendida, & procul, sed non clare: & si quid valde ad oculum admouerit, hoc etiam videt, aliud autem nihil. Confert huic capitis purgatio, & eius vstio, sanguinem verò his detrahere non cōducit, neque cæruleo, neque maris speciem referenti. descripsit medica-
iiij.comp. med. secū dum loca. mentum Antonius Musa ad glaucedinem narrante Gal. quod habet fellis perdicis syluestris partem vnam, in alio exemplari succi herbæ perdicij, aliqui succi centaureæ partes tres, mellis attici tantumdem, misce, & vtere.



De

De Surditate.

VT benè homines audiant,& differentiæ iudicentur audibilium,requiritur totum Senſorium ſincerum,& præcipuè eius membrana, vt elicitur à dictis Ariſt.5.de gen.animal.ſincerum autem eſt auditus ſenſoriū. ſi ad ſiccitatem tendat,immo ſicciſſimum ſtatuit eſſe ſcriptor lib.de Carnibus,quod enim tale facilè reſonat. A pituita igitur proportio illa partis corrumpetur auferendo ſiccitatem, vt lib. 1. de Mor. num. 3. & hebetabitur auditus, non raro & ſtrepitus maximi ſurditatem inferunt, vt Ariſt. ſenſorium enim vitiatur, atque offenſam patitur ab excellenti audibili. Cap. 1. N. 16. 2. de anima t. 143.

Purgetur corpus euacuatione larga, & memorabili, & fricetur totum corpus,& deambulationibus multis pro viribus vtendū. (hæc enim auertere poſſunt humores in capite,& auribus decumbentes, & prohibere, ne alij ad caput impetum faciant) poſtea apophlegmatiſmis, & collutionibus,quæ pituitam extrahere poſſunt,& caput fricandum. Cibis vtendum copia moderatis, & ex genere eorum, quæ facilè exoluuntur, & facilè excernuntur. Fel capræ, & tauri,ac vng.roſaceum mixta inſtillato auribus: vel cæparum ſucco,& reſina oleo dilutis æqualiter vtitor:vel alumen aceto dilutum inſtillato: vel veratrum nigrum aceto tritum,melleq; coctо exceptum in parua collyria ad formam glandis redigito, eaque meatui indito, ac per dies quinque ſinito: vel ſenectam anguium aceto tritam inſtillato: vel Naſturtij quantum ſufficit & nitri parum, carne ficus reiectis granis excipito,indeque collirium auditorio meatui congruum formato, & indito per triduum,hoc enim multas ſordes elicit, & confeſtim malum leuius redditur. Plurimum autem auxiliatur in huiuſmodi affectione conſtitutis ſpongia tenuiſſimè contrita, & conuoluta in orbem,melleque imbuta, & auribus indita. & fomentis vtendum per ſpongias aqua calida imbutas,& ſufficienter expreſſas:itemque per cucurbitas affixas: amplius autem per vaporem ex arundinibus perforatis allatum: oportet autem alterum arundinis extremum concauitati auriculæ congruens eſſe,alterum verò in ollam perforatum operculum habentem, & vndique obturatam incumbere. Sit autem in olla abſinthium in aqua feruefactum,quo vapor inde ſublatus ad auditorium meatum perferatur. hęc Apollonius.omnia in primo parabilium ad auditus grauitatem refert Gal. Probat Archig. ſuccum corticis radicis raphani cum roſaceo tepefactum, & inſtillatum, aut chalbanum cum aceto,& melle feruefactum,vel collyrium ex nitro, ficu, & ſinapi immiſſum per triduum: poſtea vero acutis vocibus aſſiduis, & viciſſim grauibus inclamamus, & per tubam ſonitu immiſſo malum depellere conamur. hæc Archig. vel oleum, in quo aſphodeli radices bullierint, inſtillato, vt Dioſcorides. qui ſulphuris accenſi fumum in auribus receptū commendat. hæc omnia humiditatem morboſam exiccare poſſunt, & membranam illam auditui deſeruientem roborare, & aliquas humorum reliquias foras educere. 3. de cōp. med. S. locos.

De Tinnitu, auriumque Sibilo.

TOto euacuato, atque capite ad topica auxilia deueniendum erit, quæ vim habeant discutiendi, atque incidendi, vt seniores medici relatore Gal. decreuerunt. Crito hæc probat, vt idem affirmat. Absinthium in aqua decoctum pro fomento adhibe: aut raphani corticis succum cum rosaceo instilla, aut aloen cum vino, & melle, aut vulpis adipem. Probat Dioscorides fel tauri, aut salem & mel, aut succum porri, & acetum, vel ficus tritas, & sinapi, aut aceti feruidi vaporem. Commendat Apollonius acetum acre, & oleum, vel laurinum oleum, vel cucumeris syluestris succum, vel cuminum tritum, vel amigd. amararum oleum, vel nitrum insuffla prius tamen aq. tepida auribus ablutis: vel cepas, allium, & adipem anserinum pari mensura trita, & excolata infunde. Archigenes verò hæc nobis scripta reliquit posita aliqua distinctione. In sonitibus repentinis acetum cum rosaceo instilla, aut cuminum & oleum, aut radicem cucumeris syluestris oleo incoctam. si verò ad multum tempus perseuerauerit, omnibus amaris acribus, attenuatorijs, & discussorijs, quæ ad dolorem ex crassis humoribus obortum descripra sunt, vtaris singulis in aceto coctis, & admixto melle: aut reclinato ægro, & nitro crudo trito in aurem insperso acre acetum tepidum infunde, ac postquam feruere desierit, lana scalpendo exterge, & succum nucum amararum infunde, aut nitrum, & myrrham cum rosaceo, aceto, ac atramento scriptorio crasso instilla, aut castoreo, & nardino pari mensura cum aceto, & rosaceo vtere. Cæterum quibus ob multam sensus subtilitatem sonitus oboriuntur, castorium, & cicutæ semen cum aceto trita instilla: Ex morbo verò obortis sonitibus, vbi fomentum ex decoctione absinthij adhibueris, acetum, & rosaceum instilla, aut raphani succum cum rosaceo: si verò perdurent, veratrum nigrum aceto decoctum adhibe.

3. de cōp. secūdum locos.

In 1. parabilium.

De Aurium dolore.

CVm vehemens fuerit dolor, aluus per clysterem validè subducatur, & sanguis à cubito detrahatur, & quæcunque similia adhibeantur. hæc Archig. lib. 1. de phar. secundum genus. non tantummodo à iam dictis percipitur Archig. præcepisse purgationem, & venæ sectionem, sed etiam alia genera reuulsionum, & deriuationum, quando dixit, & *Quæcunque similia adhibentur*, Talia erunt me iudice frictiones, nexus, cucurbitulæ, hirudines, sinapisma, & inunctiones, auribus instillata varia conueniunt. Asclepiades lib. primo externorum varias compositiones posteritati tradidit. cuius verba. Auriculares compositiones ad aurium dolores recentes, quibus Niceratus vsus est. inter eas optima hæc est asellorum domesticorum, horum tres, aut quatuor in oleo feruefacito, & expressum oleum auribus infundito; facit & cucurbitę succus cum rosaceo, aut hiosciyami vel papaueris succi parum lacte muliebri dissolutum: vel succi papaueris, castorei vtriusque obolos duos, passo diluito, & modico rosaceo adiecto tepi-

Gal.

da infundito: Hæc sunt, quæ dolori à materia calida oborto aduersantur, si recta ratione ea consideremus. cetera enim dolorem à frigido succo concitatum leniunt, vt centaureæ succus, & fel cum melle, sed seniores medici medicamenta omnia siue calida, siue frigida dolorem mitigantia sub vno capite collocabant, atque indistinctè satisfacientes tantum commodo proprio, aut medicis rationalibus, qui peroptimè distinguere sciunt medicamentorum qualitates. tali modo scripsit Archig. Dioscorid. Apollonius, Aelius Gallus, & Andromachus imo & Hip. ille admodum venerandus senex talem modum obseruauit varijs in locis, sicut in apho. 31. quo loco hæc leguntur, *Dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ sectio, aut medicamentum epotum soluit*. nulla posita distinctione. sed redeamus, vnde digressi sumus. Probat Andromachus medicamentum Harpocratis, quod recipit spicæ nardi drag. vi. myrrhæ, pip. spumæ nitri, floris salis an. drag. vi. croci drag. xij. nuces amaras x. succi papau. drag. xij. vini veteris q. s. stanneo vasi pharmacum infundito. varia celebrantur à Dioscoride, vt Opium, myrrha, & crocus oleo amigd. dissoluta, vel vermes terrestres anserino adipe incocti: vel lac è seminibus iusquiami. attamen opium vituperatur à multis. hebetatur enim auditus instrumentum, & obleditur. & ideo Diagoras narrante Erasistrato in aurium vitijs eius vsum vetat, atque prohibet. 6. par.

De Olfactus læsione.

PRiuatur sensus olfactus proptio munere, aut hebetatur, cum superflua humiditas eius instrumentum infestauerit, sicuti lib. de Carnib. legitur sic. *Nares humectæ olfacere nequeunt, quamobrem, qui grauedine tenentur, nihil, aut parum olfaciunt, cauitas enim nasi cum sicca fuerit, ipsum seipso exactius arida sentit*. quod respiciens fortè Arist. lib. de sensu, & sensato statuit: *ignis esse odoratum, & tactiuum terræ*. at non solum superflua humiditas cum sensorium olfactus irrigauerit, sensum destruit olfaciendi; sinceritas enim ipsius, & summæ membranæ noxam patiuntur, sicut scribitur 5. de Gener. vitiatur; sed etiam, si cauitas, per quam deferuntur vapores, fuerit obstructa, atque obturata: nam non est statuendum nasum esse olfactus instrumentum præcipuum, sicuti eodem lib. de Carnibus narratur his verbis: *olfacit cerebrum aridorum odorem vnà cum aere per corpuscula cartilaginosa ipsum trahens; cerebrum enim in cauitatem nasi pertingit, atque hac parte non est ante ipsum os aliquod, sed cartilago mollis, veluti spongia, neque caro, neque ossiculum*. Duæ igitur erunt causæ læsionis olfactus, superflua humiditas proprium organum olfactus vitians, & obstructio nasi prohibens odorabilium transitum ad sensorium; possumus his addere tertiam, quæ existit excellens odorabile, ab hoc enim corrumpi reliquit scriptum Arist. lib. de anima.

N. 17. f. cerebrũ. C. 2. C. 2. 17.

Si nares obstructæ fuerint in causa, Aluus soluatur, deinde supra nares hirudinem applicemus; tertio die splenium à media fronte ad nares extendamus, postea confectione amara ex aloe, & hiera ex colocinthide ventrem ducemus, quibus peractis apophlegmatismis vtendum, & pro-

uocanda sternutamenta, sed prius molliens medicamentum naribus, & fronti super dandum: mox sinapismo caput vsque ad frontem obducendum, castoreumque denique aceto dilutum odorandum offeretur: si post hos omnes motus aliquo præterea auxilio sit opus, vomitus ex raphano, & oximelite excitetur: die sequenti absinthij succi quantum cochlearis dimidium compleat, aut etiam hissopi, aut tragorigani bibendum detur. Malagmatum quoque vsus conuenit, quæ impones vsquequo varos excitent. hæc autem bis, & sæpius ad affectiones pertinaciores admouere oportet. hæc Archig. vt Orib. Horum auxiliorum quædam totum euacuant, vt hiera cum colocy. & quædam eodem tempore materiam in capite detentam commouent, & exagitant, vt faciliùs foràs erumpat, hæc efficit vomitus, qui proponitur ab Archig. alijs actis, ne caput repleatur. Quædam deriuant, vt apophlegmatismi, & sternutationem excitantia; nonnulla deriuant, & calefaciunt, vt sinapismum; deriuant autem tantum hirudines naso admotæ. & denique quædam existunt, quæ calefaciunt, & quoquomodo facultatem excitare possunt, tale est castoreum aceto dilutum odoratum. Hæc eadem quoque possunt olfactum ablatum, aut diminutum à superflua humiditate ad integram sanitatem reuocare.

FINIS.

CONTROVERSIAE INCONSTANTIAE,

atque Admirationes in dicti Galeni

A CVRTIO MARINELLO MEDICO, ATQVE


Philosopho adinuentæ,

Dum naturam illorum Morborum, qui Meliorem animam fatigant, vestigabat.



VENETIIS.

Apud Iuntas, MDCXV.





INDEX CAPITVM.



AVTORIS AVDACIAE In Galenum ad Lectores Excuſatio.



DVM Naturam, Cauſas, Signa, Futurum exitum, ac Curationem illorum morborum, qui meliorem Animam exercent, libros Galeni peruoluens veſtigabam, nonnullæ mihi in eius dictis occurrere contrarietates, aliqua illius Inconſtantię, & denique circa eius placita Admirationes. Sed quænam inconſona rationi aduerſus tantum Virum pronunciare audeo? cum certiſſimum ſit ipſum, vt omnium Medicorum extat ſententia, errata nunquam commiſiſſe: quapropter pronunciandum erit, & pro firmo, atque rato habendum veram illius Dictorum intelligentiam meum ingenium obtuſum, atque tardum aſſequutum non fuiſſe: præcipuè teſte ipſo Galeno lib. 6. aph. *Cum in libro alicuius Sapientis, ſi mendacium manifeſtum deprehendamus, potiùs dubitandum ſit nos non intelligere, quàm illum erraſſe*. non erunt igitur re uera contrarietates, nec Inconſtantiæ, nec Admirationes illæ, quæ à me proponendæ veniunt: ſed potius quædam horum omnium imagines, atque vmbræ, quæ quidem falſitatis vmbræ à vobis clariſſimis, atque doctiſſimis Lectoribus veritatis ſplendorem in medium afferentibus omnino fugabuntur. vnde ex neceſſitate inſolens illa mea audacia deprimetur, atque delebitur. Valete.



CON-

CONTRADICTIONES DVÆ CIRCA Phrenitidis Causas in dictis Galeni adinueniuntur.



ETIAMSI Galenus adapertè pronunciauit non fieri veram, exquisitamque phrenitidem, nisi aut membranæ, aut cerebrum phlegmone detineantur: & consequenter affirmauit à bilioso succo in ipso cerebro contento minimè produci, sicut nobis reliquit scriptum lib. C.7. 2. de symp. Caus. his verbis. *Phrenitis non simpliciter ob calidos succos accidit: sed cum phlegmonem vel in cerebro, vel ipsius membranis pariunt. In alijs verò febribus deliria mouentur huiusmodi succo in cerebro abundante*. Phlegmonem à sanguinis confluxu C.2. oboriri certissimum existit, vt 13. Meth. & alijs in locis apertè legitur, at- C.1. tamen lib. 1. Pror. com. 1. quo quidem loco de phrenitide sermonem habet, hæc leguntur. *Phrenitis si quidem, quæ exquisita est, fit, cum bilis flaua locum, in quo princeps anima residet, prehenderit*. & eodem libro Com. 3. *Phrenitide igitur ipsa ex bilioso succo generationem habente, cum is in cerebrum decubuerit*. & com. 15. *Copia biliosorum acrium protinus ab initio ad cerebrum fluente, mente moueri cuipiam cōtingit, quæ si rursus in aliam partem transfluat, desinit mentis motio, si verò in affectum locum recurrat biliosorum copia, phrenitici fiunt*. quis affirmabit vnà cum bilis prouentu esse sanguinis aliquam portionem, quæ fluat in hanc partem, atque illam, nec phlegmonem concitare, nisi iterum recurrat? His omnibus in locis, quibus de vera phrenitide verba facit, semper refert causam in biliosum succum, siue phrenitis sit incipiēs, siue iam facta, vt hoc in Com. narrat, de phlegmone, vel sanguine bilioso nullam mentionem faciens. sicut etiam 3. de l. aff. dum inquit. *Atque hanc ob causam Phrenitis nonnunquā* C.7. *mitior est, videlicet, cum à pallida bile producitur, vehementior, cum flaua bilis, insuper ferina, cum à bile superassata*. Sed vt omnis dubitandi ansa è medio tollatur, videamus quæso, quæ scribuntur eodem lib. com. 14. dum de ferina phrenitide agit, quæ extant. *Melancholicam ecsthasim, idest mentis motionem, & aberrationem intelligere oportet vehementem, & ferinā, quæ diluente cerebrum assata bile flaua oritur*. Si itaque bilis assata illa cerebrum diluit, atque madefacit, impossibile est cerebrum, aut membranas phlegmonem infestare; nam à materia coarctata, atque firmata hæc producitur sanguini admista, bilis autem cum sit tenuis nec phlegmonem,

nec

C.8. nec tumorem procreare potest teste Gal.4.de Præsag. ex pulsibus, dum loquitur de cerebri morbis. At quis ignorat adustam bilem inter humores tenuissimam esse, ac totam partem subire, ac permeare? cui si socius esset sanguis, minimè procrearetur ferina phrenitis; quoniam ille natura sua compesceret, atque obtunderet eius morsum, atque acrimoniam. & com.
1.Pror. 33. dum modum generationis phrenitidis hecticæ ante oculos nobis ponit, hæc. *Principio quidem biliosi succi qualitate nondum toti cerebri corpori permista, confusaque, tumultuosę fiunt desipientię, procedente verò tempore simile quippiam contrahitur lanis, quæ à tinctoribus appellatis tincturam accipiunt. talis igitur cerebri v luti tinctura desipientiam hecticam habet.* in hac quidem narratione solùm de biliosi humoris qualitate agit, à qua tandem hoc genus phrenitidis solidam cerebri substantiam occupare decreuit.

Dicamus igitur, si his dictis præstanda est fides, exquisitam phrenitidem à bile ortum trahere, cui si admistus fuerit sanguis, non vera erit phrenitis, vt ab eius dictis colligitur: quoniam concomitabitur illam in somnum aliqua propensio: proprium autem phreniticorum esse vigilare & in Pror. & alijs in libris demonstrauit.

Contra. Secunda. At non solùm ad hoc mali genus suscitandum necessariã semper esse bilem decreuit, sed modum, quo illa hoc producat, ante oculos nobis posuit demonstrans non satis esse illam in venulis permanere, sed necessarium existere cerebro ipsi, aut membranis adhærere, hæc habemus. 1. de Morb.
27. Vulg.com.2.sic. *Si in cerebrum, & eius membranas impacta sit bilis, phrenitides inducit, verùm priusquam inhærescat perfluens venas in his sitas, nõ phrenitides, sed deliria concitantur.* Sed prorsus his aduersantur illa, quæ
38. scribuntur 6.de Morb. Vulg.com.2. quæ patefaciunt non à materia adhęrente, sed serosa, non extra venas existente, sed in venis contenta phrenitidem ortum ducere, quæ sunt. *Si uitiosi alicuius succi serum non modo sanguinis in sanguinarijs vasis contineatur, deliria, phrenitides, ac furores pariet:* hæc autem omnia à serositate atræ bilis, aut flauæ in venis existente oriri patefaciunt talem affectum. Fiunt igitur phrenitides non tantummodo à bile, sed ab eius serositate nulla existente phlegmone. Ex his omnibus patet maximam me quidem iudice adinueniri contrarietatem in dictis Galeni; cum eius sententiæ inter se pugnantes ita adapertè, ac planè legantur: quas si aliquis inter se conciliare tentabit, procul omni dubio extorquere illas, ac dilacerare omnino, & verborum seriem, & significationem coactus erit.

Circa Lethargum Admirationes.

C.5. RE vera admiratione dignum mihi videtur, cur in Lethargo, *in quo Memoria, & Ratio pereunt,* sicut litteris mandauit Gale. 3. de l. aff.
C.3. *Imaginatio tamen proprio munere fungatur languidè tamen, ac diminutè,* sicut de symp. Differ. legitur. Cum ad frigidam, ac humidam intemperiem modum excedentem omnes principes functiones auferantur, vt varijs in locis nos ille docuit. Modum autem excedere, cum ratio cum memoria

moria perit, habemus eodem loco his verbis. *Quæ (scilicet intemperies) vbi vehementiùs intenditur, simul cum memoria ratio quoque deperditur,* & paulò ante, *quemadmodum si ratio lædatur, memoriam quoque lędi contingit, vtriusque noxa ab eadem dispositione procedente*. quàm dispositionem frigidam, & humidam esse intemperiem statuit, frigidæ tamen primum locum statuens. non inuenio ego causam, ob quam imaginatio vnà cum ratione non pereat, vtraque enim in actione consistit, & in maiori ratio, quàm imaginatio: vnde si ipsa ab intemperie illa aboletur fortè ob defectum spiritus animalis, cur non & imaginatio? sed fortè dicet aliquis hoc euenire ob varias cerebri partes tali intemperie tentatas, affirmans minimè partem anteriorem oblædi, sed tantummodo mediam, qua residet cogitatiua, siue ratio, & ob consensum postremam, qua memoria commoratur, mirum quoddam esset non trahi in consensum anteriorem, qua inhabitat imaginatio, sicuti & trahitur posterior; adde cerebrum semper in lethargo, si illud esset consonum veritati, necessarium esse secundum mediam partem, & posteriorem tantùm lædi, nunquam autem secundum anteriorem, quod est ridiculum dictu, cum quælibet cerebri pars possit tali humore humectari, atque repleri, à qua procreatur is affectus, immo si credendum Galeno, affirmandum venit *in soporosis affectibus magis anteriora cerebri, quàm posteriora offensam pati*, vt 4. de l. aff. 3. de l. af

C. 2.

Secunda Admir.

Adde Imaginationem propriam edere operationem, cum aut à speciebus sensibilium ei occurrentibus, aut in memoria seruatis mouetur, & excitatur ad opus suum. Sed in lethargo nulla est sensibilitas, sicuti 13. Meth. sic. *Ergo cum humor, qui in cerebro redundat frigidus est, Insensibilitas, & immobilitas hominem opprimunt: at si calidus, perpetuus motus suscitatur.* Cum igitur à sensibus externis species rerum non suscipiantur, cum nulla sit sensibilitas, nec memoria, cum ablata sit, phantasmata nō repræsentet, statuere debemus esse imaginationem non diminutam, sed ablatam. Sensus tamen aliquam actionem edere languidè, atque imbecillè, reliquit scriptum lib. de Comate, sic. *ij enim neque priuatim, neque sapienter quid dicunt, sed difficulter sentiunt, neque acclamati, neque puncti facilè excitantur immobiles, & veluti muti perpetuò iacent, ijs, qui profundo somno oppressi sunt, consimiles.* Multi recentiorum, vt has admirationes è medio tollant, subterfugiunt dicentes Perire pro Diminui vsurpari, & insensibilitatem pro difficili sensu, ac diminuto desumi, modus euitandi omnia alicui scriptori aduersantia satis leuis, & inanis, cum verborum, ac sententiarum veram significationem penitus euertat. C. 21. C. 3.



De Melancholia binæ Contradictiones.

PRopoſuit Galenus antequam ad melancholicæ affectionis naturā deueniret, geminam eſſe atræ bilis ſpeciem; *nam alia eſt veluti fex ſanguinis, quæ admodum ſpiſſa eſt, vini fæcibus haud abſimilis: alia verò, quàm ſuperior, eſſentiæ eſt multò tenuioris, atque vomentibus eam, & olfacientibus acida videtur, quæ etiam terram radit, attollit, & fermentat, atque ampullas, quales feruentibus iuſculis ſupernatare videmus, excitat: conſueuimus nominare primam melancholicum ſuccum, aut melancholicum ſanguinem, quæ meo quidem iudicio non rectè atra bilis appellari poteſt.* hæc 3. de
C. 7. l. aff. & 14. Meth. c. 9. his narratis in medium affert à qua harum procreetur melancholia, dicens. *Prouenit autem huiuſmodi humor in quibuſdam plurimus, vel ab intemperie ab initio comparata, vel à cibis, qui, cum in venis concoquuntur, in huiuſmodi humorem transmutari ſolent. hic cum in cerebri corpore, abundat, eam inſaniæ ſpeciem, quàm Græci melancholiam vocant efficit. Quemadmodum* (hæc conſiderentur) *alter atræ bilis ſuccus, qui præaſſata flaua bile naſcitur, ferina deliramenta inducit modò cum febre, modò ſine febre in cerebri corpore abundans.* Hæc nobis fidem faciunt hunc affectum à melancholia illa, quæ non diſſimilis exiſtit à vini fecibus
ij. ortū ſuum trahere, quod etiā legitur 6. aph. quo habet Hip. Hemorrhoides melancholicis innatæ bonum. in cuius dilucidatione Galenus hæc. *Non euacuationis ratione ſolùm, ſed ipſa etiam humoris euacuandi qualitatis eiuſmodi affectus ſanant: craſſus enim ſanguis ab his effunditur veluti fæx in vinis.* quæ verba patefaciūt humorē hanc noxā inducentē non eſſe atrā bilē, quę per aduſtionē gignitur, ſed illā, quę correſpōdet fęcibus vini. c. vlt. & 2. de ſymp. Cauſis quo demonſtrat phrenitidem à bile produci, maniam ab illa mordente hæc pronunciat. *Sola aūt melāch olica, vt vocāt, dementia à frigidiore ſucco vt cauſa euenire ſolet.* At iam dictis omnino repugnāt illa, quæ ſcribuntur capite de Melāch olia, dū narrat modū, quo producitur talis noxa, cum cerebrum primò, atq; principaliter hac paſſione vexatur, quæ ſunt. *Nonnunquam verò reliqui corporis ſanguine prorſus innocuo, ſolus is, qui in cerebro contentus alteratur: idq; bifariam fit: aut. n. aliunde in ipsū deriuatur: aut in ipſomet melāch olicus humor genitus, cum videlicet internus calor aut flauam bilem, aut atrum, craſſumq; ſanguinem ſuperaſſauit;* nihilominus ſuperioribus locis pronunciauit bilem Præaſſatam ferina deliramenta ſuſcitare, cum in cerebro continetur: non inuenio autem ego diſcrimen aliquod inter Superaſſatam, & Præaſſatam; vtrunq; enim horum idem ſignificat, ſicut etiam ſuperaduſtum, quę omnia non tantummodo demonſtrant humorem ſecundum exteriores partes aſſatum eſſe, ſed etiam ſecundum internas: etiamſi non pauci cele-
3. de l. aff. 7. berrimi Medici paruifacientes Galen. autoritatem affirment tunc ſuccum melancholicum producere melancholiam cum quoquomodo incaleſcit, ſed non comburatur, aut ſuperaſſetur, quod omnino repugnat iam dictis, qui fortè non ignorant melancholiam naturalem, exuſtam maniam

excita-

excitare, quod scriptis mandauit Gal. 6. aph. sic. *Mania semper ab humore stimulante, atq; mordente, talis autem semper flaua bilis, aut melancolicus humor cum malignam acquisiuerit qualitatem.* Erit igitur decernendum non melancholiam suscitari, sed furorem à talibus adustis humoribus, sicuti narrauit 3. de l. aff. immo maniã, & phrenitidem ferinam à minori adustione humoris pendere deliberandum erit: cum reliquerit scriptum lib. 1. Pror. co. 1. hanc à bile assata fieri: melancholiam à superassata procreari ipso teste eodem loco 3. de l. aff. Adinueniant igitur medici perspicaci, ac illustri ingenio insigniti harum inter se pugnantiũ sententiarum veram conciliationem. 56. c. 7. c. 14.

Non leuis præterea nobis offertur contradictio; nam lib. 1. de Temp. asserit Melancholiam morbum esse frigidum, & siccum, quod confirmat 2. de symp. Caus. dicens. *Sola autem melancholica, vt vocant dementia, à frigidiori succo euenire solet: phrenitis autem à calidis.* & Hoc primario, & non consequutiuè, vt multi dicunt arbitrantes post calidam intemperiem introduci frigidam, & siccam, à qua vltimã denominationem sumat; sed longe à Galeni dictis discedunt; statuit enim: *melancolicam dementiam à frigidiori succo euenire tanquam à causa* 2. de symp. Caus. ergo consonum est rationi cerebrum intemperie etiã simili detineri: præcipuè cũ decreuerit impulsore Hippocrate: *melancholicum succum melancholiam gignere, cum repit in mentem. s. temperiem cerebri transmutat; ac cum in corpus. s. in ventriculos epilepsiam*: quã ab humore frigido, & crasso initiũ suæ generationis ducere memoriæ tradidit, vnde ad intemperiem frigidam, & siccam cerebri talis passio, si vt morbus consideretur, reducitur. sed huic sententiæ aduersantur quę scribuntur 3. de l. aff. nam causam *in æstuosum calorem cerebri refert, aut si hypochondriorum interuentu, in inflãmationem earum venarum, quæ ventriculo contiguæ sunt; aut in ea, quæ solent totum corpus exiccare, & consequenter calefacere.* hæc sunt vigiliæ, febres, labores, solicitudines, & tenuis victus. quæ omnia respicientes Græci Medici non pauci, qui post Galenum medicinam fecerunt, atq; Latini in melancholico affectu, qui à toto, aut aliqua parte pendet, humectãtibus, & frigefacientibus vtuntur, vt balneo, sero, & similibus. ad quid igitur dicendum venit frigidam, & siccam esse intemperiem melancholiam, si cum cerebrum hac passione laborat proprio affectu, illa ab intemperie calida, & sicca ortum trahit teste ipso Galeno à qua aut bilis flaua, aut fęculentus superassatur sanguis? quam tamen intemperiem calidam procreare maniam decreuit 2. de symp. Caus. sic. *Mania verò interdum mordaces sequitur succos, qualis est præcipuè flaua bilis, interim verò a calidiori cerebri temperatura nascitur. sola autem melancholica, vt vocant, dementia a frigidiori succo, vt causa euenire solet.* In hac controuersia tam insigni in placitis Galeni, prudentes Medici, antequam curationem talis passionis aggrediantur, mentis acie adinuenire quęrant veram intemperiem, a qua talis offensa producitur: si enim frigida, atque sicca existat, calidis, atq; humectantibus debellanda erit, si contrarijs contraria curantur, & non frigidis atq; humidis. Secunda Contra. c. vlt. c. 7. 3. de l. aff. c. 7. & alijs in lib. c. 7.

De Vertigine Admirationes duæ.

MAgnam quidem præbet admirationis occasionem mihi modus, quo non solùm vapores, sed etiam humores in vertigine excitanda in ipso cerebro in girum vertantur, quem minimè cogitatione ego assequi possum. Vapores, & humores tali motu exagitari memoriæ mandauit, atque posteritati Galenus 3. aph. dicens. *Scotodinia quædam est, idest tenebrosa*
17. *obuersatio, qua circumagi videntur omnia, quæ fit, dum crassus spiritus humore permistus mouetur in capite.* & 3. de l. aff. à spiritu replente cerebrum;
c. 8. vel à multo vapore cum spiritu, vt 3. aph. cui opinioni subscribit & Paul.
31. & Auic. hæ sunt illæ sententiæ, quæ patefaciunt & humores, & vapores in cerebro circulariter moueri, quibus ego difficilè acquiescam: nam cum cerebrum substantia sit dēsa præditum, & varijs intertextum membranulis, & circumuolutionibus, atq; gyris, quomodo admittere potest motū velocem vaporum, & non rarò humorum circularem? ne aut illi impediantur præcipuè à cerebri illis gyris, aut membranulæ illæ non diuellātur, aut diuidantur à tam celeri motu & vaporum, & humorum exagitatorum; non esset autem inconueniens sensim, atq; sensim subtiles humores vnà cum vaporibus membranulas permeare. præterea notum arbitror esse omnibus vapores in gyrum non posse verti, nisi capacitate aliqua subtiliori illis repleta in corpore contineantur: si enim illorum crassiori sit plena, aut non mouebuntur tali motu, aut imbecillè, atq; tardè ob resistentiam corporis ibi existentis, vnde non fieret vertigo: nam satis notū esse censeo sine celerrimo motu hanc non concitari, sicuti videre licet in his, qui de hoc periculum faciunt: si enim tarde, atq; pigrè circumuoluuntur, vertigine minimè tentantur, præcipue si spacium, in quo mouentur, erit amplum: adde in vertigine requiri motum regularem, & ordinatum, alioquin intercipitur, atq; vitiatur, sicut experientia patefaciet: nam si aliquis de hoc periculum faciens inordinate currat in gyrum, nunc maiorē, nunc minorem occupans locum, difficilè vertigine tentabitur. etiamsi
31. Gal. 3. aph. pronunciauit, *talis affectus causam esse spiritus cum multo vapore inordinatam, & turbatam motionem*: at quo pacto possibile est in cerebro vaporem regularem seruare motum, cum ab aliquo ad hunc faciendum non dirigatur? Præterea cur delirium à vapore illo calido interdū,
Secunda Admir. atq; multo non suscitatur; cum cerebri corpus inuadat, quo & imaginatio, & cogitatio commorantur? certūm tamen est à vaporibus calidis caput ferientibus mentis incōstātiam produci, sicut 3. de l. aff. scribitur ita.
c. 7. *fit delirium interdum à spiritu vaporoso, vel fumoso, vel fuliginoso.* at fortè aliquis pro cerebro eius ventriculos, vel capacitates sumendas esse statuet, quod fortè maius esset incōueniens: cur enim ab humorum, & vaporum commotione epilepsia non procreatur? cum illa non rarò nō solum à vapore docente Galeno, sed etiam ab aura quadam suscitetur: ad hæc animæ facultates in ventriculis domicilium habere aliquo in loco nō decreuit ille: quapropter statuendum erit commotiones illas circulares non cognosci ab aliqua potentia ibi existente, sed requiri aliquod deferēs

speciem

speciem circularis motus ad internas potentias, & maximè ad imaginationem, quam multi pro certo habent hoc in malo lædi: sed quodnam esset tale deferens? cum in ventriculis non contineantur organa sensuum.

De Catalepsi Contradictio, atq; Admiratio.

DEcreuit Galenus lib. de symp. differ. in Catalepsi imaginationem esse ablatam. cuius verba hæc. *Eius noxa nonnunquam veluti paralysis idest resolutio quædam est, & caros. i. sopor, aut catalepsis nominatur: nonnunquam veluti errans, & deprauatus motus, interdum veluti deficiens, &c.* quod falsissimum omnino existit, si præstanda venit fides exemplo cuiusdam adolescentis catalepsi detenti in medium ab ipso allato in 2. Pror. his verbis. *Iacebat condiscipulus veluti lignum prorsus inflexus, rigidus, atq; extensus, videbatur oculis adapertis nos ita intueri, vt ne conniuerat quidem, nihil tamen loquebatur. is. quo tempore eodem, quæ loquere-mur, audire se dixit, quanquam non euidenter clarè: nonnulla item & memoria tenens referebat; præsentesq; omnes sese conspicere dixit: ita ut quorundam actiones recordatus exponeret: Sed neq; loqui posse, neq; membrũ ullum mouere.* Ab his apertè elicitur imaginationem non fuisse abolitã in hoc morbo: quo modo. n. quorũdã actiones recordatus exposuisset, & memoria custodiret? cũ nihil in memoria seruetur, qđ prius in imaginatione nõ extiterit. si omnibus Philosophis est credendũ, & rationibus acquiescẽdũ. sed fortè dicet aliquis ęgrotantem illũ non fuisse correptum cõpleto catoche, atque perfecto ignorans verum characterem, atque ideam talis affectus, quam indicant impotentia loquendi, & partium rigiditas, quæ respiciens Galenus in eodem Com. hoc reliquit scriptum, vt Hip. sententiam explanaret, quæ est, *Capite dolentes cum catoche delirantes. Fieri autem potest, vt secundum primam compositionem declaretur loquentibus ipsis desipientia; completa vero catoche non amplius ægri loquantur.* Condiscipulum itaque concludamus vera catalepsi detentum fuisse, cum omnino, vt in textu habemus, non loquebatur. Sed nonnulli inter recentiores medicos non contemnendi, vt subterfugiant hanc controuersiam, dicunt lib. de differentijs symptomatum Galenum non habuisse sermonem de vero cathoco. sed de spurio, quem coma vigil vocant, sed verè in re valde adaperta cæcutiunt: in Vigili enim comate imaginationem perire quo in loco reliquit scriptum Galenus? immo cum sociam phrenitidem habeat, semper ferè delirant tali noxa detenti, quod peroptimè cognouerunt medici illi affirmantes in comate vigili, atque pigra loqui, ac delirare ægrotantes; quapropter multum differre à somnolenta statuunt: nec mirum; coma nam vigil & à succo bilioso, atque pituitoso producitur, qui nũc vigiliam, nunc somnum inducit, atque delirium, quod nos docet Gal. 1. Pror. com. 1. sic. *Quoties igitur vterque humor molestus fuerit, prehendunt contraria hominem symptomata: ita vt tum vigilet, tum leniter in somnum deferatur: cum verò ad somnum defertur, simul & desipit, mixtam ipsi permanere affectionem est putandum, si bilis superet, phrenitici fiunt.* hi itaque delirant, vt ipsi fatentur impulsore tamen Galeno; cur affirmare audent ablatam

esse ima-

c. 3. com. 55.

esse imaginationem? cum delirium sit eius deprauatus motus, sicuti legitur lib. de diff. symp. immo affirmandum venit catochum verum sub nomine
C.3. vigilantis soporis contineri: cum 4. de l. aff. hæc scribantur. *in Catalepsi verò, & vigilanti sopore (Græcè Catoche) posteriora cerebri magis molestari*
C.2.
3. *at in sopore, & graui somno anteriora.* quod confirmatur lib. 2. Aph. *Si refrigeratio cum siccitate vocatas Græcis catalizas idest vigilantem sensus stuporem committere solet.* quænam dilucidiora desiderantur?

Admir. A me præter hæc ignoratur Causa, ob quam memoria in Catocho seruetur, cum illa à vehementi frigiditate penitus deleatur, sicuti scribitur 3.
C.5. de l. aff. his verbis. *Si frigus cum humore intendatur soporem inducit, sine hoc verò memoriæ nocet.* & paulò ante, *si intendatur, vnà cum ratione perire.* non potest autem intendi frigus nisi siccitatem sociam habeat, tale au-
3. tem est quod Catelepsim producit teste Galeno 2. Aph. ita *Si refrigeratio ipsa Vehemens cum humiditate mista fuerit morbos lethargicos, si cum siccitate vocatas græcis Catalizas idest vigilantem sensus stuporem cōmittere solet.* Vehemens igitur frigiditas non delebit memoriam? cum totum
C.2. cerebrum, sed magis posteriora infestet, sicuti 4. de l. aff. scribitur, quibus partibus memoratricem facultatem residere certissimum est, cum hæ alijs sicciores, ac stabiliores existant.

Cont. Alia etiam in eius dictis oritur controuersia circa respirationem cato-
C.2. chorum. Quoniam 4. de l. aff. affirmat *in Catalepsi, atque sopore seruari se-*
C.1. *cundum naturam spirationem.* At lib. 5. difficilem, ac laboriosam existere. sicut sequenti capite demonstrabimus.

De Sopore, siue Caro contradictio.

C.2. IN sopore, siue caro respirationem illæsam seruari litteris prodidit 4. de l. aff. his verbis. *si aliquando tota anterior cerebri pars afficitur, supremum ipsius ventrem ei consentire necesse est, atque cogitandi actiones quoque vitiari: proinde, qui ita affectus est, neque sensus, neque motus munere fungitur spirandi tamen facultas haud quaquam læditur, vocatur is affectus Caros. i. Sopor.* & vbi de Affectibus linguæ hæc. *Haud secus quam Catalepsi, Soporiq; seruata secundum Naturam Spiratio.* Nullo igitur modo, sicut habemus tali in capite, respiratio læditur. quapropter ridiculum esset, si aliquis dilacerans textum affirmasset lædi, sed non vehementer. Cum legantur hęc, *Haud quaquam læditur, & seruata secundum naturam spiratio.* Aduersan-
C.1. tur dictis eius placitis, quæ leguntur 5. de l. aff. quæ sunt. *Quamobrem in Apoplexia minori, Catalepsi, Sopore, morbo Comitiali, & letargo animal ita affectum non pereat: nanque si diligenter consideraueris, inuenies per huiusmodi affectus quomodo spirent laborantes: quippe videbis violentam, & difficilem spirationem, perinde ac si vinculo quodam constrictus thorax attolli prohiberetur.* hæc adapertè patefaciunt respirationem & violentam, & difficilem soporem concomitari. quod si verum existit, non inuenio ego aliquod discrimen inter soporem, leuemque apoplexiam, quæ tamen nar-
rante

rante ipso Galeno 4. de l. aff. sola respirationis lęsione ab ipso distinguitur, quo quidem in loco sermonem facit de perfecto sopore, sicut indicant signa, quæ in medium affert. C. 2.

De Apoplexia Controuersia, vel Inconstantia, & Admiratio.

POsteritati reliquit scriptum Galenus 2. Aph. *Omnes Apoplexias fieri facultate animali in partes capite inferiores influere prohibita.* quod omnino repugnat cum alijs multis locis, quibus asserit omnes principes functiones, & omnium sensuum ablatas esse, sicut narratur 3. de l. aff. cerebro iam læso, atque toto capite, quæ contingere non possunt nisi ob facultatis animalis impedimentum, quo prohibetur eius distributio ad organa sensuum: ergo non solum partes sub facie, & inferiores capite in Apoplexia facultatis influxu priuantur, sed etiam totum caput sed insurgere posset aliquis dicens hoc in loco vsurpasse apoplexiam pro quadam specie paralysis, cum ipse affirmauit se vidisse resolutione detentos secundum omnes partes dempta facie seruata respiratione. at longè à sententia Gal. oberrant: in illo enim aphorismo de Apoplexiæ omnibus speciebus, de eius causis, & de respirationis offensa sermonem habuit, cum dicat. *Omnes Apoplexias.* 42. C. 10.

Hoc mihi maximam mouet admirationem minimè spernendam, quod est, quomodo possibile sit in Apoplexia seruari respirationem, omnino tamen languentem, atque difficilem, cum perfectè cerebri ventriculi obstruantur, & obturentur? quam tamen fieri ob influxum animalis facultatis ab ipsis ad musculos tali functioni dicatos statuit pluribus in libris. Fieri perfectam obstructionem legitur 2. Aph. dum comparat epilepsiam cum apoplexia, demonstrans produci hanc à perfecta priuatione influentis facultatis, cuius verba. *Hoc differunt, quòd apoplexia fiat propter virtutis ad neruos adfluentis plenam, consumatamque priuationem.* & 3. de l. aff. hæc. *Apoplexia autem, quòd subito eueniat aut frigidum, aut crassum, aut viscidum quidpiam, quod principes cerebri ventriculos affatim implet:* quibus in locis, ni fallor, mentionem habet de omni Apoplexia, etsi forti, atque vehementi. si itaque ob plenam, consumatamque priuationem facultatis apoplexia producitur, quæ priuatio euenit ob cerebri ventriculos affatim repletos, non possum ego assequi mente causam, ob quam respiratio non pereat, & euestigio animal hac lucis vsura non priuetur. Dicerem igitur ego petita tamen prius venia à Galeno nec in forti, nec graui apoplexia omnino esse repletos ventriculos: nullo enim interposito tempore ex hac vita migraret animal ablata respiratione ob defectum facultatis animalis. In forti, atque vehementi respirare animal scribit 2. Aph. *Quibus verò respiratio seruatur quidem, sed cum magna violentia procedit, ea fortis atque vehemens est apoplexia* & 6. Aph. 57. hæc. *Apoplexia duplex est, debilis vna, altera fortis, atque ideo Hip. dicebat soluere apoplexiam fortem est impossibile, debilem verò non facile, nunc itaque fortis apoplexiæ notā apposuisse videtur; Stertere scilicet, quod ab imbecilla neruorum actione pro-* Admir. 45. C. 7. 42.

ne prouenit. Hi autem narrante Hip. in Aphor. *vitam protrahunt per aliquot dies, sed non vltra septimum:* quapropter statuendum venit semper aliquam facultatem deferri, vsquequo in vita seruantur, quod minimè contingere potest omnino ventriculis repletis. attamen 2. Aph. decreuit
42. *Omnem Apoplexiam fieri* (hæc sunt verba) *facultate animali impedita ob ventriculos pituitoso humore oppletos.*

De Epilepsia Admiratio.

C.2. ME dubium, & ancipitem admodum tenent illa, quæ leguntur 4. de l. aff. quo loco asserit Galenus (non sine leui admiratione), *In sopore, & morbo Comitiali Ventres magis, Cerebri Corpus minus affici, at in Apoplexia corpus magis.* Quod & rationi, & eius sententiæ aduersari videtur docet enim nos ratio ad maiorem respirationis difficultatem, minorem quantitatem spiritus animalis à ventriculis effluere ad illam obeũdam; at quis ignorat respirationem difficiliorem esse in apoplexia, quàm in epilepsia? ergo concludendum erit capacitates illas, seu ventriculos magis esse
C.7. obturatos: replentur tamen in vtraque passione, si credendum Galeno hęc scribenti 2. de symp. Caus. *Quemadmodum & Apoplexia, & morbus Comitialis ob pituitæ in ventriculis ipsius aceruatę multitudinem accidere videntur.* at omnino obstruuntur in apoplexia ipso narrante 3. de l. aff. sic.
C.7. *Apoplexiæ autem, quod subitò eueniat aut frigidum, aut crassum, aut viscidum quidpiam, quod cerebri ventriculos affatim impleat,* quod confir-
45. matur 2. Aph. Si igitur in Apoplexia perfectè obstruuntur: impossibile existit in epilepsia magis obstrui, atque claudi. præcipuè cum in hac cerebrum perpetuò concutiatur ad expellendum obnoxium humorem, aut vaporem, ad cuius concussionem, atque humoris discessum impossibile existit non remanere aliquid loci inanis, dum dilatatur.

De Memoriæ Offensa Controuersia, siue Inconstantia.

SI contraria contrarijs diminuuntur, aut abolentur, sanciendum procul omni dubio erit Memoratricem potentiam non frigiditate quidem aut minui, aut auferri, sed humido imperante, aut imbecillè munus proprium obire, aut ipso priuari; quod non est à ratione alienum, cum siccitatem quandam exoptet pars illa, qua ipsa residet; sicci enim est retinere, sicuti humidi benè recipere, hoc imaginationi proprium, & illud memorię, quod cognoscens Gal. in Arte Parua affirmauit. *Memoriam requirere substantiã stabilem, & firmam, Obliuionem autem fluidam:* Stabilitatem prouenire à siccitate certissimum, vt nemini existit obscurum fluidum, quod est firmo, atque stabili contrarium, ab humiditate oriri. Si itaque Memoria optima in siccitate consistit, quis negabit primum, principaliter, & per se á proprio contrario, nempè ab humiditate oblædi? attamen lib. 3. de l. aff. legitur non ab humiditate, sed à frigiditate hoc symptoma nasci sic. *Cum*

igitur vel perit, vel grauiter læsa est memoria, frigida omnino intemperies est, quocirca calefacere oportet ipsam: At verò Exiccare, aut humectare nō necessarium est, sed si humiditati copuletur, arefacere, si ariditati, madeface re. sed quid quæso attinet frigus ad memoriam, cum in caliditate non cō sistat, tanquàm in proprio organo? nisi aliquis pronūciaret omnes actiones animales ignauas, & imbecilles effici ob præsentiam frigiditatis, & priuationem caloris, qui quidem calor est commune instrumentum deseruiens animæ operationibus, responsio talis omnino paruifacienda esset, quærimus enim propriam temperaturam partis, qua memoria commoratur, vt deueniamus in cognitionem contrarij, quod ipsam inalterare possit, & in contrariam dispositionem transmutare. in sicco itaque, vt demonstrauimus, re vera existit: quapropter ab humiditate, tanquàm à proprio contrario, aut minuetur, aut si modū excedat, penitus destruetur.

De Somno profundo, ac morboso Contradictio, atque Inconstantiæ.

INuenio ego circa causas morbidum somnum inducentes à Galeno relatas maximam diuersitatem: nam lib. 4. de Præsag. ex Puls. statuit humidam cerebri intemperiem somni profundi, vel Comæ esse principem, ac propriam causam, quo quidem in loco enumerat omnes cerebri intemperies, & propria symptomata illis familiaria, cuius verba. *Cerebrum ipsum, vbi incurrerit in morbosam intemperiem, symptoma necessariò, quod intemperiei familiare, inducit. in caloribus immodicis, si quando soli hi per se steterint, Delirium: si coniuncti siccitati vna cum Vigilijs: Vigilia enim proprium siccitatis est symptoma. vt humiditatis somnus profundus, vel Coma: Refrigerationis autem eius symptoma perpetuum fatuitas, si concurrit humiditas, altus sopor, quod si multò quàm modus naturæ fert, humidius euaserit, & calidius, soporem illum inducit cum vigilijs, & delirio. vehementi frigiditati cerebri si accedat siccitas, motu priuatur vniuersum corpus, non tamen hi Comatosi sunt, sed sublatis oculis intuentur inconniuenter.* Hæc tam diligenter narrata, tantaque cum doctrina mihi suadent intemperiē humidam esse morbosi somni primam, atq; principem causam, cum pronunciet proprium humiditatis esse profundum somnum, vel Coma. & subdit, vt adapertè patefaciat frigidam intemperiem non posse huius esse causam, nisi humiditatem sociam habeat. *Refrigerationis autem symptoma perpetuum est fatuitas: si concurrat humiditas, ijs concomitatur altus sopor.* Ergo sancire oportet non à frigiditate gigni altum soporem, sed ab humiditate; hoc enim familiare, ac proprium est symptoma humiditatis, sicut est perpetuum refrigerationis symptoma fatuitas. Sed malè conueniunt hæc cum illis, quæ scribuntur lib. 3. de l. aff. quo loco decernit primam, atque præcipuam causam esse frigiditatem, secundam humiditatē; & hæc sunt verba. *Quippe quod ad Vigilias, soporesque per morbos pertinet, calida frigidaque intemperies primam sibi facultatem vendicant, altera verò ab hac ad humiditatem, ariditatemque refertur.* & paulo post. *Si frigus cum humore intendatur vehementer, soporem constituit.* & in principio. *Refrigeratio soporem,* quæ leguntur. 1 de symp. Caus. & 2. de loc. aff. c. 9. *Quotquot somnolenti, & soporosi sunt affectus, omnes à frigida causa proueniunt.* hæc iam in medium allata adapertè demonstrant causam præcipuā

C. 8.

C. 5.

C. 8.

frigiditatem esse, & secundariam humiditatem: attamen hæc quoquomo-
Inconst. do Inconstanter narrat, cuius verba extant. *Si verò à frigida multaque hu-*
1. de sym. *miditate grauetur cerebrum, veternosum, lethargicumque somnum, atque*
cau. c. 8. *alios huiusmodi morbos inducit: quorum omnium summa in frigiditate, ac hu*
miditate consistit, siue qualibet separatim, siue ambæ simul coeuntes ipsum
infestent. & subdit. *Igitur ea, quæ duntaxat humectant, non ab re somni-*
Contra. *fera vocantur, quæ verò refrigerant somnum conciliare non possunt, sed pro*
somno veternum, grauemque soporem inducere rectè dicentur. Huic autem
sententiæ reclamant illa superius scripta, dum affirmat siue quamlibet se-
paratim, siue ambas simul coeuntes lethargicum somnum inducere. Om-
nia iam dicta arguunt soporem, ac somnum præternaturalem non ab hu-
miditate, sicuti lib. de præsag. ex Puls. probauit, sed à frigiditate initium tra
here: etiamsi inconstans pronunciet ab humiditate etiam sola produci dū
inquit. *Quorum omnium summa in frigiditate, & humiditate consistit, siue*
Com. 4. *qualibet separatim siue ambæ simul coeuntes cerebrum infestent.* quod con
firmauit 4. de Vict. rat. *Nempè humiditatem immoderatam ad somnum de-*
lationes, Græcè cataphoras procreare est demonstratum.

De Vigilia Inconstantia.

Vigilias potissimùm, ac præcipuè à caliditate excitari prodidit litteris
C. 9. Gal. multis in locis, sed præcipuè lib. 2. de l. aff. sic. *Quippè Vigiliam,*
ac delirium causa potestate calida efficit; si quidem causa calida motum ex-
citat, atque idcirco Vigilias: frigus autem otiosum, & pigrum reddit ani-
C. 5. *mal, & ob id somnum, ac soporem inducit.* sed 5. de l. aff. Non negat vigi-
lias ab ariditate fieri, vel a caliditate. sed primum locum tribuit caliditati,
dicens. *Quippe quod ad Vigilias per morbos pertinet, calida intemperies pri-*
mam sibi facultatem vendicat, altera verò ab hac ad ariditatem, atque hu-
miditatem refertur. Causa igitur princeps vigiliæ est calor modum exce-
dens: si contrariorum effectuum causæ sunt contrariæ. nam pronuncia-
uit Soporis causam existere frigiditatem. ergo immoderatæ vigiliæ causa
C. 8. erit calor. Verumtamen lib. 4. de Præsag. ex Pul. in siccitatem retulit præci-
puam causam Vigiliæ, dicens. *Intemperies inducit illud symptoma quod est*
ei familiare in caloribus immodicis, si quando soli hi per se steterint: deliriū,
si coniuncti sint siccitati, vnà cum vigilijs, proprium enim siccitatis sym-
ptoma est vigilia, vt humiditatis somnus profundus. hæc manifestum fa-
ciunt primum locum in vigilijs excitandis non esse tribuendum calori, sed
siccitati; at si conuenit calori, hoc ei competit quatenus sociam habet sic-
citatem, quæ sæpè ab ipso calore humidum absumente suscitatur. & ideo
Com. 4. huic sententiæ magis adhærens nos docuit. 4. de Vict. rat. multam sicci-
tatem vigilias inducere. Concludendum igitur erit calorem delirium, sicci-
tatem Vigiliā, & Humiditatem Soporem primò, ac principaliter gignere.

De Tortura Oris à resolutione oborta Contradictio, & aduersus
nonnullos recentiores Admiratio circa resolutio-
nis generationem.

Statuit tanquàm ratum, atq; firmum Galenus, læso initio spinalis me-
C. 10. dullæ tantùm, faciem sanam, atque illæsam permanere lib. 3. de l. aff. cu-
ius verba. *Omnia inferiora dempta facie membra sensu, & motu priuari fa-*
cta aliqua dispositione circa spinæ primum processum, per quam cerebri facul-
tas,

tas, quo minus ad ipsam perueniat, prohibeatur. Quæ paulò post repetit. im-
mo lib. 4. hæc nobis scripta reliquit dum ante oculos nobis ponit causam,
ob quam facies non lędatur. *Cuius rei causa haud obscura est vobis pręci-* C. 2.
puè, qui vidistis neruorum à cerebro processum ad faciem quidem à parte
eius anteriore: ad partes verò totius animalis sub facie omnes ab altera par
te nempè posteriori: à qua etiam eorum neruorum, qui ad linguæ musculos
veniunt, coniugatio procedit, quibus ipsa motum ab electione perficit. di-
lucidiora desiderantur? sed videamus etiam quid circa hoc scriptis man-
dauit lib. 3 de l. aff. sic. *Cum ex Anatome didiceritis neruos, qui per faciei*
partes sparsi sunt à cerebro demitti. Si earum aliqua simul cum toto corpore C. 10.
resoluta est, haudquaquam vos latere debet, resolutionis dispositionem in ip-
so cerebro consistere: vbi verò illæsæ permanserint, spinæ initium affici scien-
dum est. à cuius placitis adapertè elucescit faciei partes sanas, quò ad mo
tum permanere, si solùm spinæ initium sit malè affectum. quæ omnia lon
gè discedunt ab illis, quæ narrantur 4. de l. aff. hoc modo. *Haud secus &* C. 2.
totam mandibulam, & narium pinnas, & genas vtrasque, quas à musculo-
sa latitudine (idest lato musculo) moueri didicistis, in aduersam partem de-
flecti contingit. id autem non per neruos à tertia coniugatione, sed à ceruicis
vertebris procedentes, efficitur: nam hi per totam penè faciem sparguntur,
exigua eius parte excepta, quæ à quinta coniugatione prodeuntes neruos su-
scipit in suprema videlicet lati musculi parte. Sileant igitur asserentes ma-
iorem copiam neruorum à cerebro ad faciem deriuari, & à ceruicis parti-
bus minimam; iam enim allata his repugnant. At aliquis fortè dicet ner-
uos illos à ceruice ad faciem deueniẽtes prius è cerebro ad collum deduci,
deinde per totam faciem dispergi, quod omnino negat Gal. lib. 16. de Vsu
par. quo in capite prius verba habet de neruis à collo, seu ceruice prodeun- C. 6.
tibus à cerebro tamen posteriori obortis sic. *Aliorum verò, qui ex cerebro*
producuntur, ad collum, & scapulas descendunt, qui ab occipitio oriuntur: po
stea musculi duo, qui ad tonsillas: præterea alia est neruorum tenuium coniu-
gatio, quæ ad linguæ radicem peruenit. nullus autem alius neruus eorum, qui
à cerebro producuntur, infra faciem descendit: sed omnes partim in musculos
faciei; partim in sensifica instrumenta distribuuntur. His narratis in mediũ
affert neruorum numerum, qui à spina ad caput deriuantur, & ait. *In pri-*
mis certè quemadmodum à cerebro multis partibus (.s. natura) quæ sub fa-
cie, quandam nerui partem distribuit non temerè, neq; quouis modo, sed pro-
pter memoratos vsus: sic ad caput ex spinali medulla colli neruos sursum ip-
sam ducere non piguit, sicut ad musculum temporalem. & subdit. *Porrò Mu*
sculus tenuis, & latus, qui buccam vnà cum Oris partibus lateralibus mo-
uet, artem quandam naturæ pręse fert admirabilem: cum enim huius muscu-
li principia sint multa, desinat autem in buccas, & labia os aperiens ad la-
tera. idcirco fibras omnes habet ad eas partes tendentes, & cum eis ner-
uos. Vnà igitur cum fibris, quæ à spina spondilorum, colli producuntur
nerui feruntur per collum vsque ad anteriora transuersi ijs Maximi, ac Plu-
rimi. Hæc verba patefaciunt tales neruos, à quibus Musculi temporales,
Musculus ille latus, atque tenuis, qui Buccam vnà cum Oris partibus late-
ralibus mouet, atq; labia, non à cerebro, sed à spinali, vel à ceruice initiũ
suæ generationis trahere. Cum hęc ita se habeant, falsum sanè erit asserere

inculpatam sortiri quò ad motum, vel quò ad sensum, valetudinem faciem existente noxa in initio spinalis medullæ. immo pronunciandū erit tūc maximè offensam pati faciei partes, cū ceruix aliqua affectione infestabitur, quę sit in causa, aut cōtractionis neruorū tali parte productorū, aut ꝓhibere possit facultatis animalis distributionē ad illos, & pręcipuè, cū ij sint Maximi, atq; plurimi, ut adapertè testatur Galenus loco supracitato.

Admiratio. Non possum ego maximè non admirari multorum medicorum recentiorum sententiam circa resolutionis generationis modum: existimant. n. & affirmāt hoc mali genus suscitari, cū pituitosus prouentus neruos made facit, atq; relaxat, ad quorū relaxationē eorū longitudinē adaugeri statuūt. ignorat hi, ni fallor, à madefactis neruis oriri conuulsionē, & non paralysim: nam non madefit aliquid nisi prius humiditate repleatur, repletis autem musculis, aut neruis augetur latitudo, & minuitur longitudo, & ab hac contrahuntur partes, & ideo saltem prius inuaderet corpora conuulsio, & postea resolutio. Madefieri neruos in spasmo nobis litteris tradidit Gal. lib. de. Trem. sumens exemplum à chordis sic. *Hæ chordæ ob humidas complexiones, australesq; Madefactæ, ob siccas vehementes exiccatæ tenduntur, sic & nerui, ac tendones*. quo etiam exemplo vsus est 3. de l. aff. dicens. *Sed quomodo affecto aere tenduntur chordæ, vt rumpantur: si vel nimis aridus, vel admodum humidus sit, nempe humor Madefacit ipsas, vt in tumorem partes præter naturam attollantur qui mox eas extendit, idē in animantium quoq; neruis posse contingere intelliges* nec obstat si partes, vt laxatæ cōspiciuntur, ac naturali statu longiores; hoc enim contingit ob absentiam facultatis animalis minimè ad ipsas influentis: exemplo sunt nobis dormientes: animi, deliquio correpti, & qui ex hac uita discesserunt. hanc causam narrat Gal. lib. de Trem. ita. *Facultas à principio ad musculos missa, quasi vehiculum quoddam, atq; ala motus ipsorum est, quæ si exactè defecerit, partes vti relaxatæ deorsum vergunt, vniuersum. n. naturę robur defecit*. Defectus igitur facultatis talis partiū laxationis est origo, atq; principium, & non superflua humiditas partes relaxans, vt aliqui recētiorum sibi persuadent, qui si obseruassent partes resolutione tentatas ob compressionem neruorum, aut musculorum ab ossis luxatione contractā hoc non affirmarent: tunc enim sola compressio prohibet facultatis ad partes inferiores influxum, atq; impetum.

c. 8.

c. 6.

c. 3.

De Spasmo Contradictio, atq; Admiratio.

NOn dissimilis contradictio ab antecedenti elicitur à Gal. dictis circa partes faciei, quæ conuulsione excruciantur: quoniam hęc scribuntur 3. de l. aff. *Si verò simul cum vniuerso corpore facies quoq; conuulsa videatur, non solùm eam partem, quæ ex spina procedit, verum etiam cerebrū ipsum curamus: etenim labra quoq; sæpenumero conuulsa videmus, item oculos, frontis cutem, totam Mandibulam, & similiter linguæ radicem: at quia Omnes iam dictas Partes à musculis ex cerebro neruos suscipientibus moueri ex Anatomia didicimus, cerebrum ipsis sic laborantibus credimus esse affectum, vbi verò ipsis illæsis, cæteras partes conuelli viderimus, spinæ initium affectum eße fatemur*. Sed iam demonstratum est superiori capite hæc prorsus secundum eius verba falsa existere alijs in locis prolata.

c. 6.

Admir. Inconsonum certè videtur rationi partes conuulsas sensu tactus prædi-

tas exi-

tas existere: quoniam impossibile est tale munus obire teste Galeno, nisi facultas animalis fluat ad ipsas, atq; migret. sed quis affirmabit, cum neruorum aliquod initium à spina obortum humore tanto sit repletum, vt in molem actum partes finitimas ad se rapiat, quod minimè contingere potest, si aliqua, vt ita dicam, vacuitas, vel inanitas in ipsis permansisset: partes enim illæ non repletæ contractionem non admitterent: Sed laxæ seruarentur. At in Spasmo, Repletæ, Auctæ, Tensæ, & Obturatæ à Gal. censentur lib. de Tremore cuius verba. *Verum cui neruosa quoq; corpora ab ingenti humorum copia obturata Tenduntur*. Repleta decreuit esse 5. aph. c. 8.
sed adapertiùs hęc patefacit 6. de l. aff. c. 4. dicens. *Plenitudo Repletorũ corpora & in latum, & in profundum, extendit, sed lõgitudinem abbreuiat*. 70.
qua quidem verba denotant secundum quamlibet partem neruos repletos esse, garriant quidquid somniant non pauci recentiores asserentes in spasmo non omnes partes neruorum, sed tantùm exteriores repleri. Si itaque nerui Replentur, ita vt tendantur, quod sine perfecta repletione fieri non contingit; si præterea obturantur: quam ob causam illi sensum tactus seruant? nam dilucidissimè litteris mandauit Galenus 1. de symp. Caus. *Stuporem partes occupare atq; tentare, quotiescunque neruus immodice Crassus, durusq; fuerit, delationem. n. offendet facultatis fit autẽ crassior, si viscidis & crassis succis nutriatur, aut violento frigore constringatur, aut comprimatur*. At quis ignorat in conuulsione neruos ob maximã c. 5.
repletionem esse crassitie insignitos, duritie, atq; tensione, & maiori, quã in stupore? si enim in illo esset tanta, non stupor, sed conuulsio procrearetur. Partes spasmo correptas sensu tactus exornatas esse arguunt dolores acuti, atq; atroces miseros ægrotantes excruciantes, & præcipuè in tetano, qui acerbiores euadunt, si aliquis infirmas partes transferre tentet, & si placidè, & lentè hoc agat. adde partes non exteriores excruciari, sed profundas, atq; latentes, quibus in locis organa destinata motui vt plurimùm seruantur. sed animo cerno insurgere quempiam affirmantem partes illas conuulsione correptas dolore non affligi, at potius circumiacentes partes, vt sunt membranæ, ac quidam nerui cæteris molliores, tristi sensu occupari; illas verò ob carentiam facultatis talem noxam non pati: quæ omnia aduersantur Galeni dictis 2. de l. aff. dum de doloribus à spasmo obortis sermonem habet, ita. *Nam neruorum dolores vtrinq; vehementer Distẽdere possunt, quia ad vtraq; extrema tenduntur, tum id, à quo incipiunt tum illud in quod finiuntur, non secus quàm chordæ in cythara, quæ sępe numerò dum tenduntur nimis, disrumpi solent: nam planè constat eas à contrariis tum causis, tum dispositionibus intendi, siue humidus fuerit ambiens aer, vt rigare possit, ac implere*: & subdit. *Profundos dolores cum dixit id ab accidentibus, quæ plurimis ex neruis eueniunt. sumptum est, etenim cum venæ quidem in superficie semper priores sint, deinde post eas arteriæ, quibus postea nerui subduntur, idcirco laborantes Tensionem in imo sentiunt; quanquam multi tendones, qui ob id, quòd neruosa sunt corpora, à nonnullis planè nerui nominantur, non profundos, sed in superficie dolores habent, si quando ipsis quoq; sic intendi contigerit, vt sunt illi, qui digitos extendunt*. Nerui igitur spasmo correpti, aut tendones dolore afficiuntur, & si dolore; ergo fanciendum venit facultatẽ esse præsentem, quod quidem tanquam im- c. 7.

possibi-

possibile ob iam dictas causas à me censetur.

De Stupore, ac Paralysi Contradictiones duæ.

SEnsuum hebetationes, resolutosq; motus pendere tāquam à morbo ab
c. 7. intemperie profertur lib. 3. de l. aff. dum de Apoplexia agitur his ver-
bis. *Apoplexiæ autem, quod subitò eueniat aut frigidum, aut crassum,
aut viscidum quidpiam: quod principes cerebri ventriculos affatim implet,
non totius substantiæ intemperiem manifestum est, veluti Lethargi, maniæ,
amissæ memoriæ sensuum hebetationes, resolutiq; motus.* Multas harum
passionum ab intemperie pendere varijs in locis narrauit exceptis tamen
me quidem iudice resolutione, & sensus tactus hebetatione; hæ enim paf-
siones ab impedito transitu facultatis procreari nos docuit Galenus plu-
ribus in libris. Stuporem non reduci ad intemperiem manifestè scribitur
c. 5. 1. de symp. Caus. sic. *in Stupore igitur continua Causa, aut continens, aut in-
hærens, (licet enim pro cuiusq; arbitratu eam nominare) affectus nerui est
talis, vt facultatem illi à principe parte missam impedire possit. atq; impe-
dietur, si neruus meatu aliquo præditus, vel obstructus, vel compressus. si
verò meatum non habeat, si vel constringatur, vel refrigeretur.* Sed insur-
get quispiam dicens, si ob refrigerationem: ergo ab intemperie: præcipuè
c. 2. cum 2. de l. aff. stuporem insignem refrigerationem vocet. Aufert è me-
dio Gal. hanc leuem rationem, dum inquit. *Haud aliter neruus si immodicè
1. de sym. crassus, durusq; fuerit, delationem offendet facultatis, fit autem crassior, si
caus. 5. viscidis, crassisq; succis nutricetur, aut vbi violento frigore constringitur.*
2. de sym. Quid adapertius? non enim affirmat stuporem à frigiditate, vt frigida est
Cau. 2. qualitas, produci, sed ab ipsa, quatenus constringuntur partes, à qua con-
strictione prohibetur transitus facultatis. ad morbum igitur in via reduci-
tur is affectus, & non ad intemperiem. Hoc idem pronunciandum venit
de resolutione, cum à stupore non differat, nisi magnitudine, quod narra-
tur eodem Cap. sic. *Principio igitur stupidi fiunt, deinde omnino, & sen-
sum, & motum amittunt, nominaturq; huiusmodi ipsorum vitium Paraly-
sis. i. neruorum Resolutio, hæc sub eodem genere continetur, quo stupor, dif-
fert autem magnitudine.*

Ab his à me narratis noua mihi occurrit in eius dictis controuersia, vel
Cont. 2. potius fateri debeo me germanam Gal. mentem assequutum non fuisse.
posteritati enim scriptum reliquit. 1. de symp. Caus. Stuporem, & paraly-
c. 5. sim sub eodem genere contineri, & magnitudine tantùm differre. cuius
verba. *Principio igitur stupidi fiunt, deinde omnino & sensum, & motum
amittunt, qui affectus neruorum resolutio nominatur. Hæc quanquam sub
eodem genere contineatur, quo stupor, differt tamen magnitudine.* & ante
demonstrauit *stuporem esse ex sentiendi, mouendiq; difficultate compositū
affectum.* Attamen si totum librum de differ. symp. percurramus, ac di-
ligenter consideremus quidquid in ipso pronunciatur, adinueniemus duo
esse genera, quæ interdum species vocantur ab ipso, symptomatum anima
lium functionum, necnon etiam naturalium facultatum. Aut enim, vt eo-
dem libro legitur, *omnino non fiunt, vel malè fiunt, & quæ malè dupliciter,
c. 3. 4. & 5 aut enim idem quod obscurè. & debiliter, aut idem, quod deprauatè.* in Pa-
ralysi sensum, & motum omnino ablatum esse mille in locis reliquit scri-
ptum Galenus. in stupore vtrunq; dimunutum, & obscurum nos docuit

& 1. de

&. 1. de ſymp. Caut. & 2. & 3. de l. aff. Cum hæc itaq; ſint, cur ſub eodem
genere ablatam ſenſus tactus functionem, & diminutam locauit? & ab- c.5.7.
latum motum, & diminutum? Cum interſe genere diſtent, & non magni 10.
tudine, ſi credendũ eſt iam narratis eius placitis. magnitudine autem in-
ter ſe differunt illa, quę cum ſint ſub eadem ſpecie, vel genere, vt loquar Ga
lenico more, ſuſcipiunt magis, & minus, veluti ſi dicamus maiori, aut mi-
nori ſtupore illum detineri, aut magis, aut minus videre. At non ſentire,
& obſcurè ſentire, & non moueri, aut ægrè moueri dicerem ego ſub di-
uerſo genere collocari acquieſcens illis, quæ lib. de ſymp. differ. adapertè
pronunciantur. ſed fortè erit aliquis malè dicta iam ſuperius ſcrutans, qui
affirmabit has quidem noxas interſe differre magnitudine, & ſub eodem
genere contineri quò ad eorum originem, atq; cauſam, & non quò ad eo-
rum eſſentiam, atq; naturam; geminæ enim hæ paſſiones ab impedito
tranſitu facultatis initium generationis trahunt, qui quidem magis in re-
ſolutione, quàm in ſtupore prohibetur; in paralyſi enim penitus vetatur,
at in hebeti ſenſu tactus quoquomodo impeditur, At Non de cauſa ho-
rum verba feciſſe Galenum, ſed de earum propria natura patefaciunt dif-
finitiones & Stuporis, & Reſolutionis, in quibus nec verbum quidem de
eius Cauſa, ſed diligenter, quarum functionum ſint offenſæ, atq; quales,
ante oculos nobis poſuit, in medium adducens illa verba *Stupidi principio
fiunt, &c.* quo quidem toto verborum curriculo ſolum de talibus paſſioni-
bus ſermonem habet ſub ſilentio cauſa earum prætermiſſa.

De Animalis Facultatis diſtributione Controuerſia.

SVmmo ſtudio, maximaq; diligentia veſtigandum ſibi propoſuit Gale-
nus modum, quo facultas animalis organis ei inſeruientibus diſtribua
tur lib. 7. de Plac. Hip. & Plat. qui varijs propoſitis ſẽtẽtijs tandẽ in hãc c.4.
deuenit opinionẽ, illã deferri ad oculos, & ad cauum ſpinalis medullæ ſpi 7.
ritu vectore: alijs autem partibus ſine aliquo ſpiritu impertiri. quod pa-
tefacit his verbis. *Quid igitur? numquid ſicut per neruos viſiuos ſpiritus
hic tranſmeat, ita in reliquis omnibus ita ſentiendum eſt, an id in tenuiſſimis
fibris neruorum concedi non poteſt? neceſſe enim erit meatui illi circumie-
ctum quoddam neruis aranearum telis tenuius corpus excogitemus, adeo vt
& ipſum quam facillimè diſcerpi, & meatus in ſingulis, penè dixerim, mo-
mentis obturari queat. His de cauſis ego non omnibus neruis meatus eſſe
dandos crediderim. Sed diceret fortè aliquis, ſi datur vt vnus omnino ne-
ruus ſine nullo foramine facultates inferioribus membris ab origine tradu-
cat; dabitur etiam vt omnes. Quid igitur dicendum, cum in exortu ſpinalis
medullæ adeo ſenſui patens meatus, ſicut etiam in viſorijs neruis exiſtat?
quid aliud? niſi ideo factum eſſe, quoniam imbecilla cum ſit virtutum, facul-
tatumq; traductio ad continua præcipuè cum vel maiora paulo fuerint,
vel duriora, vel vehementiori aliqua alteratione indigeant, ſi ſubtilioris ſub
ſtantiæ quadantenus cum violentia, & ictu immiſſio fieret, augeri alteratio
ita poſſe videbitur. Dictũ enim eſt eam, quæ à pleriſq; virtutis, facultatisq;
diffuſio nuncupatur, alterationis eſſe traductionem: id quod in aere etiam à
ſolari ſplendore fieri non dubitamus;* Hæc omnia indicant affirmare Gal.
facultatem hanc ad neruos oculorum, & ad meatum ſpinalis medullæ ſo-
lùm vnà cum ſpiritu migrare, cæteris autem partibus ſine aliqua ſocietate

diltri-

distribui. quod confirmatur lib. 1. de symp. Caus. sic, *Si neruus meatũ ali-*
c. 5. *quo præditus est, (vt manifestè in oculorum neruis videre licet,) impeditur, si obstructus, aut compressus: si verò nullus fuerit meatus, sed vt solis radij per aerem, aut aquam transeunt, eo modò facultas à principio per neruorum corpora permeauerit, qui si crassi fuerint & duri, offendent delationem*
c. 6. *facultatis.* Et de loc. aff. vbi de Resolut. hæc. *Ad crura facultas sed citra essentiam fluit, ad oculos verò cum essentia.* Negat igitur cæteros neruos meatu præditos esse, cùm dicat, si verò nullus fuerit meatus, facultas per neruorum corpora permeauerit, vt solis radij per aerem, vel aquam transeunt. immo lib. de Plac. in medium affert duas rationes demonstrantes hoc impossibile esse. leui enim de causa singulis momentis aut obturarentur, vel illa tenuia corpora diuellerentur, quæ meatus obducunt. Vidētur
Contra. oĩno destruere hanc sñiam illa, quæ scribuntur lib. 2. de symp. Caus. ita,
c. 2. *Vt igitur voluntarius motus interim intentis versus principiũ musculis, interim ab irruenti spũ impletis perficitur.* hoc quidē in loco de omnibus musculis, & de motu volūtario agit affirmās irruentē spiritū eos implere; nec arbitrādū est impleri aliquo flatu, ita ut præter naturā contrahantur: quoniam hæc prius pronunciat, deinde subiungit, *ita & conuulsio quoq; eodem modo accidere solet; nam & spiritus inflare potens in ipsis generatur, qui illos intendere possunt.* Vnde si pro spiritu flatum, aut aliud quodpiam simile intelligimus, conuulsio, qui est motus inuoluntarius, suscitaretur, & nō volūtarius motus perficeretur: & postea dum de Tremore hæc *Præterea crassi lentiq; succi facultatis Meatus obstruentes, ita vt exigua facultas fluat.* & deinde. *Etenim vbi humores obstruētes per neruos meatũ, nō in totũ fuerint infixi.* quæ dilucidè fidē faciunt Meatus adinueniri in neruis, & satis insignes, cum omnino interdū nō obstruantur veluti in Tremore, exigua. n. facultas fluit, quoniā si omnino obstruerētur, resolutio inuaderet partes oblæsas, & non tremor: vnde cōcludendū est semiobstructos in tremulo motu seruari. si semiobstructos possibile est ipsos reperiri: ergo statuendū erit nō ita esse minimos, vt singulis momētis à leuissimis causis occluderētur, cū à viscidis, crassisq; humorib. perfectè non obturentur: ꝙ arguit pauca illa facultas fluens, vt in textu. Si meatus itaq; omnib. neruis insunt: cur nō debemus pronūciare semper facultatē cū spiritu deferri? præcipuè cum lib. 4. de l. aff. vbi de Morbo comitiali, hæc legā tur. *Est in cerebri ventriculis spiritus primũ animæ instrumentũ, Quò sensũ, & motũ in vniuersas corporis partes trāsmittit anima* Si in vniuersas itaq; partes spiritus animalis migrat, vt sensum, & motum impertiatur illis: ad quid fauciendum tantummodo facultatem animæ cum spiritu adinueniri in neruis opticis, & in cauo spinalis medullæ? & ad quid cæteros neruos esse meatu priuatos? cū oĩno sit alienũ à rõne arbitrari spiritũ animalē, cū sit corporeū quoddā, corpora permeare dura, atq; densa, nisi aliqua cauitas, aut capacitas illum teneat. maximè cum, lib. 9. Meth. hæc. *Anima do-*
c. 10. *miciliũ in cerebro habet, & volūtarijs actionibus vnà cũ sensu præsidet, vtitur & hæc particulis quibusdā, ceu canalibus, nempè ipsis neruis sensum, & motũ per hos in totũ animal transmittentibus.* omnibus autem notissimum est canales quosdam ductus esse, atq; capacitates, per quas aliquod corpus peruagari, atq; fluere potest.

FINIS.